This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Methodus Me.

R - I
1-3

1543.

METHODVS MEDICAMENTA COMPONENDI, EX SIMPLICIBUS

bus iudicio ſummo delectis, & arte certa paratis, quatuor libris diſtributa,

*

AVTORE D. IACOBO SYLVIO MEDICO.

Indice adiecto copioſiſsimo.



LVGDVNI,
Apud Ioan. Tornæſium, & Gulielmum Gazeium.
1548.

PETRO CASTELLANO, TVTELENSIVM EPISCOPO, IACOBVS SYLVIVS MEDICVS S. P. D.

*

DIVINAM ac memorabilem illam in nos benignitatem cùm ſtudioſiſsimus quiſque hominem iuuando proximè imitari contendat, nulla tamen ratione alia plenius exprimit, quàm morbis tutò profligatis ſanitatem priſtinam reſtituendo, idq́; per uſum cauſarum, quas ob id ſalubres appellamus. Inter quas licet magni ſint momenti, aër, motus, cibus, potus, primas tamen medicamenta tenere optimo iure uidentur, ut quæ maxima ui ſua morbos etiam grauiſsimos plerunque tam celeriter propulſent, ut horum opus miraculi loco habeatur. Quapropter ea Deorum manus rectè uocauit Herophilus: & Apollo, Aeſculapius, Hippocrates, aliiq́; non pauci celebres medici pro Diis ſunt habiti. Et cùm cunctis propè mortalibus inſita ſit per medicamenta curandi cupiditas, ac tu præcipuo eorum cognitionis ſtudio incendaris, hæc me ratio una commouit, ut amplitudinem tuam aliquo meorum laborum fructu recrearem: nec ea tamen ſola, ſed honeſtam cogitationem hanc noſtram uehementer auxit tum ſingularis tua, & cum omnium

rerum bonarum cognitione coniuncta eloquentia, tum incredibilis in omnes literarum ſtudioſos benignitas: quibus raris & maximis uirtutibus nil mirum, ſi tam repente clarißimus euaſeris, dum docti omnes certatim ore uno ſumma de te omnia, uti res habebat, prædicarent: teq; non modo ſtudiorum præſtantißimorum, ſed etiam peregrinationum & longinquarum & multarum laboribus maximis tam feliciter perfunctum, honoribus amplißimis iam perfungi dignißimum, honorificentißime apud omnes inclamarent. Rex uerò noſter Franciſcus, muſarum omnium pater ac illuſtrator magnificentißimus, hac adductus fama, ultrò te in ſuorum primorum clientelam accerſiuit, ſummamq; tuam in dicendo fœcunditatem, perſpicuitatem, felicitatem admiratus, ſummis uitæ ornamentis honeſtandum te & beandum nulla mora cenſuit: ſicq; tua dicta amplexatur, ſic fouet, ſic præſentibus omnibus exoſculatur, ſic ex te recipit omnia, tanquàm ex tripode pronunciata: ut ſi quando uel te alijs, uel alios tibi (ut ferè in ſermone fit) contradicendi cupiditas ceperit, quæ tibi libertas & modeſtia in refellendis, quæ facilitas in tranſmittendis aliorum ſententijs parum probabilibus, quæ denique dignitas in ueritate aſſerenda? quem Lyſiam, quem Platonem, quem Periclen, quem Demoſthenem, te cæteris uelut ægide quadam eruditionis tuæ ſtupefactis audiendum exhibes? Quibus omnibus in quauis encyclopædiæ parte ſic apud Regem flores, ut cum Rege ſumma ſis in gratia. Quòd ſi principibus uiris placuiſſe laus ſit præcipua, ut ille dicebat, quis pro dignitate felicitatem omni humana laude maiorem ſatis commodè laudauerit? qui non principibus uiris tantum places, uerum etiam Regi Franciſco perplaces, omnium qui iam ſunt Regum gloriam, atque etiam ipſius

antiquit

antiquitatis memoriam uirtute ſua facilè ſuperanti, ſiue rei militaris ſcientiam, ſiue literarum omnium bonarum amorem, & honorem & cognitionem, ſiue autoritatem, ſiue felicitatem in eo ſummam ſpectare libet. Quæ rara & maxima Regis Franciſci ornamenta quoniam plenius attigi tum poëmatio de memorabili ipſius & Henrici Anglorum Regis ad Ardeam conuentu, tum libello alio à me ſuperioribus proximis menſibus conſcripto de ſalubri ipſius uiuendi ratione: plura nunc dicere ſuperſedebo, cum hoc tantum dixero, à Franciſco Rege noſtro uita longiſsima digniſsimo Ptolemæum Philadelphum Aegypti regem, Attalumq; Pergami, & ſi quos alios publicæ hominum utilitati natos Reges idem ſtudium tenuit, in bibliothecis omni genere librorum celebrium inſtruendis longè exuperari. Nam illi pecunia mediocri ſingulas ſinguli bibliothecas collocupletarunt: at noſter Franciſcus innumerabiles bibliothecas ſumptu maximo ea ratione exornauit, & exornandas collocauit, ut nullo unquam æuo deſituræ uideantur. Non'ne glorioſius eſt longè, ac multo magnificentius, libros omni genere diſciplinarum bonarum refertiſsimos ex penitiſsima Græcia, & regionibus alijs pecunia grandiſsima coëmptos, in Galliamq; conuectos non in bibliothecas tantum regias conieciſſe, ſed manu fideli deſcriptos, typographia planè admirabili excuſos, in omnium bibliothecas contuliſſe: qua magnificentia quid diuinius, quid Rege maximo potentiſsimoq; dignius dici aut fieri poteſt? Ad hæc tamen omnia, adiecit ampliſsima uirorum Latinè, Græcè, Hebraicè doctiſsimorum ſalaria: perq; omnes literarum bonarum ordines ſtatum Parrhiſijs florentiſsimum ſic tenent, ut nec melius, ſi Apollo ipſe cum Muſis adeſſet, tenerent. O te terq; qua-

terq; fortunatam Galliam, quæ Regem ſortita es ſapientem, & omni ſapientiæ ſtudio fauentem, quantum aliorum mortalium fuit unquàm nemo. Cùm uerò ad præclara hæc facinora propenſum maximè magnum & ſanctum regem, & ad optima quæque natum regis animum conſilio, opera, ſtudio incitare non deſinas, Caſtellane undecunque abſolutiſsime, docti omnes habent, cui plus quàm tibi debeant, neminem, tuisq; ſucceſsibus proſperis gratulantur, amplioresq; exoptant, & obſecrant. Vale, & in bonam partem accipe hoc noſtrum magnarum in medicina rerum rudimentum.

DE MEDICAMENTORVM SIMPLICIVM NATVRA, EX DIOSCORIDE ET GALENO, ET ALIIS,

LIBER I.

SIMPLEX composito prius natura & doctrina eſſe,tum rerum omniũ conditio,tum Galeni ſcripta vbiq; demonſtrant. propterea nobis compoſita medicorum pharmaca in melius ad veterum methodos reformaturis, de Simplicium notis & viribus,quæ Dioſcoridi præcipue & Galeno ſcripta ſunt, paucis agendum eſt: idque totum in quoſdam communes locos reducendum, quod etiam Dioſcoridi placuiſſe magis video, licet vbique id tam ſolicite non obſeruarit. In ſingulis verò ipſis communibus locis ordinẽ alphabeti (quod & Galenus fecit) ſequemur. Quoniam verò multæ plantarum quarũdam partes medicamentoſæ ſunt, ob idq; in locos plures incidere debent, eas tamen omnes vno in loco perſtrinximus, quem index palam commonſtrabit,ne res eadem aliquoties nobis repeteretur. Porrò locos ipſos ſumemus à plantis,animalibus,metallicis & terreis corporibus,à quibus non medicamentorum modò,ſed etiam alimentorum materię accipi conſueuerunt. Sed ne locorum multitudo lectori memoriam turbet magis, quàm promoueat, & inuentionem quæſitæ rei etiam remoretur,quæ ad metalla & terrea corpora pertinent,loco vnico concludemus omnia: quæ item ad animalia tota,& ipſorum quorundam partes, tam ſimilares quàm organicas, in vnum coniiciemus locum. Ipſas verò plantarum partes,quia numeroſæ ſunt,& in cuiuſque genere ampla eſt ceu familia,in plures locos digeremus, ordinem quendam naturæ ſequuturi: primùm radices, & folia molientis: deinde flores, fructus, ſemina,& alia permulta,quę omnia ſequens diuiſio planiora

 fecerit.

fecerit. Neque hîc expectes omnium ſimplicium naturam omnem audire. Id enim Dioſcoridem, Galenum & aliorum de re ſimplici commẽtaria deſcribere fuerit. Mihi verò propoſitum eſt, ea tantùm ſimplicia leuiter attingere, quibus ad componenda libro quarto medicamenta eſt opus: eorumque ſimplicium eas præcipuè facultates explicare, quibus potiſſimùm ad vires illorum compoſitorum pernoſcendis egetur. Nec mireris Arabum quædam ſimplicia hîc à me adſcripta: hæc enim inuentas ab his compoſitiones aliquot non negligendas magna parte complent: ob id ex illorum libris vtcunque mihi perſtringenda fuerunt. In hoc autem labore ſi meum ſtudium doctis viris probari agnouero, ad alia his maiora, de ſimplicium medicamentorum materia inuitabor.

Quòd ſi in hoc libro quædã deſideret pharmacopœus, diſcat non ſibi ſcripta hæc, ſed medicinæ ſtudioſis potius: expectetq; librum ſibi peculiarem de ſingulorũ medicamentorum ſimplicium exacto delectu, illi maximè ad probas medicamentorum compoſitiones neceſſario: poſt hunc alium de his quæ ad conficiendam rectè quanuis compoſitionem ſunt vel vtilia, vel etiam neceſſaria: ac tertium præter hos compoſita propè omnia complectentem, & in ſingulis componendi modum planiſsimè explicantem.

- Medicamenta ſumuntur à
  - Plantis, & harũ partibus ſimilaribus et diſsimilaribus
    - Radice.
    - Floribus.
    - Stipite.
    - Ramis.
    - Surculis.
    - Foliis.
    - Fructibus.
    - Seminibus.
    - Corticibus.
    - Succis.
    - Liquoribus
    - Reſinis.
    - Gummis.
  - Animalibus totis
    - Vulpe.
    - Hirundine.
    - Motacilla.
    - Galerita.
    - Limacibus.
    - Cicadis.
    - Cantharidibus.
    - Cancris.
    - Oſtreis.
    - Buccinis.
    - Purpuris.
    - Lumbricis.
    - Tinca.
  - Partibus animalium
    - Organicis
      - Capite mænidum
      - Hepate lupi.
      - Teſtibus fibri.
      - Renibus ſcincorum.
      - Corpore toto viperæ excepta cauda, & capite, pelle, interaneis.
    - Similaribus
      - Pinguedine.
      - Adipe.
      - Cerebro leporis.
      - Medulla.
      - Oſſe.
      - Dente.
      - Coagulo.
      - Lacte & eius partibus.
      - Sanguine.
      - Tunica interna ventriculi.
      - Vnguibus caprarum, aſinorum.
      - Cornu cerui, vnicornis.
      - Glutino tauri.
      - Senecta ſerpentis.

- Medicamēta item ſumuntur ab
  - Animaliū excremētis,
    - Stercore canum, luporum, puerorum, bubulo, caprino, columbino.
    - Felle.
    - Vrina.
    - Sorde.
    - Pilis.
    - Sudore.
    - Saliua
    - Lana ſuccida.
  - Ceu excremētis,
    - Ouis.
    - Melle.
    - Cera.
    - Lacte.
  - Terreis corporibus,
    - Marinis, vt
      - Salibus, & eius partibus.
      - Adarce.
      - Spongia.
      - Nitro.
      - Aſphalto.
      - Alcyonio.
    - Terra multiplici.
    - Lapidibus, vt
      - Pumice.
      - Iaſpide.
      - Iudaico.
      - Smaragdo.
      - Pyrite.
      - Sapphyro.
      - Gagate.
      - Hæmatite.
    - Metallicis, vt
      - Salibus, nitris foſsitiis, auripigmento, ſandaracha, ſulfure, cadmia, lithargyro, chalciti, auro, argēto, &c. & horum partibus.

RADICIBVS plantæ omnes alimentum ſibi familiare, dulces dulce, amarum amaræ,& reliquæ ad portionem,ex terra ipſa trahunt. Vnaquæq; ſuo tempore potiſsimum in ſolo & ſub cœlo cuiuſque naturæ magis propitio. Neque enim omnis fert omnia tellus:neque cœlum quoduis eſt plantis omnibus amicum, ſed trahit ſua quamque tanquàm voluptas quædam, qua incitantur plantæ ſtata anni parte ad alimentum copioſius è terra trahendum: quo habitiores redditæ edunt ſurculos, folia,flores, fructum,aut ſemen. Hæc poſteriora veluti ſcopum quendam naturę,plantis cum animalibus communem:ambo enim ſibi ſimile modis omnibus moliuntur excitare, vt ſi immortalia omnino non ſint,ſaltē quadantenus ſint immortalibus proxima,ſpecie per tot ſuppoſititia ſingularia perennante. Hinc animalibus fœtuum cura eſt præcipua,& quod mireris, plantis ipſis ſemina & fructus (in quibus ſpes ſua eſt ſucceſsionis) ſic veſtientibus, ornantibus, munientibus, armantibus. Quam rem cùm ſequentibus & aliorum de ſimplici materia libris, tum vel maximè admirabili & adorando naturæ in plantarum partibus artificio apertè deprehendas.Sed de radicibus primùm ſermo nobis eſt,quas tum præcipuè eueliat medicus,cùm medicamentoſæ ſunt maximè.Quæ dos omnibus eodem non ineſt tempore,ſed aliæ alio vegetæ magis ſunt,quod ſuis locis audies: quãquàm ſunt qui putent oẽs radices legendas autumno,vbi folia deciderunt:alij veris initio, priuſquàm in folia aut caulem erumpant. Omnes tamen integræ ſunt,ſi fieri poteſt, vellendæ, & vnaquæq; in ſolo & cœlo naturæ ipſius maximè familiari, bene nutritæ, bene habitæ, non præ alimenti copia enormes, neque ob inopiam ſtrigoſæ, tenues,rugoſæ: mox aqua lauandæ,& radiculis portionem quandam alimenti repetentibus,& ſtolonibus etiamdum trahentibus purgandæ:pòſt(niſi vtendi recentibus aliqua inceſſerit vel commoditas vel neceſsitas)ſiccandæ: quædam vmbra & vento,vt apij, fœniculi, iridis,& quæ aliæ ſunt vel minores, vel ſicciores, vel rariores, quarum vires ſol ceu ignis promptè diſsipet:quædam cõtrariæ dictis ſole & vento, vel igni ſiccantur, ſi cœlum eſt nubilum, aut hyems:& ſæpe verſandæ, ne mucidæ aut putridæ fiant, vt bryoniæ,gentianæ, mandragoræ,

rhei pôtici. Si verò ſiccatis citò eſt opus, patellæ ignitę impoſitas ſæpe verſandas ſiccabis. Quædã item integræ ſiccantur, vt gentianæ: aliæ in taleolas diſſectæ, vt iris: aliæ lignoſa matrice (ſic enim cor plantarum Gaza ex Theophraſto vocat) adempta, vt fœniculi, petroſelini, apij. Deinde reponuntur loco non inſolato, non infumato, non humido, non pulueruiento: ſed ſublimi, puro, ſicco, aut ſeptentrionem, aut potius meridiem ſpectante, præſertim quando hûc plantæ quædam adhuc humidiores requirunt, modò non flent auſtri. Eædem quamdiu vegetæ adhuc ſunt ſeruandæ, paruæ ſcilicet ac tenues & raræ, vt aſari, aſparagi anno tantùm: quamuis elleborus vterque etiam triennio ſeruari poſsit, vt magnæ & craſſa eſſentia prędiţæ, bryonia, rheon ponticum, ariſtolochia, gentiana. Hæc autem tria, colligendi tempus legitimum, repoſitio commoda, & duratio, non in radicibus ſolis obſeruanda ſunt, ſed etiam in aliis plantarum partibus, atq; adeò quibuſdam animalium aliquorum partibus, vt ſanguine hircino, hepate lupi, pulmone vulpis, veſica apri. Propterà chamæpityn, chamædryn, thlaſpi, centaurium, polium, hypericum, aliaque, florentia capiebat Galenus, theriacen, vel aliud medicamentum compoſiturus, non ſole æſtiuo ſiccata, neque dum fructus eorum adhuc crudi & imperfecti ſunt. Iubet idem continua ſpeculatione cognoſcendum, quando fructus ſunt futuri, quando æduntur, quando augentur, quando deniq; vigent. Quo tempore potiſsimùm eos commodè decerpas, & in ſiccis domunculis repoſitas cuſtodias, ne à ſolis radiis vrantur, neque humiditate à tecto, vel muris madefiant. Ob id domo non vult ſubterranea eos reponi, nec aliis vicina, neq; ſub tegulis, ſed horum media, quæ oſtia meridiem ſpectantia habeat: prope quæ tamen medicamenta ne reponas.

Lib. 1. antidotorum.

Lib. 3. compo. ph. general.

Omnia igitur legenda, quando ſummarum ſunt virium, et accuſandi tum mercatores, tum herbarij, qui radices, liquores, ſuccos, flores, germina, fructus extra anni tẽpus carpunt, & in vrbes conferunt. In quibuſdam & aſtrorum obſeruatio valere putatur. Pæoniæ enim radix ad epilepſiam legenda decreſcente luna quibuſdam videtur, & alyſſon ſub æſtu caniculę vult legi Galenus: vt Aeſchrion cancros fluuiatiles capi contra rabiem, vnde eſt herbæ nomen: tanquàm vis quædam illis contra rabiem à ſidere accedat, rabiem canibus afferente.

Lib. 2. antid.

Galenus in horum ſimplic. viribus.

ferente. Plantas item calidas ex calidis regionibus, & ex harũ editis & ſiccis locis, vt Cretæ montibus, præfert Galenus, vt abundè in methodo medicamenta cõponendi audies. Neq; velim lectorem latere, multas efferri plantas per us vel os maſculinè, interdum etiam fœmininè, vel per um vel on genere neutro: vt acorus, elleborus, hyſſopus, fœniculus, crocus, lupinus, peucedanus, œſypus: vel acorũ, elleborum, vt *ὁ βούτυρος, καὶ τὸ βούτυρον· ὁ ἢ ἡ χάλκανθος, ἢ τὸ χάλκανθον· ἡ ἔμπλαστρος, ἡ ἀντίδοτος, καὶ τὸ ἔμπλαστρον, τὸ ἀντίδοτον. ἵππος* præterea, id eſt, equus in compoſitione cum nominibus plantarum ſignificat magnum, vt *βοῦς*, id eſt, bos: quod docent hippoſelinum, hippomarathrum, hippolapathon: vnde opinor noſtratibus iuglandes caballinæ vulgò vocantur omnium maximæ. *Lib. 10. ſimpl. & 4. c. ph. & 1. ph. g.*

ACORVS guſtu acri, & modicè amaro, odore iucundo, tenui conſiſtentia, calidus ſiccus ordine tertio, Galeno lib. 6. ſimplicium. Is nunc eſſe videtur quibuſdam Calamus aromaticus, aliis potiùs Galanga. Quibus repugnat Actuarius in antidoto aurea Alexandri, in qua *γάλαγγαν* (ſic enim cũ Arabibus vocat) & multis interiectis acorum, eodem pondere, ad finem verò calamum aromaticum pondere diuerſo miſceri ſcribit. Acorus omnino verus magnitudine ireos, galanga maior hodie vulgò dictus, mihi Tornaco miſſus à Nicolao Godino eius vrbis præſtantiſſimo medico. Ignotus tamen quibus adhuc eſt, eius loco galangam magno ſucceſſu miſcuerint, interdum calamum odoratum. Qui verò nobis frequens oſtenditur, paluſtris acorus eſt, inſipidus, inodorus, ſubſtantia craſſa, frigidus, ſiccus, à xyri planta acri nobis notiſſima diuerſiſſimus: quadripertito tamen ſectus & ſole ſiccatus, triennio ſeruatur: non vtendus hîc, niſi Medicus imperauerit.

Veri autem prouentus nunc vberrimus Lugdunum & in alias Galliæ vrbes celebriores conuehitur ex India, Luſitanorum (vt audio) nauigationibus.

AGaricus tãquàm fungus eſt enatus truncis arborũ præcipuè glandiferarum, vt ilicum: toto contextu eſt rariore & fungoſo, ſed facie ſumma & mucrone eſt ſolutior: ſede verò & radice ſemilignoſa & ſemiputri, ob id abiicienda. In eo fœmina rectis intus venarũ diſcurſibus fracta conſtat, qui *Dioſc. & Gal. lib. 1. antid. & lib. 6. ſimpl.*

dentium

dentium murinorum veſtigia in caſeo duro repræſentent. Eadem leuior, rarior, mollior, albior, breuior, friabilior, ſplendidior, proinde præſtãtior. Mas verò in fracturis filoſus neruorum modo, grauis, denſus, durus, niger, lignoſus, lõgus, interdum rotundus, ſed vbiq; compactior: neuter adulteratione recipit. Vtriq; ſapor eſt initio dulcis, mox amarus, tandem etiam ſubacer, & ſubaſtringens: vnde incîdit, tenuat, terget, digerit, obſtructa liberat. Vis autem phlegmagoga, hoc eſt, pituitæ purgatrix, ſtomacho aduerſa: vitiis tamen omnibus internis ab ea natis ſaluber eſt in omni ætate, ob quæ medicamentum familiæ veteribus eſt dictus. Datur drachmæ pondere ſeu à ſcrupulis duobus ad drach. vnam pro ægri natura, ætate, viribus, cõſuetudine, & morbi natura & tempore cum vino, vino diluto, vino mulſo, ſapa, aceto, aqua, hydromelite, oxymelite. Quinetiam ſtomacho ſolutis, vt cibi tenax nõ ſit, & acida ructãtibus mãditur, & ſine humore deuoratur Dioſcoridi. Nobis omnibus nauſeabundus eſt, fortaſſe quia deterior nunc ex Alpibus Gallicis & noſtro Delphinatu affertur, quàm quem maioribus mittebat Agaria Sarmatiæ regio (à qua illi nomen) & Galacia & Cilicia. Ponticus Andromacho iuniori in Theriaca probatur. Mendum igitur videri iure queat in fine lib. noni compoſi. pharm. part. vbi ſuffocatis ab vtero datur 50. α. hoc eſt, vncia vna cum vino pro drachma vna. Corrigitur vino, zingibere, caryophyllis, nuce moſchata, vel aliis ſtomachicis. Seruatur annis quinq; integer præcipuè cum dauco, libyſtico, polypodio. Non ſolùm autem ſumitur, ſed etiã foris admouetur, vt Galenus docet lib. 6. ſimp. & in fine lib. 10. comp. ph. part. in iſchiadicis remediis. De agarico autem inter radices agimus, quòd is dicitur radix Dioſcoridi, & Galeno lib. 6. ſimpl.

Gal. li. 6. ſimp. *Dioſc.* *Li. 1. anti. Gal.*

Althæa ſiue Ebiſcus eſt malua agreſtis, foliis vt cyclaminus rotundis, lanugine caneſcentibus, flore roſaceo, caule bicubitali, radice lenta, intus alba, ſubaſtringente. Partibus ſuis omnibus digerit, laxat, phlegmone leuat, mitigat, coquit abſceſſus coctu difficiles adipibus incocta & ſubacta. Radice autem & ſemine tenuiorum eſt partium, magiſque tum ſiccat, tum terget. Althæa autem dicitur, quòd inter primas ſit vtilis, & pluribus polleat remediis, Dioſc.

Lib. 2. alimẽt. & li. 6. ſimpl. ἀλθαίνω & ἀλθέω curo, medeor.

Pli. c. 11. li. 10. Apium ſatiuũ eſt, cui gratia vulgo eſt, cuiuſq; rami largis

portio

portionibus per iura innatant, & in condimentis peculiarem gratiam habent. Quæ Plinij verba noſtrum vulgare petroſelinum magis indicant: atque idem σέλινον ὤυδμον, id eſt, odoratum, Theocritus 3. ἰιδυλλίῳ vocat. Sed apium vulgare eſt Dioſcoridis & Galeni Eleoſelinum, hoc eſt cum Gaza, Paludapium, quia in paludibus & ſecundum aquæductus naſcitur. Petroſelinum autem verum ex Macedoniæ aſperis & præruptis petendum. vt Galenus docet lib. 1. de antidotis. de quo in litera P. Quod verò Macedonicum petroſelinum vulgo dicitur, eſt hipposelinum, quod olus atrum ſeu pullum à Latinis appellari Hermolaus, Ruellius, Marcellus in Dioſcoride inſcripſerunt, quod meus codex Græcus non habet. Galenus autem verum Smyrnium (id eſt, vulgare Leuiſticum) ὀλούσατρον Romæ vocari iam conſuetũ ſcribit lib. 2. aliment. Omnia hæc ſelinorum, id eſt, apiorum genera idem pollent tota, ſed ſemine ſunt potentiora, & in his præcipuè Macedonicum calidum ſiccum ordine tertio.

Ari radix vt dracunculi, ex fimo bubulo podagris illinitur, eiuſdem cortex ſplenicos iuuat & hydropicos, Galeno lib. 9. comp. ph. part. calida ſicca primo ordine: incidit, tenuat, terget mediocriter.

Ariſtolochia, quia ſit ἀριστηλοχούσαις, id eſt, parturientibus optima & ſalubris, Dioſcoridi & Galeno triplex, radicis figura præcipuè diſtincta. Quę primo generi eſt tuberum modo rotunda, ob id & malum terræ dicitur: ſecundo digiti craſsitudine, dodrante longa: vnde (opinor) dactylitis dicitur lib. 2. comp. ph. gene. & lib. 7. cõp. ph. part. in arteriace Andromachi 16. Tertio longiſsima, quaſi vitium nouellarũ, ob quam clematitis. i. ſarmentoſa dicitur. Huius fructus putatur quibuſdam κόκκος orientis, vulgo Gallorum dictus, ſtupefaciendis piſcibus efficax, quã vim Plinius rotundæ tribuit. Quartũ genus addit Plinius, Piſtolochiã ſeu Polyrrhizon omnium tenuiſsimam, denſis radicis capillamentis iunci plenioris craſſitudine. Omnes valent tantùm radice amara & ſubacri, ſed rotunda omniũ eſt ſubſtãtia tenuiſsima: lõga verò terget moderatius: clematitis, quia odore eſt gratiore, & cortice carnoſo ad vnguenta (nardina Plin.) eſt quàm ad medicationes aptior. Præfertur Pontica, & huic Cretenſis lib. 10. compo. ph. part. Effodienda eſt meſsibus, & deſquammato terreno ſeruanda.

Gal. lib. 6. ſimpl. & li. 1. antid.

Pli. lib. 25. c. 8.

Aſarum

Aſarum Galli olim Bacchar vocabant, nunc ſyllabarum metatheſi Cabaret. Valet folijs, flore, ſemine, ſed efficaciſſimum eſt radice, ellebori albi modo purgatoria, Dioſc. Galenus tamen in hiera picra etiam aſarũ recipiente ſolam aloën purgatoriam vim habere ſcribit: aſarum verò humores malos ad vrinas deducere, lib. 8. comp. ph. part. & lib. 6. ſimpl. vires habere radicis acori ſed valẽtiores. Fodienda eſt cùm folia mittere incipit, & in ſole ſiccanda (niſi recens vtenda ſit) quia in vmbra ſitum celeriter trahit & ſeneſcit, præcipuè ex locis riguis, ex macris autem & ſitientibus (quæ imprimis amar) minùs eſt putredini obnoxia.

Aſphodelus Latinis Haſtula regia dictus, à caule inſigni ex multis radicibus bulboſis emicante, quibus agnatis abundat, interdum ad 80. Radice vtilis eſt tergente: eadem vſta magis calfacit, ſiccat, tenuat, digerit. Nunc porcorum cibus eſt, olim etiam hominum, muribus venenum. Autumno legitur, cùm valet plurimũm.

Lib. 2. alimẽt. & lib. 6. ſimp. Aſparagus, vel Athenienſiũ more per ph, Aſpharagus, vel etiam aphæreſi, Sparagus, generatim quidem eſt coliculus tenerior herbæ, fruticis, arboris, ad fructum & ſemen increſcens: ſpeciatim verò herba vulgo nota, eaque duplex, radice vtilis & ſemine ad detergendas renum & hepatis obſtructiones. Regij, qui in hortis naſcitur, & Helij, id eſt, paluſtris, meminit Gal. lib. 2. alimentorum: & huius etiam initio lib. 9. comp. ph. part. ad icterum: & illius lib. 5. ſimp. Petræi autem lib. 6. ſimpl. qui poſt inuentos altiles aſparagos Corruda propriè dicitur: Polluci aũt ſylueſtris aſparagus. Hic multò eſt ſatiuo efficacior. In aſparago mas à fœmina ſemine ſeparatur.

Gal. li. 6. ſimp. BRyoniæ, ſeu vitis albæ radix terget, ſiccat, & moderatè calfacit: ob hoc induratos lienes liquat ſumpta: & cum ficis admota, & pſoram & lepram ſanat: fructus verò eius maturitate ruber, racemoſus, eſt Pſilothrum vt planta ipſa. Nam ἄμπελον λευκὴν βρυωνίαν καὶ ψίλωθρον καλοῦσι. Gal. li. 6. ſimp. tamẽ ἄμπελον λευκὴν & βρυωνίαν ſeparat lib. 1. comp. ph. part. in pilos corrumpentibus medicamentis.

Behen Serapioni duplex, alba & rubra, magnitudine radicis paſtinacæ paruæ, calida, humida, odora, ſemen augens: ex Armenia defertur. Earum loco, ſi id ſolum poſſunt, Eryngij

radicem

radicem ſubſtituerem potiùs, quàm radices neſcio quas nobis ab inſtitoribus venditari ſolitas: ſed Ben eidem vt Meſue eſt Galeni Balanus myrepſica, de qua in Fructibus audies.

Calamus aromaticus κάλαμος ἀρωματικὸς Dioſc. Gal. μυρεψικὸς, id eſt, vnguentarius Hippocrati, Arabicus Plutarcho, Alexandrinus Celſo: calidus ſiccus ordine ſecundo, leuiter aſtringit, minimum acer eſt, partium nonnihil tenuium remediis ventriculi & hepatis calidis miſceri poteſt, ac menſes mouentibus. *Gal. li. 7. ſimp.* Melior eſt fuluus, intus albicans, odore fragrantiſsimo, denſè geniculatus arũdinis modo, cætera mollis tactu, lentus in frangẽdo: cõfractus autẽ in aſſulas diſsilit, non totus, raphani in morem rumpitur: fiſtula intus plena araneorũ, caſiæ guſtu, aſtringẽs, & cum quadam acrimonia amarus, in mandẽdo glutinoſus: In India naſcitur, triennio ſeruatur. *Dioſcor.*

Capparis radicis cortex amarus, acer, acerbus, terget, purgat, tenuat, incidit, digerit, conſtringit: lienes induratos & iſchiadas ob hæc magnificè iuuat, ſumptus vel cum idoneis remediis admotus. Eadem radix etiam hepatica eſt, lib. 8. cõp. ph. part. & ſplenica, lib. 9. eiuſdem. *Gal. li. 7. ſimp. & li. 9. comp. ph. part. in ſplenicis.* Flos eius & fructus aceto & ſale conditus primis menſis ad excitandam appetentiam ſumitur licet ſtomacho noxius, ſiticuloſus, aluũ turbare Dioſcoridi dicatur. Folia capparis trita cum mero pota ſplenica, lib. 9. comp. ph. part. admota cum virium vehementiam obtundentibus chœradas ſanant.

Centaurii magni radix acris, aſtringens, ſubdulcis, & ſubamara: vlcera glutinat, ſanguinem reiicientibus prodeſt: à Chirone Centauro Herculis ſagitta vulnerato inuentũ & nominatum Centaurium: annis decem ſeruatur Theophraſto. Centaurium autem minus radice inefficax eſt, foliis & flore vtilis, ſubaſtringẽs: ob amaritudinẽ Fel terræ dicitur Plinio.

Cyperis ſeu radix cyperi calfacit, ſiccat ſine morſu, ſubaſtringit, incidit, vlcera præhumida cicatrice claudit, calculos frangit, vrinam & menſes mouet, oris halitum commendat, vt lignum aloës verum. Cyperus Indicus inter zingiberis radices inuẽtus Curcuma Venetiis dicitur. Ad odoris gratiam cyperus additur tenuantibus capillos, lib. 1. comp. ph. part. à figura caulis iuncus triangularis Plinio: quadratus Celſo, licet rarò ſit quadrangulus: anguloſus Dioſcoridi non definito an-

gulorum numero. Cyperus Babylonicus Galanga (de qua mox) quibuſdam dicitur, vulgaris ſcilicet ac minor: nam maior Acorus eſſe dicta prius eſt.

Panisporcinus, quia porcis gratus. Cyclamini radix tota vehementer medicamentoſa, magis eiuſdem ſuccus: incidit, terget, ora venarum aperit, trahit, digerit, illitus abdomini ventrem purgat, per nares trahit, cum melle illitus ſuffuſos iuuat, ſcirrhos mirè emendat, menſes & ſudores mouet.

Dioſcor. Coſtus ſubamarus, modicè aſtringit, acer adeò & calidus, vt vlceret, Gal. lib. 7. ſimpl. & lib. 8. cōp. ph. part. mihi Lugduno miſſus à Carolo Paludano eius vrbis medico iure primario, ſi Hieronymũ Montuum nulli eruditione ſecundũ exceperis. Coſtus præcellit Arabicus, candidus, leuis, eximia odoris gratia, recens, abundè plenus, denſus, ſiccus, à teredinibus non eroſus. Secũdus eſt Indicus, vber, leuis, niger. Tertius Syriacus, grauis, colore buxeus, odore feriẽs. Coſtus Arabũ dulcis, & amarus, Græcis indictus: ſed *κόςος γλυκὺς* Arabas paſſim imitanti Actuario dicitur in ſecundo Dialachan, & paulò pòſt in diaromato. Coſtus autem hortenſis, herba quanquàm amara eſt, fuerit magis Piperitis aut Siliquaſtrum Plinii.

Cucumeris agreſtis radix terget, digerit, emollit: potentius eius ſuccus, Elaterium dictus, ſummè amarus, ordine ſecundo calidus: menſes mouet, cynanchis cum melle illinitur, ictericis cum lacte in nares trahitur & cephalalgicis.

DAucus ſemine vehementer calet, præcipuè agreſtis, triplex Dioſcoridi. Seminis ſolius in aliis generibus vſus inualuit, in cretico etiam radicis. Ob id Dauci Cretici radices ſcribit Gal. lib. 9. cōp. ph. part. in malagmate dia ſpermatωn.

Dioſcor. Dictamni radix guſtu calfacit, partus accelerat. Folia eius pulegio ſimilia, maiora, dẽſa lanugine obſita, in vſu ſunt præcipuo ad ictus & morſus venenatos, ac cætera, quæ præſtat pulegium: quo tamen ob eſſentiæ partium tenuitatẽ eſt efficacius. Horum foliorum vim largam Venetiis ad me attulerunt Simon Thomas, Stephanus Tullerius, Martinus Gregorius, diſcipuli olim mei longè doctiſsimi, nunc medici æqualium celeberrimi. Quæ autem vulgo circunfertur dictamni radix, eſt potius pſeudodictamni. Creticus laudatur potus & appoſitus. Metitur æſtate & autumno.

Doron

Doronicum Serapioni eſt radix parua, foris ſubflaua, intus alba, dulcis, calamo aromatico ſimilis: calida ſicca ordine tertio: flatus præcipuè vteri diſsipat, cordis palpitationi cōfert, ipſumq; roborat, venenoſis morſibus & ictis auxiliatur, ſumptum & admotum. In officinis habetur: καρναβάδιον dicitur Actuario, vires illi eaſdem tribuenti: tamen is in διάμβρα doronicum omittit, quod habet Meſues in diambra compoſitione prope eadem.

Dracunculi radix aro acrior, amarior, ob id calidior, tenuior, viſcera omnia purgat humoribus craſsis & lentis à ſe tenuatis, vlcera cacoëthe ſanat, vitiligines terget cū aceto illita.

ELenii radix odorata, ſubacris, amara, calfacit non primo ſtatim occurſu, ſiccatq; non exactè ob humorem in ſe recrementitiū, tandem verò etiam rubrificat, iſchiadas & affectus alios diuturnos ac frigidos: eclegmate cum melle, craſſa & lenta ex pulmone & thorace expectorat, ſerpentium morſibus prodeſt. Ex montibus & ſicco ſolo præſtantior, legitur æſtate, particulatimq; diſſecta ſiccatur, vel melle aut ſaccharo cōdita ſeruatur: ἑλένιον λευκὸν καὶ ἐρυθρὸν Actuarius appellat. *Enula Campana.*

Ellebori vtriuſque tum albi tum nigri radix multiplex, tenuis, ab oblongo & exiguo capite procedens, calida ſicca, ordine tertio: ſed nigra guſtu calidior, alba amarior: pituitam ac bilem vtranque vacuat, alba magis vomitu, nigra deiectione: alphos, lichenas, pſoras, lepras deterget. Alba melior Cyrenaica, nigra ex Anticyra: ambæ in montibus & aſperis locis meſsibus effodiendæ, in vmbra ſiccandæ.

Eryngii radix longiſsima, intus alba, foris nigra, odorata: calida, ad primū ordinē, ſicca ad ſecundū: tenuium partiū, ciet menſes & vrinas, morſibus venenatis reſiſtit, flatus diſsipat.

Eſula Serapionis eſt Pityuſa Dioſcoridis & Galeni, radice, ſemine, foliis, ſucco, tithymallorū more purgans: ob id etiam tithymalli ſpecies à quibuſdam putatur. Meſuæ & Auicennæ eſula parua, eſt tithymallus paralios, id eſt maritimus: magna verò eſt tithymallus platyphyllos, viribus tamen ſunt iiſdem valentibus, ſcilicet in purgando.

FOeniculus calidus ordine tertio, ſiccus primo, ſemine magis quàm radice, minus foliis quibus lac gignit, vt illis

vrinas & menſes magis ciet. Cortex radicis in vſu eſt frequenti, lib. 8. comp. ph. part. μαλαθροσπέρμου per λ vbiq; ſcribit Actuarius, id eſt, marathri ſemen.

Marathrũ cum Græcis.

Gal. li. 8. ſimp.

Filicis radix maximè vtilis, amara, ſubaſtringens, lumbricos latos necat, partum mortuũ eiicit, vlcera valenter ſed ſine morſu ſiccat impoſita, hepatis meatus probe terget ſine manifeſta calfactione aut refrigeratione. Gal. lib. 8. cõp. ph. part.

GAlanga Actuario Barbaros in multis imitato, eſt radix ſubrubra, geniculata, intorta, grauis, ſapore acerrimo linguam admodum vellicante, calida, ſicca tertio gradu, odore & figura quadam cyperi: vnde quibuſdam Cyperus Babylonicus dicitur, vt prius in Acoro & Cypero docuimus. Adulteratur cyperi radice aceto piperato macerata, ſed adulteratio intrò non penetrat. Coctionẽ iuuat, flatus diſsipat, oris halitum commendat, venerem excitat etiam ore retenta, cerebrum roborat naribus indita, cordis palpitationi prodeſt.

Serapio.

Gentiana radice eſt ob multam amaritudinem efficaci, ad tergendum, tenuandum, purgandum, obſtructa liberandum: propter quam aloë Gallica dicitur: à Gentio Illyricorum rege inuenta & dicta.

Dioſcor. Lib. 6. ſimpl.

Glycyrrhiza, Actuario ſæpe Glycyrrhizon, γλυκεῖα ῥίζα, & abſolutè γλυκῖζα, lib. 7. comp. ph. part. dicitur Romanis dulcis radix, nobis partium metatheſi Riglyce: radice ſola & ſucco ex hac recenti expreſſo, dulci, & leuiter aſtringente valet, tepida, temperato proxima, modicè humida, vnde quia ſitim ſedat, ἄδιψος quoque dicitur. Aſperitates lenit arteriæ & veſicæ ſcabræ. Melior nigricans & lenta, quàm buxea & fragilis. Puluis radicum eius pterygia ſeu vngues oculorum leuat. Dioſcorides.

Gramen, ſeu gramen pecori eſculentum radice eſt modicè frigida & ſicca, parum mordaci, ſubſtantiæ tenuitatem exiguam ſortita, qua calculos potu interdum frangit.

HErmodactyli duo faſtigia facit Meſues, vnum radice digitali longitudine, quod Ephemerum eſſe videtur Dioſcoridis, Galeni, & Pauli: radice oblonga, digitali craſsitudine, odoratum, iris agreſtis appellatum, repellendi & digerendi facultate præditum. Alterum radice rotunda, & ea

foris

foris vel nigra (quod Colchicum eſt ephemerum & deleterium, prædictis autoribus paſsim frequens, flore croci per autumnum erumpente) vel rubente, vel alba, vt intus, quam eligit ſolam, ſi craſſa ſit, ac modicè dura, & ex loco edito lecta: calida ſicca initio ſecundi gradus, ſtomacho aduerſiſsima eſt. Pituitam craſſam à iuncturis præſertim extrahit, ob id podagræ, & ipſi arthritidi prodeſt, per ſe, vel decocto ſumpta, aut etiam admota cum farina hordei, vitellis ouorum, mica panis. Hæc omnino eſt, quam Paulus Hermodactylum vocat, & ab vtroque ephemero ſeparat, veteribus indicta radix, vti & quæ rubens Meſuæ dicitur. An verò quæ in officinis oſtenditur, horum ſit Hermodactylus, vel Colchicum, diſcernere non eſt difficile his qui legunt, aut integras habent radices, nam delibratæ ad nos conuehuntur. Canis tamen largam eius vim per me depaſtus innoxiè, & multorum tutò hac radice purgatorum experientia quotidiana facit, vt credam vel Hermodactylum hunc eſſe Meſuæ, & neotericorum, veteribus indictum, vel ſaltem non eſſe Colchicum. Actuarium miror inter purgantia ſimplicia hunc non deſcripſiſſe, cùm toties eius meminerit in compoſitis medicamentis, ἑρμοδάκτυλον λευκὸν καὶ ἄλινον alicubi appellans. Serapio hermodactyli nomine principio Dioſcoridis Colchicum repræſentat, deinde etiam ephemeron. De omni hoc genere Muſa in examine ſimplicium, & Tagaultius ſuis in Meſue ſimplicia annotationibus doctis pariter ac luculentis accuratius ſcribunt.

IRidis radix laudatior parua, denſa, frangi contumax, ſubruffa, amara, ſternutamenta dum tunditur ciens, odorata, qualis ex Illyride mediterranea Dioſcoridi, Galeno, cæteris omnibus prædicatur: ob id eam Illyridem vocare conſueuit Andromachus. Elige autem in Illyricæ genere odoratiorem: nam vnumquodque eſt præſtantiſsimũ, quod generis ſui odorem habet valentiſsimum. Iris autem quæ ex Libya magna Romam affertur, tantum ab Illyrica deficit, quantum corpus mortuum à viuo. Quæ autem in aliis regionibus creſcit, non ita multum deficit: vnde Iris Gallica alba purgata vſurpatur, lib.8.comp.ph.part. & hodie paſsim Florentina pro Illyrica nobis obtruditur. Iris coquit, tenuat, calfacit, pituitã craſſam

Lib.2.antidotorum.

Lib.6.& 9.c.ph.p.

Lib.1.antid.

Lib.9.c.ph.p. Dioſc.

& bilem purgat,humorem ex pulmonibus craſſum expectorat.Ireos ſylueſtris radix lib.10.comp.ph.part.ephemeri radix videtur accipiēda, de qua nūc in Hermodactylo egimus.

Lib.6.ſim.

Iſatidis radix in dia chamæmelo Actuario ea eſt amara, aſtringit valenter, ſiccat ſine morſu, ob hæc vulnera magna etiam in capitibus muſculorum duræ carnis glutinat.

Gal.li.7.ſimpl.

Lilii radix terget primo ordine, digerit moderatè, emollit,mēſes ciet,vulnera glutinat,etiam in capitibus muſculorum cum melle miſta. Eadem præſtat foliū, ſed imbecillius. Flos verò ſubſtantia conſtat miſta ex tenui & terrea, & aquea: coctus ex oleo mollit,& citra morſum digerit.

Gal.in fine c. ph.p.

Lilii radix mollit,coquit,terget,diſcutit:ob hæc vitiligines,lepras, pſoras,achoras,furfures emēdat,Dioſc.addito melle,vel alio, vim eius tergendi imbecillam augente,Gal.lib.7.ſimpl.

Gal.li.7.ſimpl. & Dioſc.

Mandragoræ maris ceu præſtantioris delibratæ radicis cortex craſſus,lino traiectus ad vſum ſuſpēditur, refrigerandi valētiſsimæ,vt ordine tertio,& ſiccādi primo. Eiuſdem & pomi ſuccus prælo expreſſus,inſolatuſq; donec cōcreuerit,fictili reponitur ad vſus eoſdē: ſed in pomo cum calore quodā eſt aliquid humiditatis,à qua eſt ſoporiferum.

Lib.1.antidot. Lib.9. c. ph.p. & lib.7.ſimp.

Meum nobis frequens,Dioſcoridis picturam explet,tamē præſtantius Macedonicum,aut Hiſpanicum:ſed Athamanticum laudat Andromachus minor in ſua theriace. Calidum eſt ordine tertio,ſiccum ſecundo, vrinas & menſes mouet, vt aſarum,ſed largo vſu,cephalalgicum eſt.

Lib.8.ſimpl.

Nardi ſpica & radix, calida exceſſu primo, ſicca ſecūdo: aſtringit,ſubacris,& leuiter amara,iecur & ſtomachum roborat,ſumpta & admota, vrinā ciet, fluxiones inteſtinorū, capitis,thoracis ſiccat. Nardus igitur miſtæ eſt ſubſtantiæ & facultatis tum digerentis,tum repellentis,& roborantis.Nardus prætereà vim habet non exiguam coquendi omnes frigidas diſpoſitiones.

Lib.6.& 8.c. ph.p. Lib.9.c.ph.p. Lib.6.c.ph.p.

Ea eſt multiplex,præſtantiſsima eſt Indica, ſecundo loco Gallica,pòſt Cretica,& quæ apud nos montana ex Cilicia,& nardina herba potius quàm nardus vocatur. Radix nardi Indicæ, & apud nos montanæ modicè aſtringit. Nardus Indica quanquàm radix eſt, tamen etiā νάρδου στάχυς. ſeu

ſeu cum Actuario & Hera.lib.6.comp.ph.part. in diabeſaſa *Lib.I.antidot.*
ναρδόσταχυς, id eſt,ſpica nardi,à ſimilitudine formæ cũ ſpica.
Tamen Philo in ſua antidoto Creticã nardum,vel vt alii eius
ænigma interpretantur,Indicã radicis falſo nomine dici au-
tumat,quoniam ſpica nardi nuncupant. Nardi Gallicæ cum *Lib.9.c.ph.p.*
radicibus & terra circundata faſciculũ vnũ cum aliis ad co-
lumellas laxatas adhibet Archigenes: aſtringit enim & dige-
rit nardus Gallica, ambo mediocriter. Nardi Celticæ flores
vſurpãtur lib.8. eiuſdẽ in tertio Andromachi medicamento.
Nardus autẽ Gallica,ſeu Celtica dicitur: nam gentem eandẽ *Lib.6.c.ph.p.*
Gallos, Galatas, & familiarius Celtas appellant. In Liguriæ *Ibidem.*
alpibus ea naſcitur Dioſcoridi. Radice igitur vtilior apparet *Lib.1.antidot.*
ex initio lib.8.ſimpl. & locis prædictis,ſpica tamen non inuti
lis. Laudatur enim recens, leuis, larga coma, ſpica breui,fla-
ua,odoratiſsima,cyperum redolente,diuq́; in ſua odoris gra-
tia permanens, amara, linguam mordens. Nardus etiam *Lib.7.c.ph.p.*
Syriaca vſurpatur in arteriace 12. Andromachi,ſed imbecil- *Lib.1.antidot.*
lior eſt quàm Indica. Fugienda nardus quæ ἔκπλυτος, id eſt
elota dicitur, & eligenda quæ ὄμφας lingua Barbarorum di-
citur.Spica vulgaris,odoris & ſaporis gratiam illam non ha-
bet,imo inter coquendum odoris eſt grauiſsimi,& ęgros læ-
dit:eſtq́; verius pſeudonardus,quàm vera nardus.

OEnanthes radix in multa capitella ceu oliuæ fructus ex- *Dioſc.*
tuberans, ex vino ſtranguriæ ſubuenit. Oenanthe au- *Vitiſlora.*
tem vitis agreſtis ac erraticæ flos cum germine aſtringens in
vſu eſt frequentiori Medicorum. Gal. initio lib.8.comp. ph.
part.& lib.7.meth.

PEtroſelinum,id eſt,apium petroſum omnibus notum, in *Gal.li.1.antid.*
regione Macedoniæ præcipiti nec magna laudatiſsi-
mum naſcitur, hoc eſt, acerrimum & ąmariſsimum, maxi-
mè ſi recens fuerit, ſed paucum, à qua Eſtreaticum dicitur
& Macedonicum. Plurimum verò in Epiro gignitur, ex qua
in Macedoniam comportatum, & propè totum in Theſſalo-
nicen. inde tanquam Macedonicum à mercatoribus diuehi-
tur: alioqui vniuerſis gentibus non ſufficiat. Quomodo mel
Atticum melle ex Cycladibus locupletant,proq́; Attico ven-
dunt: & vinum Falernum in parua quadam Italiæ regione

paucum genitum, ſic ab indigenis adulteratur, vt in omnem Romanorum imperio ſubditam regionem feratur. Si autem Eſtreaticum Macedonicumq́; petroſelinum deſideras, nihil peior, ſed minus amara erit theriace, & alia antidotus, ſi alterum iniiciat. Nō enim deleteriis pharmacis, aut virulentarum beſtiarum morſibus adeò aduerſatur, quod principaliſsimum eſt theriaces promiſſum: ſed id hydropicis, imbecillibus, & aliis quibuſdam ſimilibus affectibus ſuccurrit. Hæc Gal. lib. 8. ſimpl. Calidum ſiccum ordine tertio, acre, & amarum, incîdit, vrinas & menſes affatim ciet, flatus diſsipat: ſemine tamē quàm radice & foliis eſt valentius: quapropter id maximè in vſu eſt.

Gal. li. 8. ſimpl. *Dioſc.* Pyrethrum ab ignea & cauſtica vrenteq́; vi dictum, qua manſu ſaliuam potentius, quàm pro caloris modo elicit: vnde & Saliuaris quoq; Latinis dicitur. In Apœnino frequens, annis quinq; ſeruatur: affectibus omnibus frigidis efficax.

Manardus in epiſtolis. *Lib. 6. ſimpl.* Pæoniæ maris radix longa, althææ æmula, cōtra epilepſiā & melancholiā recēs collo appēdenda potius quàm fœminæ radix. Luna autē decreſcēte hanc legi volūt: leuiter aſtringit, ſubamara eſt cum quadam dulcedine & acrimonia, ſi diutius mandas, menſes ciet, obſtructa hepatis & renum expurgat.

Lib. 8. ſimpl. Peucedani radix calida ordine ſecūdo, ſicca tertio: incîdit, tenuat, digerit, affectibus neruorum frigidis, lieni indurato, pulmoni farto pituita craſſa, lenta, vlceribus contumacibus auxilio eſt. Succus ex hac expreſſus valentior eſt.

Phu Dioſcoridis, & cæterorum Græcorum, noſtræ Valerianæ plurimū exprimūt, niſi florum, qui in muſcario puſilli ſunt, magnitudo deſideretur. Phu Ponticum aliquid habet ſimile nardo, & petroſelino, & cæteris ſeminibus vrinam mouentibus. lib. 8. & 9. comp. ph. part. antidotis inſeritur.

Lib. 8. ſimpl. Polypodii radix dulcis, & auſtera, multum ſiccans, ſed ſine morſu, purgādi vim tacet Gal. bilem, pituitamq́; trahit, Dioſcoridi. In quo non bilem ſed melancholiam legit Serapio: *Meſues.* ſic & Meſues, & alii poſt eos plerique, melancholiæ purgatricem vim tribuunt. Sit craſſum, ſolidum, cirroſum, ex rubro nigreſcens, colore intus herbaceo, vt piſtacium recens, quercubus innatum potius quàm ſaxis & muris: aliis contrà videtur, niſi aſtringendum ſit.

Pentaphylli radix ſiccat ordine tertio, ſine morſu, tenuiū eſt

eſt partium, minimum acris, & calida: Tormentilla putatur Leoniceno, Manardo, Ruellio, quæ nunc quinquefolia, nunc ſeptemfolia his & mihi ſæpe viſa eſt: vti & vulgare quinquefolium etiam ſeptemfolium frequenter eſt: vti & Eupatoriũ, quod etiam dicitur Pentaphyllum Galeno lib. 5. ph. part. Hæc radix in theriacen recipitur, & noſtra tormentilla venenis & peſti reſiſtere experientia multa eſt certiſsimum, vt ſi non ſit eadem, eius loco vſurpari poſsit.

RHa, Rhaon, Rheon, Rhion, radix nigra, coſto nigro foris, centaurio magno intus ſimilis, ſed minor & rufior, fungoſa & laxa, aliquantulum leuis, ſine odore, teredinibus non exeſa, quæ manſa colorem reddit pallidum, ad crocũ inclinantem, facilè fragilis, amara: præter hæc legit in Dioſcoride Serapio, aſtringens, ſi pluſculum mandatur, ſubacris: ſanguinem expuentibus, cœliacis, dyſentericis cõfert. Ex riguis ad Rha fluuium ſupra Pontum (vnde Rha Ponticũ Græcis & Latinis, & radix Pontica Celſo dicitur) & Boſphorũ ſeptentrionali tractu affertur: parum purgatoriũ experientia poſteriorũ, licet inuentu ſit rariſsimum, & hodie propè ignotum: obſcuratum opinor à Rha barbaro ſeu Indico, quod ex India meridionali in totam propè Europam quæſtu maximo cõuehitur, odoratum, grauitate inſigni commendabile, aſtringens, amarum, cholagogum magis, colore dum manditur planè croceo. Quod ſiue idem ſit genere cum Pontico, viribus tamen, colore, odore, pondere nonnihil diſsimile ſoli & cœli ratione: ſiue omnino diuerſum, aliis diſquirendum relinquo, quibus plus eſt otii, & facultatis: cùm præſertim etiam celebres hodie medici in ea cõtrouerſia ſibi nõ conſtent, & nunc idem, nunc diuerſum affirment. Manardus nanq; in epiſtolis nunc idẽ nunc diuerſum cenſet: Meſues & Serapio ſuo Rha barbaro tribuũt omnia, quæ Dioſc. & Gal. Rheo. Mihi ſatis fuerit admonere, in locum Pontici iam propè deſiti Indicum viribus proximum, & vbique copioſum potius eſſe ſufficiendum, tanto tamẽ parcius quanto efficacius, in Græcorum compoſitionibus, quàm cẽtaurii magni radicem minimo viriũ commercio cum Pontico conuenientem. Præſertim autem ſufficiendum eſt, quòd in Indico eſt aſtringẽs magis, minuſq; purgatorium, quale multum inuenitur: aut ſaltem eius

Rha ponticum Dioſc.

Gal. li. 8. ſimpl.

macerati vel aſsi magma, prout Medicus iudicauerit. In Arabum autem compoſitionibus vtrũq; diſtinguitur, illud Rheu Ponticum, hoc Raued Seni appellatum. Rhion vel ῥῆον Ponticũ, vel Rhiu Pontici radix ferè Galeno dicitur in cõpoſitis medic. part. 7. & 8. & in antid. ῥῆον ποντικὸν, & ῥῆον βαρβαρικὸν, Actuario: & Rheu Pontici radix idem Põtica radix in Eſdræ antidoto: ῥῆον ἰνδικὸν Actuar. in διακαλάχαν pro Raued ſeni Meſuæ. Seruatur annis 3. 4. pſillio, milio, cera oblitum ſola, vel cum terebinthina. Quod autem vulgus Europæ pro Rha Barbaro in hortis paſsim ſerit, Lapathi genus omnino videtur, licet radicis colore Rha Barbaro nonnihil ſit affine, viribus autẽ plurimum abeſt. At cùm reliqua Rhei vtriuſq; hiſtoria nemini ſcribatur, ſed radicis ſolius, conuincere nequeas, congenerem plantam vel degenerem & diuerſam, niſi ex partis vnius natura.

Meſues.

Rubia ſatiua radice acerba, & amara, lienẽ & iecur expurgat, vrinas craſſas, multas, ſæpe etiam cruentas, & menſes mouet, alphos albos cum aceto terget. Cortex Rubiæ recipitur in antidotum ad lienem Actuar.

ΣΑρξιφάγον Græcorũ à noſtra vulgari Saxifraga diuerſum, tamẽ vtrũq; calculos renũ cõfringere certũ eſt: hoc multa neotericorũ experiẽtia, illud Galeno in theriace ad Piſonẽ, & lib. 5. ſanit. tuendę: quod eſſe Betonicã inde patet κέστρον ἢ ψυχρότροφον (quod locis alſioſis gaudet Dioſc.) ῥομαϊστὶ δὲ βετονικὴ amariuſcula eſt, ac ſubacris, incîdit, calculos renũ rũpit, &c. lib. 7. ſimpl. & apud Dioſcoridẽ capite ceſtri ſeu betonicæ. ἐπὶ δὲ τῶν λιθιώντων, καὶ βετονικῆς τι πόας μίγνυται, καὶ κέστρον τὸ παρὰ τοῖς κελτοῖς γινομένον, καλοῦσι δὲ τὴν βοτάνην ταύτην σαρξιφάγον. libr. 5. ſanit. tuendæ in ſene calculoſo: niſi quòd hîc betonicam à ceſtro videtur ſeparare, ſi pura eſt lectio, aut καὶ pro ſiue, vel id eſt, capiendum. Hac opinor cauſa Ruellius ætatis noſtræ doctiſsimus medicus ex Dioſcoride caput de Sarxiphago diuerſum à capite de Betonica expunxit. Radix ſarxiphagi Actuar. paſsim vſurpatur.

Gal. li. 8. ſimpl.

Scilla calida ordine ſecundo, admodum incîdit: aſſam aut elixam ſumi præſtat, vt virium eius vehementia exoluatur. Legenda ex terra quando folia eius & caules omnino aruerunt, lib. 1. antid. Scillæ albæ ſegmenta ſeu taleolæ cultello ligneo ſeparatæ, lino traiectæ modicis interuallis ne ſe cõtingant

gant,in vmbra ſiccantur diebus 60. vt ex his fiat acetum ſcillites. Alba eſt maſculus, eaq; vtilior quàm fœmina nigra. De ea leges plura in cōpoſitis medicamētis de Paſtillis ſcillinis. *Dioſc. Plinius cap. 9. lib. 20.*

TAmarix, ſeu Myrica, fructu, radice, foliis extremis ramulis terget, incîdit ſine manifeſta ſiccatione, parum aſtringit, tenuium partium, lieni indurato cum aceto aut vino coctis prodeſt: fructus & cortex valentiùs aſtringunt. Fructū tamen & ſuccum & non radicem adhibet ſplenicis remediis, lib. 9. comp. ph. part. Quinetiam trunco in vaſcula vel potoria vel eſcaria cauato, lienem arcano quodam odio ſuibus & hominibus longo vſu abſumit. *Tamariſcus lib. 7. ſimp.*

Thymelæa Dioſcoridis, eſt Mezereon Meſuæ, vt patet conferēti fructum, myrti baccæ æmulum vtrique, quod granum gnidium dicitur Dioſcoridi. Folia quæ oleæ ſimilia faciunt ambo, ſed anguſtiora Dioſ. maiora Meſues: ramos Meſuæ bicubitales, Dioſcoridi tripedaneos. Cùm hi chamelææ (quam nonnulli mezereon putant) ſint dodrantales & palmo tantùm alti: vnicam autem thymelæam facit Dioſcorides: multas mezerei ſpecies facit Meſues.

Turbith Serapionis, eſt Tripoliū Dioſcoridis ad verbum. Turbith vel Turpetū Actuarij duplex, eſt Dioſcoridis, Alypon & Pityuſa, quam etiam Turpet à Barbaris vocari ſcribit: nec fortè vox ea cum Leoniceno & aliis quibuſdam expungenda ex Dioſcoride fuerit, quum alias pleraſq; appellationes barbaras interponat. Turbith autē Meſuæ quibuſdam videtur ſecunda tithymalli ſpecies. In hac opinionum varietate de radice hodie parum comperta, & quæ viribus maleficis eſt prædita (quanuis enim crudam, & craſſam, & lentam pituitam purgare dicatur, magno id ſtomachi, cordis, & aliarum partium incommodo præſtat) ſatius eſt eius loco vel agaricum, vel aliam phlegmagogam ſubſtituere. Laudant Arabes eius corticem album, gummoſum, vacuum, arundinaceum, recentem, friabilem: corrigunt zingibere, & formatis ex eo trochiſcis.

ZIngiber Galeno & aliis cum indigenis ferè dicitur, quibuſdam Zinziber, aliis Gingiber: radix eſt herbæ graminis modo ſerpentis, candicans, odorata, piperis ſapore & viribus,

viribus,niſi quòd tardiùs calfacit,ſed diutiùs, vti longum piper,ob humiditatem excrementoſum:cuius occaſione vtrūq; teredinibus facilè tentatur.Condiendum recens omnino eſt, nunquam vetus impoſtorum more. Mittitur ex Arabia & Troglodytica.

Zurumbet Serapioni,Auicennę aliisq;,&Zedoaria,ζοῦδαρ Actuario in aurea antidoto dicitur, ζάδουαρ eidem in διακυμίνῳ, & in diantho, alibi ζάδιρα & ζάδουαρ. res eſt ac nomen barbarum,Græcis prioribus incognitum.

Eſt autem radix ariſtolochiæ rotundæ æmula, ſapore & colore zingiberis:calidum ſiccum gradu ſecundo:flatus diſsipat, odorem allij, cepæ, vini tegit, morſui venenato reſiſtit, vomitum cohibet.

DE HERBIS.

QVAE priùs in radicibus dicta ſunt de collectione, repoſitione, duratione illarum, ad herbas trāsferri poſſunt, niſi quòd his ferè recentibus vtimur, quibuſdā omnino, vt portulaca, lactuca,bugloſſo,atriplice beta,braſsica,acantho,naſturcio,helxine,mercuriali,viola nigra,intybo,fumaria,hyoſcyamo,mandragora, & aliis permultis. Quibuſdam verò recentibus vtimur, quando his mitioribus opus eſt, vt ruta, mentha,abſinthium,abrotanum: recentes minùs calent ob miſtam humiditatem excrementoſam : ſiccatæ verò calidiores ſentiuntur : & fumaria recens minùs aluum ſubducit : magis ſicca.

Gal.lib.7. ſimplic.

Colliguntur ferè cum floribus herbæ , aut ſeminibus, ſic benedictus carduus acanthium putatus,centaurium paruum, calaminthe,chamædrys,chamæpitys,daucus,fumaria,maiorana,polium,pulegium,origanum,ſerpillum,thymus:aut ſaltem cùm vigent folia magnitudine,odore,colore,præſertim quæ cacumini ſunt propiora.

Siccantur in vmbra magis, niſi ſi quæ ſcapo ſunt craſsiore,aut folio humidiore,& ob id apto putrere. Vbi probè ſunt ſiccatæ, reponūtur vti radices,ſed minùs diu ſeruari poſſunt: ob id quotannis mutandæ.

Abſinthi

ABſinthium triplex forma, ſapore, facultate
planè diuerſum, vt interim natales omittã.
Primum generis nomine dicitur, quale pręſtantiſsimum eſt Ponticum. Id folio & flore
eſt multò minore, quàm cætera abſinthia, et
odore non inſuaui, ſed aromatum quid pręferente, qui reliquis omnibus planè fœdus: quapropter hæc *Lib.11. metho.*
fugienda. Vtendum autem ſemper Pontico ad ventriculi
& hepatis phlegmonas, ad tergendum, purgandum, ſubducendũ prauos humores ſtomacho hærentes, & roborandum
dictas partes contrahendo & cõſtringendo. Cùm enim omni abſinthio duplex ſit facultas & qualitas, in Pontico aſtringens quidem plurima eſt, amara verò exigua: ob id calidum
eſt exceſſu primo, ſiccum tertio. In cæteris abſinthiis, vt abrotano, amara eſt vehementiſsima, aſtrictio autem obſcura, aut
prorſus nulla guſtu ſentitur: ob id ſtomacho ſunt hæc inimiciſsima. Ponticum prætereà terget ſordes tunicarum ventriculi, nõ tamen ſi quid altius in eo imbibitum eſt, foras extrahit, aut expellit, aut ſaltem parũ id præſtare valet ob iunctam
inſignem aſtringendi facultatem. Hiera autem picra propter
id excogitata ſalubriter, illud ipſum poteſt. Ponticum autem
videtur eſſe, quod Romanum Meſues vocat, quodque paſsim
hodie viſitur. Diuerſus enim Meſues Galeno tãtum eſt, quòd
ſiccum tertio gradu hic, ille ſecundo ſcribit. Quæ controuerſia in aliis ſimplicibus multis eſt inter medicos etiam doctiſſimos: quorum vnus in fine, verbi gratia, primi vel ſecundi,
alter in principio ſecundi vel tertij intelligit: quę ambiguitas
etiam Galeno ipſi eſt in anetho, praſio, ruta agreſti, & aliis
permultis. Nam quòd ſuccum eius dicit Meſues ob nitroſam qualitatem nocere ſtomacho, ipſi Galeno id non aduerſatur ſcribenti, ſuccum longè ipſa herba eſſe calidiorem.

Lib.8.c.ph. par. in hiera picra Gal. lib. 6. ſimpl. initio et fine.

Lib.6. ſanit. tuen.

Noſtrum autem vulgare abſinthium ſarmentoſum, folio
& flore multo maiore, quàm cætera tria abſinthia: veteribus
inter abſinthia comprehenſum non videtur, niſi eſſe velis abſinthium primum Dioſcor. quod vulgò notum dicit, & βαθύπικρον, vel potiùs βαρύπικρον vocari à multa amaritudine,
qualis in aloë, cui ſubſcribitur Dioſcoridi, à qua vulgus aloinam & forte appellat. Id autem ſi primum in Dioſcoride
recipias, quænam alia in eo ſtatues? Tamen id ad lumbricos,

vti &

vti & ſantonicum, eſt efficaciſsimũ ſumptum & admotum.

Lib. 6. ſimp. Abrotanum fœmina foliis ſeriphio & cypreſſo proximis, albioribus: vnde cypreſſus & chamæ cypreſſus vulgò dicitur. Mas verò abrotanum generis nomen tenet, calidũ ſiccum tertio receſſu à mediis, admodùm amarum, coma cum floribus vtile, vt abſinthium, & cineribus ſuorum ſarmentorum ad pilos reddendos.

Lib. 6. ſimpl. Acantha, vel Acanthus branca vrſina vulgò: foliis modicè digerit, radice ſiccat, leuiter incidit, eſt tenuium partium, emolliendæ aluo iniectionibus hodie deſtinata.

Li. 1. c. ph. p. et lib. 6. ſimp. Adiantum, ſeu Polytrichon calido frigido temperatum, guſtu acerbo, ſiccat, tenuat, digerit, ob id ſtrumis confert, lapides frangit in nobis, craſſa & lenta ex pulmone educit, capillos reddit, prꝗſertim vſtum. Triplex Dioſcoridi eſſe videtur: primum ſpeciatim Polytrichon vocat, Adiantum album Theophraſtus, Gaza cum vulgo Capillum Veneris. Alterum Trichomanes, nigrum Theophraſtus, vulgus Polytrichon. Tertium foliis filicis, vulgò Adiantum, vt Dioſcoridis textus hoc loco mancus videri poſsit. Nam foliorum filicis & lenticulæ tam diſsimilium bis in eodem adianto non meminiſſet. Quartum addi poteſt Saluia vita vulgò dicta, quartanis curandis efficax eſt. Galenus adiantum non diuiſit, fortè quòd omnium eadem ſit facultas. Callitrichon à nonnullis Trichomanes dicitur: tamen qui de herbis ſcripſerunt, adiantũ vocant callitrichon potiùs quam trichomanes: Polytrichon autem & callitrichon diuerſa facit, lib. 1. comp. ph. part. Recens melius, niſi cùm ſiccandum & aſtringendum valentius.

Ga. lib. 2. c. ph. p. in caluitio intempeſtiuo.

Agnus caſtus, iunctis ambobus vulgò. Ἄγν@, id eſt, caſtus, quòd ad caſtitatem conferat, foliis & floribus ſumptis & ſubſtratis, & ſemine frixo, vel non frixo: id enim ſumptum, vt ſemen rutæ, nocturnas veneris imaginationes cohibet, lib. 6. ſim. & libro 6. ſanit. tuendæ. Calfacit, ſiccat ordine tertio, acris eſt ac aſtringens, & ſubſtantiæ multum tenuis, flatus omnium maximè diſcutit. Ob id lege libro primo alimentorum calfacit, non cum Græcis exemplaribus et veteri interprete refrigerat, quod effecta illic adſcripta indicant. Item lib. 2. comp. ph. part. de cephalalgia ab æſtu, vbi Agnum inter refrigerantia commemorat: & paulò pòſt vbi Archigenis dicta diſtinguit, folia lauri calidiſsima, Agni verò mediocriter refrigerant, legerem non ἄγνου ſed ἀκίνου, quę

planta

planta Dioſcoridi refrigerat, & aſtringit, etiã ſi Galenus fortè alibi nuſquàm ea herba ſit vſus. Neq; enim placet eluſio, quòd per accidens refrigerat: id enim etiam foliis lauri & calidis omnibus commune eſt.

Alyſſos herba marrubio ſimilis, aſperior tantùm, & ſpinoſioribus pilulis, flore cœruleo, aduerſus rabiem efficaciſſima, vnde illi nomen. Legenda autem ſub feruenti æſtu caniculæ: ſiccata trita creta reconditur, ne quid viriũ eius expiret. *Gal. lib. 2. antid. & Aët.*

Anethum calidũ ſecundo ordine, ſiccum primo, tenuium partium, digerit, ex oleo decoctum dolores ſedat, ſomnum conciliat, crudos humores coquit, præſertim viride, quia minus calidum & humidius eſt. Vſtum autem calidum ſiccum gradu tertio fit, vlcera præhumida præcipuè pudendorum & præputij cicatrice tegit. Coma florum odoratiſſima, & ſemine nobis conſuetiſſimum eſt. *Lib. 6. ſimp.*

BEtonica amariuſcula, ſubacris, incîdit, calculos renum frangit, pulmonem, thoracem, hepar purgat & terget, menſes mouet, epilepticis, acidum ructantibus, iſchiadicis, pota prodeſt: admota autem vlceri, omnibus beſtiarum morſibus. Vide σαξιφράγον.

Beta viridis, alba, & nigra, nitroſæ eſt facultatis, qua digerit ſine calore manifeſto, terget, per nares purgat, alba adhæc valentior: nigra ſubaſtringit, præſertim radice: coquendo has vires exuit. *Li. 8. ſimp. & lib. 1. c. ph. p.*

Blitum imbeciliter refrigerat & humectat, lib. 2. cóp. ph. part. in ſecundo receſſu à temperatis, lib. 6. ſim. iã vulgare eſt.

Braſsica eſculenta ſapore nitroſo, parum acri, ſiccat, terget ſumpta & admota, induratas phlegmonas digerit, lepras terget, vlcera etiam maligna glutinat. Cinis vſtorum eius caulium ſiccitate eſt cauſtica, cum adipe veteri miſtus veteratos laterum dolores diſcutit. Braſsicæ ſylueſtris ſemen maximè tenuat, efficaciter ſiccat, & digerit, lib. 9. comp. ph. part. *Caulis. Gal. lib. 7. ſim.*

Braſsica marina ſubſalſa, & ſubamara, ventrem deiicit, & cætera præſtat, quæ has qualitates ſequi conſueuerunt. *Soldanella.*

Bugloſſus bubula lingua Catoni dicta, calida humida, ob id vinis iniecta lætitiæ ac hilaritatis cauſa eſſe creditur, vnde Euphroſynon Græcis vocatur, & nobis Corago, corruptè Borago, Her. tuſsi ob faucium aſperitatem natæ cocta *Gal. lib. 6.*

in meli

in melicrato confert. Iulio mēſe colligitur Dioſc. Bugloſſum magnum, Cirſium Dioſcoridi dictum, Bugloſſus vulgaris videtur, caule dum veterauit triangulo, vel in triangulum inclinante, tūcq; tam ſpinoſo, vt citra noxam non tangatur. Notæ tamen quædam Dioſcoridis in vtroq; deſiderantur.

CArduus à noſtris Benedictus, ob ſingularem plantæ totius amariſsimæ facultatē aduerſus peſtilentes, putresq; alios affectus: an verò ſit acanthium vel chamæleontis quædam ſpecies, dictu facile non eſt ob imperfectam horum hiſtoriam.

Lib.8.ſimp. Cichorium, Romana lingua Intybum olus dicitur, Gal. lib. 2. comp.ph.part. Id verò & reliquæ ſereos ſpecies, foliorum magnitudine & cultu diſtinctæ, facultatibus parum diſcrepant, niſi quòd agreſtia ſatiuis ſint ſicciora & amariora. Omnia enim hæc ſubamara ſunt, ſubfrigida, modicè aſtringentia: ſed agreſtia frigida ſicca ſecundo ordine: domeſtica verò magis refrigerāt, & in his multa humiditas miſta ſiccitatem extinguit. Ob hæc hepatis intemperiem calidam tum ſolam, tum cum corruptis humoribus & ichoribus maximè iuuant refrigerando, roborando, ſimam eius partem & gibbam obſtructione liberando: præſertim ſi cum vino albo bibatur, & cum melle, ſic enim illos humores per vrinas pellunt: nec frigidam multùm lædunt, vt alia permulta, quę ſunt frigida humida ſine amaritudine & aſtrictione: ſumuntur ſucco, decocto, puluere, lib.8.comp.ph.part.

Chondrilla omnis, & Sonchus, & Hieracium vtrunq; ſereos ſpecies etiam Dioſcoridi & Galeno putata, & ſereos ac cichorij nomine etiā ab his & aliis dignata (licet Chondrillam lactucæ non ſeri iungat, lib.2.alimentorum) vt forma & temperatura ſunt affines, ſic viribus minimum diſcrepant. Ob id ea tanquàm congeneria iungit Dioſcorides. Pro Intybo autem vulgus Endiuiam re & nomine corrupit, vt pro ſeri ſcariolam quaſi ſeriolam dicere tentauit.

Lib.6.c.ph. par.& lib.7. ſimp. Calaminthe, vel cum Nicandro Calaminthum, Galeno duplex eſt: domeſtica, & eo efficacior mōtana, quam ab Andromacho minore miratur Nepithā voce Romana potiùs quàm Calaminthen Græca vocari in ſua theriace, cùm cætera Gręcè appellarit. Dioſcoridi triplex eſt, primò montana, vulgare

calamen

calamentum: ſecunda pulegium ſylueſtre,tertia herba cataria Ruellio videtur. Muſæ cōtrà,tertia vulgare calamentum, ſecunda cataria putatur. Ob imperfectam omnium hiſtoriam in hac ſententiarum varietate iudicium difficile, καλαμίνθην πόλάμιαν addit Aë. Galeopſis autē quæ vulgò herba cataria putatur, eſſe vrtica fœtida purpuraſcētibus floribus videtur. Calaminthe calida ſicca gradu tertio,acris,parū amara, tenui ſubſtantia,cutim calfacit,mordet,ſugit,poſtremò vlcerat: tamen eius ſuccum vulneri etiam cerebri meningas diuidenti infuſum, milii farina ſicca ſuperiecta glutinare affirmat Archigenes apud Gal.lib.2.comp.ph.part. *Lib.1.antid.* *Lib.7.ſimpl.*

Chamædris, id eſt, quercula, amara, ſubacris, calida ſicca tertio gradu,ſed calidior paulò quàm ſiccior. Ex Creta Cæſari afferebatur ad theriaces compoſitionem: tamen vbique naſcitur, etiam in Romæ ſuburbiis, odore & guſtu quàm Cretica vehementior, præſertim ſi multo imbre non fuerit irrorata, quamuis hac campeſtris ſit melior. Prægnans ſemine cum Dioſcoride, aut ſucco cum Plinio, aut etiam flore cum Galeno carpitur. *Lib.8.ſimpl.* *Lib.1.antid. Gal.*

Chamæpitys,id eſt,pinus pumila,quòd odore & foliis eam imitatur, Aiuga Idea Scribonio dicitur, aliis Abiga, vulgo Iua: calida ſecundo gradu,ſicca tertio: amarior quàm acrior, terget,purgat, obſtructum iecur liberat, ictericis, iſchiadicis cum mellicrato pota ſuccurrit, menſes, vrinas ciet, viridis vulnera magna glutinat,vlcera putreſcentia ſanat,mammarū durities diſcutit. Huius radicē vſurpat Aſclepiades,ſucco tamē decocto,ſemine,puluere idē pollet,Gal.lib.8.cōp.ph.part. *Lib.8.ſimpl.*

Cicuta refrigerat extremè,id eſt,quarto gradu,ob id lethalis eſt: eius vna ſpecies nobis eſt pumila, odorata, quæ frixa & admota dolorum cauſas leues diſsipat. Cicutæ ſemen excorticatur,lib.10.comp.ph.part.in fine. *Lib.7.ſimpl.*

EVpatorium,vel Hepatorium,vel Hepatitis,omnino agrimonia vulgaris videtur, Dioſcoridis Eupatorium cum Serapionis agrimonia,& Meſuæ eupatorio conferenti. Corruptum verò nomen ex argemone apparet,quam falsò Eupatorium quidam (vt Dioſcorides ait) putarunt: incidit,terget, tenuium eſt partium ſine manifeſto calore,ſubaſtringit,iecoris ob id obſtructiones aperit, ipſumq; roborat, vnde & no- *Lib.6.ſimpl.*

men inuenit: vel cum Cicerone, ab Eupatore rege. Hanc etiam Pentaphyllum vocari, quòd folio ſit quinquepartito, ſcribit Gal.lib.5.comp.ph.part.vt dixi in Pentaphylli radice. Eupatorii nunc folia,nunc radicem Actuarius miſcet.

Hermolaus in ſarxiphago. Euſragia veteribus incomperta herba, Pampinulæ ſimilis,folio minore,& magis ſerrato,flore luteo,præcipuæ claritatis ad omnia oculorum vitia: vnde ophthalmica dici poteſt: ab euphroſyno detortum nomen apparet. Montana melior; quæ ferè eſt polyclonos,alibi monoclonos magis.

Lib.7.ſimpl. Dioſcor. Meſues. FVmaria acris,amara,ſubacerba,vrinam billioſam & multam commanducata aut pota prouocat,hepar obſtructum purgat & roborat, ſcabiem & pruritum inde ſanat: ſiccata ventriculum cum vino roborat,cum melicrato aluum ſubducit,ſucco ſuo oculorum claritatem, & delacrymationem fumi modo molitur,vnde illi nomen.

GAllitrichum pro Gallicentrũ Ruellio videtur eſſe Horminum Græcorum, aliis Verbenaca recta, ob picturæ Hormini & verbenacæ rectæ obſcuram breuitatẽ, iudicium difficile. Callitrichon autem prius in Adianto diximus.

Lib.8.ſimpl. HYoſcyamus, id eſt, Suis faba, quòd eius paſtu apri conuellantur,& reſoluantur,niſi mox cancros fluuiales ederint,Helianus: his enim fabis apros Erymanthios in Arcadia ab Hercule occiſos ſcribit Philo in ſua antidoto, lib.9.comp. ph.part.Galeni. Triplex Dioſcoridi & Galeno: primus flore purpuraſcente, ſemine nigro, venenoſiſsimus: alter flore & ſemine luteo,mitior,ſed etiam deleterius: tertius flore & ſemine candido, ad ſanationes aptiſsimus, frigidus ordine tertio,ſiccus primo,Gal.lib.3.methodi.

Gal.li.8.ſimpl. Hyſſopum calidum ſiccũ ordine tertio, tenuium partium: craſſa & lenta ex pulmonibus extrahit,humorem craſſum per aluum etiam purgat,obſtructiones terget:montanum eſt efficacius hortenſi: Cilicium præfert Dioſcorides: Creticum *Dioſcor.* verò commendatur Archigeni,lib.8.comp.ph.part.Galen.in chryſocome & origano Heracleotico.Quædam à Dioſcoride Hyſſopo tribuuntur, quæ in noſtro deſiderari videntur. Cum florum ſpica legendum eſt,aut cùm ſemine turget.

Lauri

LAuri folia & fructus calfaciunt, & ſiccant vehementer, ſed hi magis quàm illa: leuiter aſtringere addit Dioſcorides, quam vim & amaritudinem ſoli radici cortici tribuit Galenus, quæ calculos confringit. *Lib.6.ſimp.& lib.2.c.ph.p.*

Lapathum digerit modicè, oxylapathum digerit, & repellit, vtriuſque ſemẽ leuiter aſtringit, vnde dyſenterias & diarrhœas ſanat præcipuè oxylapathi. Hippolapathum, quod in aquis omnino naſcitur, eadem præſtat, ſed imbecillius: idem verò valentius fuerit in hortos hodie tranſlatum. *Gal.li.7.ſimp.*

MArrubium, ſeu Praſium album, ſapore amaro, calidum ordine ſecundo, ſiccum tertio: lienis & hepatis obſtructiones ſoluit, pulmonẽ & thoracẽ purgat, mẽſes ciet, admotũ terget, digerit, & cum melle oculorum aciem claram reddit. *Lib.8.ſimpl.*

Malabathrum ſui generis folium, Indicæ nardo, vt odore & ſapore, ſic viribus ſimillimum, ſed nardo efficacius. Laudatur recens ex candido nigricans, contumax frangi, integrum, odore vegeto nares feriente, & qui folio ſemoto perſiſtat. Id nunc deſiit, à quo tamen vnguentum foliatum diuitibus Romanis mulieribus frequens, eſt dictum. Deſiit & folium Syriacæ arboris Plinio celebratum. In horum locum Mauri inuexerunt folium laurino proximum, ſed maius, & neruis tribus folium intercurſantibus diſtinctum, odore iucundo. Primum illud folium Indum dicitur Serapioni: tamẽ Actuarius in hedychroo magmate, φύλλον ἰνδικὸν, & φύλλον μαλαβάθρου ceu diuerſa miſcet: φύλλον ab his diuerſiſsimum Dioſcoridi deſcribitur, vulgò Italis folium ſylueſtre dictum, Hermol. *Li.:.c.ph.par. & lib.7.ſimp. Dioſcor.*

Maron herba ſurculoſa vulgò cognita, flore origani, ſed odoratiore, foliis multò candidioribus, ſubaſtringit, modicè calfacit, ſiſymbrio ſimiliter, Dioſcor. Maron planta eſt vehementer odorata & amara, amaraco proxima, quo tamen eſt multò odoratior & amarior, minus tamẽ eo eſt acris, vnguento amaracino fortè dicto, quòd amaraci plurimum olim reciperet, nunc ſolum marum immittunt: ſatius tamen eſt, æqualem amaraci & mari portionem imponere, vt hedychroi compoſitioni: qua miſtione minus quidem odorum, non tamen minus efficax erit: hæc Galenus. Suſpicio eſt nobis vehemens Marum eſſe herbam Maſtic vulgò dictam, maioranæ ſimillimam, flore tamen muſcoſo in pappos abeunte. *Lib.2.antid.*

Maiorana, Amaracus, Sampſychus, Dioſcoridi, Theophraſto, Plinio eadem ſunt herba: vnguentum tamen amaracinum à ſampſychino cur diuerſum ſit Dioſcoridi, doctè mihi Muſa coniectare videtur ex plantæ huius appellatione conſueta vtrique regioni, in qua vtrunque id vnguentum fiebat laudatiſsimum. Calida eſt herba & ſicca ordine tertio, & tenuium partium Sampſychum, Galen. lib. 8. ſimpl. Amaracum verò calidum ordine tertio, ſiccum ſecundo, idem lib. 6. ſimp. Ex qua temperamenti varietate, & quòd ſeorſum de his agit, Amaracum Galeno, & poſt eum Paulo eſſe dictam, vulgò Matricariam ſuſpicantur Hermolaus, Manardus, quæ iiſdem autoribus Dioſcoridis eſt Parthenium: ſed Amaracum Galeni non eſſe Matricariam vulgarem odore aſpernabili, ſapore amariſsimo, conuincit quæ de Maro & Amaraco nuper ex Galeni antidotis protulimus. Adhæc Amaracum ſe vidiſſe in Italia creſcere ſcribit Galenus, lib. 1. antidotorum, tanquàm planta eſſet Italiæ rara, cùm tamen Romæ familiarem eſſe Matricariam Muſa Ferrarienſis affirmat. Nec ſatis ad confirmandam ipſorum ſententiam eſt, Galenum bis de re eadem non ſcripſiſſe, cùm bis de abſinthio, de aſtere ſeu bubonio, de chalciti ſcripſerit. Parui prætereà eſt momenti varietas ordinum ſiccitatis, quòd ſcilicet amaracus ſit ſiccus ordine ſecundo, ſamſuchus autem tertio: ille enim completo, hic incipiente eſſe poſsit, vt in abſinthio dixi. Quo fit, vt ex his plantas eſſe varias nemo poſsit colligere.

Meliſſa. Meliſſophyllon, id eſt, apum folium, quòd herba hac præſertim florente apes plurimum gaudeant, vnde Apiaſtrum *Lib. 7. ſimpl.* Latinis dicitur: & à citri odore Citrago. Viribus eſt marrubio ſimile ſed imbecillius, ob id etiam vſu rarius.

Ibidem. Myriophyllum, Romanis Millefolium, ſiccitate multa glutinat vlcera.

Lib. 8. ſimpl. ORigani genus omne calidum ſiccum tertio ordine, incidit ac tenuat. Tragoriganum etiam ſubaſtringit: præfertur montanum, vel Creticum, vel Heracleoticum.

Gal. li. 6. ſimp. & li. 3. c. ph. p. PLantago refrigerat ſiccat ordine ſecundo, aſtringit, repellit, digerit: ob hæc vlcera recentia & vetera etiam rebellia glutinat, hæmorrhagiam ſiſtit, fluxiones & putredines, & ab

& ab his dyſenterias coërcet, hepatis & renum obſtructiones tollit. Semen & radix eadem præſtant, ſed ſiccant magis, refrigerant minus. Adhæc ſemini adeſt eſſentiæ tenuitas. Duo eius genera facit Dioſc. paruam, & hac efficaciorẽ magnam. Præter hæc eſt tertium nobis Arnogloſſum, vel Arnogloſſa nomine generis appellatum, folio rotundiore, ſeſsili, hirſuto, in vſu medicorum frequentiſsimum.

Portulaca frigida ordine tertio, humida ſecundo, ſubauſtera: fluxiones bilioſas, & æſtus febriles maximè cohibet ſumpta, & admota. Hæmodiam, id eſt, dentium ſtuporem non omnem, ſed eam ſolùm, quæ ab acerbis, auſteris, acidis eſt nata, ſanat: quia ab his aſperè exiccata lenit: & replet humiditate lenta, Galenus: vel quia ſuo lentore acidulo hærẽs ac ſubiens, acorem illum ſibi affinem ſapore ex dente extrahit, Ariſtoteles ſectione prima, problemate 38. Huius autem effecti omnibus cogniti cauſam inexplicabilem, & ſoli Deo notam, ſcribit Aphrodiſeus initio problematum ſuorum. *Lib. 2. c. ph. p. & lib. 6. ſimp. Gal. lib. 6. ſimpli. & de optima ſecta.*

Populus duplex, λεύκη, id eſt, alba, & ἄιγυρ☉ Gal. ἄιγειρ☉ Dioſc. id eſt, nigra. ægyri ἄνθη, id eſt, flores, ſeu σφαίρια, id eſt, pilulæ, primo foliorum partu exilientia (vt in leuce vocat Dioſcor.) calida primo à temperatis receſſu: nam ἐκ τῆς πρώτης ἀποστάσεως Paulus, Manardus, Fuſchſius in Galeno legunt: licet ἐκ τῆς τρίτης, id eſt, in tertio, habeat codex Aldinus, & ita legerit in Arabibus, vnde vertit vetus interpres: & Oribaſius Græcus medicus lib. 2. ad Eunapium, & lib. 15. ad Iulianum Cæſarem, paulò ſicciora, quàm quod humido & ſicco eſt temperatum: tenuium partium potius quàm craſſarum. Folia floribus ſunt ſimilia, ſed imbecilliora: & reſina eius exigua floribus ſimilem habet facultatem, ſed calidiorem: ſemen floribus & reſina ſiccius, non multò calidius, ſed partium eſt tenuium. De hac vtriuſque populi lacryma in Succino ſeu electro leges poſteà. Folia λεύκης, id eſt, populi albæ, media ſunt inter folia lauri calidiſsima, & folia ἀλίνου herbæ, refrigerantis Dioſcoridi: ſic enim lib. 2. cõp. ph. legendũ cenſuerim potius quàm ἄγνου, qui lib. 6. ſimp. dictus eſt calidus ordine tertio, etiã ſi vetus ex Arabibus eo loco habeat agni caſti. λεύκης καρπὸς, id eſt, populi albæ fructus digerẽtis eſt facultatis, ibidẽ paulò antè. Guſtãti Manardo Populũ nigrã & communem, viſa eſt modicè aſtringere, poſteà minimùm amara, *Lib. 6. ſimpl. Oculi populi. neutra populus florere videtur Hermol. Gal. lib. 2. c. ph. part.*

odore non inſuaui,ſed languido. Ex eius igitur floribus myracopum populeum refrigerat, cùm præter adipem & populi oculos modicè calida, cætera habeat frigida, etiam magna parte ad ſupremos vſque ordines. Populus alba temperata ex aquea tepida ſubſtantia, & terrea tenuata terget: eius flores multùm acres nobis ſunt, ex hisque vulgò fit vnguentum populeum: licet acopum διὰ αἰγύρου apud Galenum & Paulum legatur, non διὰ λεύκης.

Lib.7.ſimpl.

Rvta hortẽſis eſt imbecillior agreſti: hæc enim calida ordine quarto,(tantùm tertio dicitur lib.6.comp.ph. part. in ſtomachica diabeſaſa) illa tertio: vtraq; acris,amara,tenuiũ partium, valenter ſiccans, incîdit, digerit valenter craſſos & lentos humores,vrinas mouet: flatus,& veneris appetitũ cohibet. Syluestris Moly,Beſanum,Beſaſa dicitur: Syri indigenæ Harmola vocant,lib.6.& 9.comp.ph.part.

Lib.8.ſimp.

Roſmarinus coronaria nobis eſt frequẽs, vtilis folio & flore,quem vulgus abſolutè ἄνθος malè vocat.nec antidotus διὰ ἀνθῶν Actuarii ſolius Roriſmarini florem recipit, ſed aliorum,vt pòſt leges. Sterilis libanotis ad Montem Peſſulanum plurima. Tertia fœcunda duplex eſt Dioſcoridi: omnes emolliunt,incîdunt,tergent,digerunt, ictericis decocto proſunt,& oculorum aciem ab humorum craſsitie obtuſam ſuccus radicis cum melle emendat.

Lib.7.ſimpl.

Salvia quòd ad multa,præcipuè fœcũditatem ſit ſalutaris, ἐλελίσφακος Græcis,quaſi ſylueſtris lens dicitur,folio eſt maiore, ſqualidiore, ſcabriore: Sphacelus verò breuiore & læuiore. Quæ Theophraſti verba noſtram Saluiam francam ſphacelo videntur exprimere. Calfacit euidẽter,& ſubaſtringit ἐλελίσφακος.

Lib.6.ſimpl.

Scordium ab odore & acrimonia ſcorodi,id eſt,allii, dictũ eſt: ſubamarum,acre,acerbum: calfacit,purgatq; viſcera,obſtructiones liberat, vrinas & menſes mouet: viride magna vulnera glutinat: ſiccum autem ſordida purgat, contumacia cicatrice tegit. Optimum ex Creta petitur, quale etiam Andromachus iunior ſuæ theriacæ miſcet: non malum tamen in aliis regionibus poſsis inuenire. Putriferis animaliũ venenis & pharmacis deleteriis ſuccurrit. Quę vis eius inde eſt cõiectata,quòd quę in bello occiſa fuerãt corpora,diuq; inſepulta

Lib.8.ſimpl.

Lib.1.antid.

pulta ſuper Scordium fortè iacuerant, minus putria ſunt inuenta, quod à viris quibuſdam fide dignis acceptum tradit Gal. lib. 1. antid. Nobis in agro Pariſienſi locis riguis eſt largiſsimum verum ſcordium.

Scolopendrion idē cum Aſpleno cōtēdunt Muſa & Maſſarius in librū nonum Plinii: tamen Galenus ait maiores lienis obſtructiones vehemētiora poſtulare remedia, capparis corticem, tamaricis radices, ſcolopendrion, & ſcillā, & eam herbam quæ aſplenos appellatur, effectum id nomine repræſentans. Vbi apertè ſcolopēdrion ab aſpleno ſeparat, licet poſteà in cenſu ſimpliciū aſpleni vires deſcribat, ſcolopendrii non meminerit. Libro tamen methodi 13. ſcolopendrion quoque lieni conuenire ſcribit, nulla mentione aſpleni facta: quanquàm ibi alia quoq; eius remedia attingat. Diuerſas etiā herbas facere videtur in ſplenicis, lib. 9. comp. ph. part. μυρίκης καρπῦ, βοτάνης ἀσπλήνου λεγομένης σκολοπενδρίου, ἡμιονίτιδος ἀνά: tamen paulò antè in Andromachi ſplenicis ſcribebat, ἡμιονίτιδος βοτάνης ἣν οἱ μὲν ἄσπληνον, οἱ δὲ σκολόπενδρον λέγουσιν. Ex quibus colligere poſsis, herbas eſſe affines non viribus modò, ſed forma & habitu, vnde nominum hæc incertitudo nata ſit. Quod & in Dioſcoride paſsim obſeruabis, & in aſpleno quoque, quem ab aliquibus σκολοπένδριον, ab aliis ἡμιόνιον vocari ait: non tamen ἡμιονίτιδα dixit, quòd hęc folio ſit diuerſiſsimo, quam tamen σπλήνιον quoque vocari ſcribit. Vnde Maſſarius & ex Theophraſto affirmat Hemionum vel Hemionion eſſe vulgatum nobis Ceterach: Aſplenon verò ſeu Scolopendrion plantam eſſe aliam, ex foliorum & radicum pictura perſuadere conatur. Quæ autē vulgò eſt ſcolopendria, Dioſcoridis eſt φυλλῖτις, à quibuſdam Lingua ceruina multò iuſtiùs appellata, quā à Gaza Scolopēdrion Theophraſti, quā rectius Centipedariā vertiſſet. Siue aūt Ceterach ſit aſplenō aut ſcolopēdrion, ſiue hemionus dicta, quòd mulæ hac herba plurimū delectentur, parui eſt momenti, quòd hæ omnes lienē diminuant, & liquent, & ſubſtātia tenui ſine calore lapides etiam in veſica frangant: lib. autē 8. ſim. & Dioſc. phyllitis acerba cùm ſit, diarrhœas & dyſenterias pota iuuat. *Lib. 5. ſimpli.*

Stœbe herba quæ apud nos naſcitur fruticoſa eſt, calida, acris, odoratum quippiam reſipiens, ad vini conſeruationem ne aceſcat, aptiſsima, ſi calor huius doliis admotę ignis calore *Lib. 1. antidot.*

excitatus, vina crudiora percoxerit. Stœbe, quæ & Phleos dicitur, ſpinam habet in folio & caule Plinio, lib. 21. cap. 15. lib. autē 22. cap. 11. omnia ex Dioſcoridis Stœbe mutuatur, quòd aſtringat foliis & ſemine, ob id hæmorrhagiæ, dyſenteriæ, oculis cruentatis, auribus purulentis conueniat, quæ vires Galeni Stœbæ acri & calidæ non conueniunt: neutra tamē harum noſtra eſt Scabioſa vulgò dicta, quòd ſcabiei ſanandæ ſit idonea, folio erucæ cùm adoleuit hirſuto, aculeis tamen non horrente, flore cœruleo, quæ pulmoni purgãdo & hepati confert, & carbunculum recens admota horis tribus perrumpit. Pſωra autē Aëtii non eſſe noſtra Scabioſa hinc apparet, quòd huius vſtæ fumo arborum erucæ non moriantur, imo non moueri eas magis quàm ſtipularũ fumo expertus ſum: quam tamen facultatem Aëtius Pſωræ tribuit.

Libr. 4. ſanit. tuend. *Lib. 6. ſimpl.* THymum commendatur maximè Atticum, aut ex locis ſiccis & editis: calidũ ſiccum ordine tertio, incîdit, menſes & vrinas mouet, craſſa & lenta ex pulmone & thorace expectorat.

Lib. 8. ſimpl. VErbaſcum, Phlomus Græcis, vulgò Tapſus barbatus, & Bullio albus & niger: foliis terget, ſiccat, digerit: radice eſt acerba, ad fluxionis affectus, & dentium dolorem idonea.

Verbenaca recta, id eſt, περιστερεὼν ὁ ὀρθὸς, præſertim viridis & recẽs, ſed etiam ſicca, cum radicibus oleo incocta, perfuſaq; capiti, dolorem eius omnem diuturnum à frigore, aut craſsis humoribus omnium maximè digerit, & caput roborat. Galen. lib. ſecundo compoſition. pharm. part.

DE FLORIBVS.

FLORES vt plantarũ partes reliquæ legantur, cùm maximè vigent, vt capparis in gẽma, roſa expãdi cœpta, reliqui ferè aperti. Sed haud ita pridem & ex quibus vis nondum exhalauit, ſiccantur ſole magis minus, pro varia ipſorum natura: quidã ſiccandos volunt, donec ex pôderibus decẽ vnicum ſuperſit. Reponũtur vt alia, quotãnis mutentur, quamuis ſchœnuanthos etiã decenniũ efficax ſeruari poſsit: chamæmelum

melũ item diu vegetũ eſt, ob fortẽ partiũ ſuarũ miſtionem.

Flores, abſinthii comæ, bugloſsi vtriuſq;, chamædryos, chamæpityos, capparis, roriſmarini & aliorum quorundam in herbis prius dicti ſunt: reliqui ſunt dicendi.

BAlauſtium ſylueſtris punicæ flos, cytinus ſatiuæ & domeſticæ Dioſcoridi & Galeno καὶ ὀνομάζονται κύτινοι αἱ πρωτόγονοι ῥοιαὶ, id eſt, primogenia punica. Nam quando arbor florere deſinit, fructus ipſius apparet in mali Punici ſpeciem figuratus. Hi in fine veris gignũtur, & meliores ſunt ex granatis acidis & acerbis, quia magis aſtringũt, Ibidẽ. Ambo tamẽ inſigniter aſtringũt, refrigerant, ſiccãt, craſſæ ſunt ſubſtãtię: ambo etiã hodie à medicis cũ Plinio Balauſtia vocãtur. *Lib. 6. c. ph. p.*

Buphthalmi flos cardiacus Actuar. oculi bubuli effigie, vnde illi nomen, colore floris Anthemidis, ſed multò maior & acrior, ob id valentius digerit: putatur eſſe Cotula nõ fœtida vulgo dicta. Anthemis, ſeu Chamæmelum ab odore mali dictum: calfacit, ſiccat ordine primo, ſtipata rarefacit, tenſa laxat, plena digerit, dura emollit, eſſentiæ tenuis vt roſarum ſuccus, laſsitudines ſoluit, dolores capitis & aliarum partium frigidos, ſi homo plethoricus non ſit, nec cruditate laboret, ſedat, libro ſecundo compoſitionis pharmacorum particul. biliosas febres percoctas, & quæ ex cutis denſitate naſcuntur, potu perſanat: melancholicas autem, & pituitoſas, & quæ ex viſceris alicuius phlegmone oriuntur, cõcoctas ſtrenuiſsimè iuuat: ob id à ſapientiſsimis Aegyptiorũ vnicum putatur febrium omniũ remediũ. Tria huius genera Dioſcoridi ſunt flore tantùm diuerſa, intus in omnibus aureo, foris cãdido in leucanthemo, melino in chryſanthemo, purpureo in erãthemo, quòd vere floreat. His nominibus Macer diſtinxit. *Lib. 6. ſimplic. Libr. 3. cap. 9. & lib. 6. ſimp. Chamæmelum cõmune eſt leucanthemum.*

CAryophyllũ, quaſi nucifoliũ, quãuis hãc nõ ſeruet naturã, quæ nomine prætẽditur: fructus eſt arboris Aëtio & Simeoni: flos autẽ eſt Paulo cuiuſdã arboris Indicæ, feſtucaceus, niger, lõgus, acer, ſubamarus, odoratus: calidus ſiccus ſecundo gradu Aëtio, tertio gradu Paulo: ad obſonia, ſuffitus, & multa medicamenta vtilis. Dioſcoridi & Galeno indictus. *Clauus à figura vulgò dicitur.*

Crocus calidus ordine ſecundo, ſiccus primo, parũ ac mediocriter aſtringit, qua facultate cor & partes alias roborat,

vt ſuo calore moderato coquit ac digerit, & ſiccando modicè diſpoſitiones pectoris phthiſicas iuuat, putredines corrigit, lib. comp.ph.part.4.7.8. Optimus medicamentis eſt Coryceus recens, oblongus, integer, plenus, non fragilis, flauiſſimus, & qui cum humore tritus manus ſuo colore ſaturet, nec ſitum neç cariem redolens, ſubacer, Dioſcor. Crocus Coryceus à Coryceo antro, in quo naſcitur, veteribus atque adeò Poëtis præter cæteros celebratus: aliis ſanè procerior eſt, non tamen aliis robore odoris aut diuturnitate eſt præſtantior. Eligendus verò eſt non procerior, ſed odoratiſsimus, & flauiſsimus, & longo tẽpore in vigore ſuo perſiſtens. Præſtantiſsimum igitur aliquẽ crocum apto quodam ædiũ loco repoſitum obſerua ſæpe, vt pernoſcas: nam id colorem odoremq́, priſtinum diu ſeruabit: adulterati verò odor & color celeriter vaneſcit. Crocus Cilicius etiam laudatur, libro ſeptimo comp.ph.part.

Lib.1.antid.

Epithymum Græcorum eſt flos thymi ſatureæ ſimilis, calidus ſiccus gradu tertio, omnia poteſt quæ thymus, ſed efficacius, ob id illius penuria hoc vti licet, menſura tamen maiore. Datur Epithymum drach. quatuor cum ſero lactis vel mulſa, ad educendum humorem melancholicum. Horum loco ſi Arabum epithymo, hoc eſt, caſſutha thymo innata, vt ſatureæ ſeu thymbræ epithymbrum Actuario dictũ, & hyſſopo, & maioranæ, epyſſopum: & orobo orobanche: & lino linanche, vti libet, quia vires cum thymi flore eaſdem illi Plinius veterum ſolus tribuit, dabitur cum Meſue ob imbecillitatem à drach. quatuordecim ad drach. viginti. Epithymus autem Arabum, vt thymus, eſt duplex, hortenſis, & hoc calidior ſiccior montanus.

Lib. 14. meth. κȣκουθι, & κȣσκουτι, & κοαςουθlω, & καςουθlω leges in Act.

Ericæ digerentis plantæ flore potiſsimùm ac foliis vtendum: ſemen etiam adhibetur lib.6.comp.ph.part. Ericæ fructus ſæpe lib.9.comp.ph.part. in ſplenicis.

Lib.6.ſimpl.

Geniſtæ noſtratis, & Sparti folia, flores, ſemina, ſuccus valẽter trahũt, ob id anginis, iſchiadibus ſalubriter admouentur, & hydropicis ſumuntur. Flores eius antequàm dehiſcant, aceto & ſale conditi annos etiam tres integri ſeruantur, idonei primis menſis, & delicati capparum loco, quibus etiam valentius obſtructa liberant.

Lib.8.ſimpl.

Iop,

IOν, id eſt, viola omnis, & præcipuè nigra ſeu purpurea, quanuis in eodem genere eſt etiam alba, vulgò Martia dicitur, & Quadrageſimalis, quòd Martio menſe, & quadrageſima floreat. Et etiam multifolium, ob id Daſypodium Græcis dictum, concolor primæ ſed plenior: frigida eſt ac humida primo ordine. Syrupus ex multis florum violæ nigræ recentium, vt roſarũ, florum perſici, infuſionibus ſoluit aluũ, vt in compoſitis ipſis dicemus. Quin & ſemen violæ nigrę album, rotundũ, milii æmulum apertè cholagogum eſt. Eſt quoque eius generis ſylueſtrior toto habitu ſtrigoſiore, magis ſerpens, flore purpureo, in album langueſcẽte, inodoro, Λευκόϊον verò quanuis violam albam ſignificet, ad omnes tamen violas præſertim eas, quæ primo vere naſcuntur, ſiue albæ, ſiue luteæ, ſeu purpureæ fuerint, ſeu nigræ cum Hippocrate, ſeu cœrulee, vt quidam Dioſcoridis codices habent (quod expungendum putant plerique, præſertim Plinius lib. 20. & Paulus de oleo ioto, id eſt, violaceo, album, luteum, purpureum, leucoion tantùm commemorant) extẽditur. In his efficaciſsimæ ſunt luteæ, Keiri Arabibus dictæ. Tamẽ cæteræ tres aut duæ caryophyllatæ, à floris figura caryophyllum imitante nobis dictæ, non ſunt inefficaces: linguam enim valenter calfaciũt, & acrimonia ſua mordent folio, ſed magis flore, qui in his colore plurimùm variat, arte opinor quæſita, vt in floribus aliis. Λευκόϊον verò Theophraſti, quod florũ primũ ſe oſtendit, etiam nondum exacta hyeme: radice bulboſa an ſit quæ nobis circa natalem Chriſtianum florem album pulcherrimum trifolium intus virentem oſtentat, ab aliis malo diuinari, quàm à me rem non ſatis compertam pro vera pronunciari. De quo multa Maſſarius in lib. 9. Plinii.

MElilotum coquit, digerit, & parũ aſtringit, vt crocus: largior enim eſt in eo ſubſtantia calida quàm frigida. *Gal. li. 7. ſimp. & libro 4. c. ph. p.*

NYmphæa, quòd aquoſa amat dicta: vna eſt flore albo, radice nigra, & ſemine nigro: altera flore luteo, radice alba. Vtriuſq; radix & ſemẽ frigidum, ſiccans ſine morſu, parũ detergens, proinde alui profluuia, & dyſenterias cohibent: ſemen immodicè profluens ſiue per inſomnia, ſiue aliter, retinẽt ex vino nigro auſtero pota: in id efficacior lutea, adeò vt

medeat

medeatur muliebri profluuio, vt ad tergendum alba prępollet, quæ aqua macerata alphos, pice liquida alopecias ſanat: Autumno radices exciduntur: Hæc Dioſcorides & Galenus, verùm facultatis florum, quibus hodie ſolis vtimur, non meminerunt.

Caprifoliũ & materſylua. Gal. lib. 8. ſim.

PEriclymeni fructus & folia ſubamara, tandem acria, adeò valenter calfaciunt, & incidunt, vt multo vſu cruentas vrinas educant, lienoſos, ægrè ſpirantes ex oleo admota iuuat. Vides quàm fœdè labantur, qui Lycium veterum ex hoc fructu repręſentant. Nunc flore ferè vtimur, & ex eo vel flore liguſtri aqua capitello deſtillata, ad oris & fauciũ aphthas & nomas colluendas.

Roſæ parum aſtringunt, vt lib. 4. c. ph. p.

ROſa omnis amara eſt atque aſtringens, præcipuè rubra, à qua ſubſtantia refrigerat, ſiccat, flos autem eius aſtringit magis, proinde etiam ſiccat valentiùs. Roſarum flores potiùs quàm roſas, quia imbecillã aſtrictionem habent, in Diabeſaſa ponit Heras lib. 6. comp. ph. part. Gal. & Andromachus in ſtomachicis, lib. eodem. Flos autem eſt pars interior, in qua ſemen eſt & capillus. Id ſemen vulgus Antheram vocat, cùm Anthera compoſitio ſit Gręcis roſas ſiccas & alia recipiens: quin & ſine roſarum flore anthera medicamentum eſt, lib. 6. comp. ph. part. Roſæ præſtantiſsimæ ſunt, quæ longè omnium ſunt ſuauiſsimæ, & aliis rubicundiores. Siccandæ verò ſunt loco ſublimi meridiano, quo ſolis radij penetrent, roſas tamen non tangant. Roſarum ſuccus eſſentię eſt tenuiſsimæ, nam celeriter aceſcit, & lentore caret, & vnguentorum omnium odores exoluit & obſcurat. Ex roſis calidiſsimæ videntur Moſchatæ, poſt has roſeo colore inſignes, incarnatæ nobis dictæ, quæ & cerebrum valenter feriunt, paulò minùs albæ.

Lib. 1. antidot. Lib. 3. ſim. c. 9.

ΣΧοῖνος, id eſt, iuncus abſolutè ſcriptus, iuncus odoratus, Arabicus, Libycus, ſeu cũ Celſo rotundus, à triangulari cypero eum ſeparante. Neſcio autem quia cauſa vulgo ἄνθος σχοίνου dicitur, cùm raròflos eius ad nos deferatur, ſed herba ſæpe, eius parte ſuperiore à camelis eroſa. Eam enim in Arabię viis copioſiſsimè creſcentẽ, ob id parui pretij,

Lib. 1. antidot. Lib. 8. ſim. & lib. 6. c. ph. p.

pretij, libentiſsimè cameli paſcuntur. *σχοινάνθος* Actuarius, vulgus Scœnanthum: modicè calfacit, & modicè aſtringit, eſt nonnihil tenuium partium, ob id mediocriter digerit, & mediocriter repellit: radix aſtringentior, flos calidior, vrinas ac menſes ciet, ſumptum & fotu adhibitum, iecoris, ſtomachi, ventriculi phlegmonas iuuat, hæmoptoicis, id eſt, ſanguinem ſcreantibus cum aliis prodeſt: ſolo odoratus vigore deligitur: nam odoris illius gratia celeriter vaneſcit. 1. lib. antidotorum.

Στοιχὰς naſcitur multa vbique terrarum, copioſiſsima in Creta inſula, & dictis Stœchadibus inſulis, in mari Iberico, à quibus appellata eſt: naſcitur & in Arabia, vnde & Arabica vocatur. Amara eſt, modicè aſtringit, proinde tenuat, terget, obſtructa liberat, roborat viſcera & corpus reliquum, putredinem arcet. Habitior & meliùs nutrita atque melior ex inſula Creta petitur, lib. 1. antid. Eſt in Gallia Narbonenſi Stœchas citrina vulgò dicta, à comæ & corymbi floris colore luteo, Dioſcoridis Heliochryſum, & Galeni Amaranthus videtur: altera autem flore purpureo.

κύκλασιν *Gal.* *Lib. 8. ſimp.* *Lib. 9. c. ph. p.*

Ex prædictis, & non paucis ſequentibus plantarum partibus, & animalium, atque adeò metallorum, aqua fit vi caloris vel ignei, in flamma, prunis, arena, cineribus, ſcoria ferri, calce irrigata, aqua feruente (quod diplomata, id eſt, vas duplex dicitur) vel putredinoſi in fimo equino, corticibus putrentibus, vel ſolaris. Tenuata enim humiditas à calore vapor fit, qui elatus capitelli vitrei, terrei, plumbei, argentei, vel alia materia frigida craſſa conſtantis frigiditate concreſcit in aquam per naſum eius defluxuram in vas ſubiectum, quo modo pituita in capite humano ex totius vapore gignitur, & per naſum deſtillat. Cui ſi ignis valentior ſub finem acceſſerit, rerum ipſarum humidum ſubſtantificum tollitur, & ſi quod rebus ipſis inerat oleaginum, vel delabitur pro vaſorum ſitu & figura. De qua re fuſiùs in compoſitis medicamentis agam, quòd hæ aquæ quamuis ſimplices ſint, quia tamen aliquid opera noſtra acceperunt, & fortaſſe veræ ſunt compoſitæ, vt aqua calfacta Galeno. *Lib. 1. ſimp.*

DE SEMINIBVS.

Lib.2. alimen. initio.

SEMEN à fructu differt, vt contentum à continente, ſeu potiùs vt pars à ſuo toto. Fici enim fructus ſunt ipſi ficus, κεγχράμιδες verò in fructu granula ſunt ſemina, in moro ſimiliter: & γίγαρτα in acino fructu ſunt vitis ſemina: & tria aut quatuor grana in medio pomo, pyro, ſunt eorũ fructuũ ſemina: & in cucumere, cucurbita, pepone, melopepone fructib⁹, ſemina inſunt plurima & cóſpicua. In ceraſo, pruno, meſpilo, vtroq; corno, dactylo, myxis, ſeriphis, granatis, oliuis fructibus, quod ligno includitur ſemen eſt, vt fructus, ſeminũ ſit munimentum quoddam & propugnaculum. Quoniã plantarum ſit permultarum finis ſemen procreare, in quo ſpes maxima eſt ſpeciei ſuæ propagãdę, & quoàd eius fieri licet, perpetuandæ. Ob id magna id cura eſt à natura munitum, & loco penitiore tanquàm tutiore repoſitũ, ac non ſola fructuum carne munitum, ſed ſæpe ligno, vel oſſe, ſæpe cartilagine, ſæpe callo quodam duriore aduerſus cœli & animalium iniurias. vel potiùs ſit fructus, quod ex ſemine & reliquo conſtat, vt in leguminibus ſiliqua inuolutis. ſiliqua cum ſemine eſt fructus, plurima eorum ſubſtantiæ pars eſt in ſeminibus. Eſt tamen vbi tenui diſcrimine diſtant ſemina à fructibus, vt ſegetes & legumina, Galeno ſcripta toto lib. 1. alimentorum.

Præterà nuces regiæ, nuces Ponticæ ſeu auellanæ, piſtacia. Quin perſæpe Dioſcoridi & Galeno καρπὸς, id eſt, fructus, ἀντὶ τοῦ σπέρματος ſcribitur. Semen althææ, apij, agni, anethi, aſparagi, dauci, fœniculi, geniſtæ, hyoſcyami, lauri, plantaginis, portulacæ, nymphææ, roſarum, & aliorum non paucorum in radicibus, aut herbis, aut floribus cognominibus, dictum eſt: quam rem index apertiſsimè demonſtrat. Legenda autem ſemina, cùm ſunt matura, & fructus quibus includuntur, ſunt maturi. Semina verò quotannis mutare præſtiterit, etiam ſi pleraque diutiùs ſeruari poſsint.

Dioſcor. & Gal lib. 6. ſimp. & lib. 7. cap. ph. p.

AMomum calfacit, validè ſiccat, aſtringit, coquit magis quàm acorum, ſiccat minùs, cætera facultatem habet eandem. Odoris conciliandi gratia medicamẽtis etiam principalibus miſcetur, vt in componendi ratione audies. Delige

candi

candidum vel fuluum, ſimplici tamen colore non vario, laxius in vua parua ſeminis tamen plena diffuſum, non aſtrictius cohærens, odoratum, nares vulnerans, acre, mordax, recens, non carioſum. Amomi vua ſępe Galeno & Actuario ob id dicitur, quòd racematim velut in vua cohæreat. Laudatur amomum Scythicum, lib.8.comp. ph.part. Non eſſe verò roſam Hiericuntis, aut Hieroſolymitanam vulgò dictam apertè conuincit vtriuſque hiſtoria. Hodie paſsim deſideratur, nam quod oſtendunt officinæ, inodorum eſt: habeo apud me fuluum, paruum, oblongum, anguloſum, odoris dum fricatur iucundiſsimi.

Ameos ſemen calidum ſiccum in fine ordinis tertij, tenuiũ partium, album, ſubamarum, acre, digerit, vrinam mouet. Ami commendatur Illyricum, lib.9.comp. ph.part. alij Aegyptium laudant. *Lib.6.ſimp.*

Aniſi ſemen calidum ſiccum ordine tertio, vrentibus proximum, acre, ſubamarum, vrinas ciet, flatus ventris diſsipat, digerit: addit Dioſcorides venenis reſiſtere. Inter prima laudatur Creticum: melius recens & plenum. Eius loco & penuria Aniſum dulce vſurpamus, quod γλυκάνισον Actuarius ſæpe appellat. Ita ſentire malo, quàm cum nonnullis Aniſum vulgare Græcorum Anethum initio tertij gradus calidum, ſiccum primo affirmare. Anethum verò vulgare calidius ſiccius, Aniſum Græcorum calidum ſiccum tertio gradu. Nam vero veterum aniſo (vt dixi) caremus. quod ſemen paruum apij ſemini ſimile, ſed maius Dioſcorides ſcribit: Anetho autem ſemen latum & foliatum Ruellius tribuit: ex quo ſcriptore neſcio, niſi fortè anethum noſtrum pinxit nó deſcriptum veteribus. *Lib.6.ſimp.* *Lib.6.ſimp.*

Acantha leuce Dioſcoridis & Galeni, eſt Bedegar Serapionis, vt deſcriptiones & vires conferenti ſole clarius euadet: aſtringit enim, & ſiccat minùs quàm ſpina Aegyptia ſeu Arabica amborum, quæ Sucaha eſt Serapionis, fructu & radice vtilis: cum noſtra Acantha leuce, eadem, niſi quòd ob ſoli & cœli naturam eſt inefficacior.

BOmbacis ſemen ſimplex ceraſi nucleo ſimile, recentiores ad vitia pectoris purganda adhibent. Melita inſula mittit multiplex, ſibi implexum, nigrum.

Βασιλικοκαρπὸς, id eſt, Baſilici ſemen, cardiacum Actuario eſt: in vſu etiam interdum apud Gal. in comp. ph. part. inuenitur.

Gal. li. 8. ſimp. CVcumeris eſculenti ſemen magis incîdit, terget, tenuis eſt ſubſtantiæ (præſertim arefactum, contritum, cribratum) quàm ipſa eius caro frigida humida ordine ſecũdo, cùm ſemen ipſum ſiccet ordine primo, aut etiã ſecundo incipiente. Ob hæc vrinas mouent, & corpus ῥύμματος vice tergent, & ſplendidum reddunt. Addit Dioſcorides veſicæ exulcerationibus ſubuenire. Vrinas magis mouent Pepones quàm *Li. 2. aliment.* Melopepones & Cucumeres, & Cucurbitæ, quòd ſubſtantia ſunt magis humida, aquoſa, & tenui, & quæ in ventriculo faciliùs corrumpatur, & quę vim quandam abſtergendi habeat, ob quam expeditiùs quoque deorſum quàm prædicta ferantur. Sordidam cutim, ἔφηλιν, lentes in facie, ἀλφοὺς extimos & ſuperficiarios detergent, ſemine potentius quàm carne, vt etiam renum calculis conueniat. Nulla verò ſeminis cucurbitæ Dioſcoridi & Galeno in ſimplicibus eſt mentio, quum tamen hodie ſolenni quodam more vulgus medicorum in componendis ſuis medicamentis omnia hæc maritent, ſcribentes paſsim quatuor ſemina frigida maiora, vt diſtinguant à frigidis quatuor minoribus, lactucæ, portulacæ, intybi, ſereos, id eſt, endiuiæ, ſcariolæ. Inter illa verò citreoli ſemen non melopeponis numerant.

Gal. li. 7. ſimp. Cari ſemen calidum ſiccum ordine tertio, mediocriter acre, vrinas mouet, flatum diſcutit: planta etiam reliqua ad hoc vtilis à Caria regiõe laudatiſsimum afferebatur: vnde illi nomen multiplex, Carum, Carion, Careon, Caroon.

Coriandrum eſſentiæ amaræ habet plurimum, parum humiditatis aqueæ tepentis, pauxillum aſtrictionis, à qua refrigerat, vt ab amarore calfacit, terget, digerit, tenuium eſt partium, lumbricos necat: ſed largiùs ſumptum mentem mouet non ſine periculo, ob id aceto maceramus, pòſt ſiccamus.

Creſſon alenoys vulgò. Lib. 7. ſimp. Cardamum, id eſt, naſturtium, ſemine & folio ſiccum eſt cauſtico & adurente, vt ſinapi, phænigmum, hoc eſt, rubrificationem in coxendicis aut capitis dolore excitat, eclegmatis miſtum aſtmaticos craſsis & lentis pulmonum excrementis valenter purgat vt ſinapi.

Carda

Cardamomum Serapionis vtrunque tam maius, quod Granum paradiſi vocatum putant plerique, quàm minus, nihil habet commune cum vero, id eſt, Dioſcoridis & Galeni Cardamomo, etiam hodie deſiderato. Cardamomum abſolutè & Cardamomum nigrum, lib. 9. comp. ph. part. & 1. antid. & in theriaca ad Piſonem. *Lib. 1. antid.*

Cnici ſemen calidum, ordine tertio, purgat pituitam, vt cap. 5. lib. 2. ſimpl. docet Galenus, & lib. 5. ſanit. tuendæ: quod in diacnico compoſitione poſteà plenius leges. Nihil tamen aut minimum harum virium in conſueto nobis ſemine Cnici expertus, fortè quòd à regionibus calidioribus non ſit allatum, ſed in agro Pariſienſi natum. *Carthamus Gaze cum vulgo.*

Cumini ſemen vtile magis, calfacit ordine tertio, ſiccat, aſtringere addit Dioſcorides, vrinam mouet, flatum extinguit: ſatiuum eſt ac ſylueſtre, idq; duplex Dioſcoridi; laudatur Aethiopicum, deinde Aegyptium. *Gal. li. 7. ſimp.*

Coccus baphica, vel coccum baphicum, id eſt, granum tinctorũ, baccula eſt aſparagi æmula, foliis innata fruticis aquifoliæ ilicis, Theo. Plin. aſtringens, amara, ſiccat ſine morſu: ob id ad vulnera magna etiam neruorum congruit, roborat partes ſiue his qualitatibus manifeſtis, ſiue etiam (vt quibuſdam placet) totius ſubſtãtiæ familiaritate, quam dicũt habere cum corde præcipuam: de hoc in antid. *Διὰ κόκκων βαφικῶν.* *Kermes & Alkermes vulgo cũ Mauris. Lib. 7. ſimpl.*

ERuca foliis & ſemine calida, flatuoſa, ob hæc venerem largiore vſu excitat, in condimenta venit, vrinas mouet. Sylueſtris ſatiua eſt acrior. hac ſynapis vice vtitur Iberia occidentalis, Dioſcor.

Eruum calidũ primo ordine, ſiccũ ſecũdo, amarũ proinde, incîdit, terget, obſtructiones liberat, largo vſu ſanguinem per vrinas euocat, præſertim rufum. Nam Eruum non candidum ſed rufum vehemẽter amarũ eſt, candidũ dulcius, lib. 1. antid. *Orobus cum Græcis, lib. 8. ſimpl.*

Eryſimi ſemen ſapore naſturtii, calore igneo, vel aqua maceratũ, vel linteolo & cruſta piſtoria inuolutum & toſtum, ac eclegmatis miſtum, craſſa & lenta ex pulmone valenter promouet: id enim ſic torrefactũ terget, lib. 7. comp. phar. part. *Lib. 6. ſimpl.*

FOenumgræcum ſiccum primo gradu, calidum ſecundo, lib. 8. ſimpl. calidum autem mediocriter, & ob id digere-

re dicitur,lib.1.comp.pharm.part. Nam is gradus eſt medius inter ſummum & omnino temperatum, quod nec calidum abſolutè, nec frigidum iure dixeris: phlegmonas ardentes irritat & exacerbat,minus calidas & duras digerendo ſanat.

Liguſticum à Liguſticis alpibus,in quibus frequens naſcitur,Galeno & Actuario vnius literæ mutatione Libyſticum.hodie rarum, ſemine ſolo viſum Manardo,radix imperatoria vocatur Leoniceno & Muſæ. Hoc autem accipiendum in compoſitionibus Arabum pro Keïſin ſeu leuiſtico, apertè docet dia trion pipereon & dia calaminthes, à Nicolao & Meſue ex Galeno paucis admodum mutatis deſcripta. In quibus & aliis non paucis Arabũ deſcriptionibus, vt diacymino,diamoſcho, Libyſticum repoſuit Actuarius: vulgatum autem Leuiſticum aut Smyrnium eſt cum Ruellio, aut apii vel dauci genus: cum Manardo Smyrnium, putante petroſelinum Alexandrinum vel Macedonicum.

Lib.7.ſimpl. Λινόσπερμον, id eſt, lini ſemen, humido & ſicco quodammodo temperatum,calidum autem quodammodo ordine primo: flatuoſum eſt etiam ſi frigatur, adeò plenum eſt humiditate recrementitia. Quia igitur calidum humidum flatuoſum, ſemen homini generat.Lini ſemen torrefactum terget, *Lib.6.c.ph.p.* vt ptiſſana & farina fabarum,lib.7.comp.ph.part. Lini ſe-*Li.11.method.*men vires habet fœnigræci,diſcutit,& emollit omnẽ inflam-*Lib.6.ſanitat. tuen.*mationem,Dioſcor.Erui ſemen admodum digerit,& lini ſemen moderatius. Lini ſemen tepidè calidum,vt chamæme-*Li.3.ſimp.c.9.*lum. Lini ſemen in aqua coctum refrigerantem ſuccum gi-*Li.4.rat.vict. in morbis acutis.*gnit. Linoſpermon & ſuccus roſarũ frigidioris media temperie ſunt naturæ, ſed non ita multo, quin potius caloris ſunt tepidi. Lini ſemen refrigerat, ſiccat. Linoſpermon tanquàm frigidiſsimum vitandum aſthmaticis cenſet Galenus, vt meconium, mandragoram, hyoſcyamum, cicutam, pſyllium. Linoſpermon vrinas exiguè mouet: frixum autem vreticum magis fit, & aluum magis ſiſtit eſu.

Lithoſpermon,quia ſemẽ duritie eſt lapidea, vel quia cum vino potum calculos frangit Dioſcor.

Lupinus eſt ſatiuus, idemq; vel dulcis,vel amarus: agreſtis verò minor ſed amarior, & ad omnia valentior domeſtico, terget, tenuat, incidit, digerit, ſiccat ſine morſu: vitiligines, pſoras,

pſoras,achoras, vlcera cacoëthæ ſanat, lumbricos necat ſumptus & admotus,iecur & lienem purgat, phymata, chæradas liuida ex aceto, vel poſca, vel oxymelite pro ægri natura & affectus varietate coctus digerit.

Lens calido frigido tẽperata,ſicca ſecundo gradu, valenter aſtringit,ob id ventrẽ ſiſtit, abiecta priore aqua aluũ mouẽte. *Lib.8.ſimp.& lib.1.aliment.*

MElanthium eſt Gith, quamuis flore ſit ex cæruleo albicante,ſemine nunc nigro nunc rufo,calidum ſiccũ tertio gradu, tenuium partium, amarum: aſsiduo olfactu catarrhos ſanat, orthopnœan iuuat, lumbricos necat,lepras terget, menſes ob craſsitiem & lentorẽ retentos mouet. Quæ verò in ſegetibus altius adoleſcit,Nigella vulgò dicta, inodora, pſeudomelanthium,& Githago vocari poſsit,Hermolaus. *Nigella Gazæ. Nigella Romana vulgo.*

OCymum calidum ſecundo ordine, excrementitia humiditate,ob quam non ſumendum, ſed foris illitum coquit & digerit. Ocymum calfacit, tenuat, non tamen valenter, lib.2.comp.ph.part. Ocymi ſemen Actuar.vſurpat. *Lib.8.ſimpl.*

PSyllium dictum quòd ſemen habeat effigie pulicis, humido ſicco temperatum, frigidum ordine ſecundo: ne putes cum Arabibus corticem frigidum gradu quarto, medullam gradu quarto calidam. *Dioſcor. Gal.*

Papaueris genera ſex Dioſcoridi & Galeno. Satiuum calice grandi, flore & ſemine albo,minus frigidum,ob id eſculentum,& mediocriter ſomniferum. Syluestre,flore ad medium nigricante, calice minore,ſemine nigro,admodum frigido. Tertium etiam ſylueſtre procerius, ſqualidius, calice longiore,omnium frigidiſsimum,proinde ſtupefacit: amborum ſcapo ſub capite conuulnerato ſuccus defluit lacteus, opium dictus: Meconium verò ſuccus ex his expreſſus crudis. Horum frigiditate aliorũ vehementem calorem obtundunt Medici in ſuis compoſitionibus. Quartum papauer Rhœas,Quintum Corniculatum, Sextum Herculeum, κωμαὰ μήκωνος vſurpantur Actuario.

SEſili radice & fructu, id eſt ſemine, valde calet, ac tenuium eſt partium, quare vrinã mouet, epilepſiæ & or- *Siler vulgò cũ Virgilio.*

thopnœæ confert: laudatur Maſsilienſe. Eſt alterum etiam Aethiopicum,& tertium Creticum Dioſcoridi.

Staphis agria ſemine velut in vuam coacto (vnde illi nomen) vehementer acri & vrente,quod manſum pituitam in os ex capite plurimam detrahit, & illitum ex oleo capiti puerorum pediculos enecat: vnde Pituitaria & Pedicularis quoque herba dicitur.

Lib.8.ſimpl. Sinapi calfacit,ſiccat ordine quarto. Sinapi Alexandrinum laudatur, lib.9.comp.pharm.part.

Lib.1.antid. THlaſpi duplex, Cappadocicum, nigrius, non exactè rotundum,ſed quadam ſui parte velut ἔνθλασμα habet, id eſt,infractum,exiguum,vnde illi nomẽ, multò maius & præſtantius quàm ſecundum. quod etiam in Cappadocia & Creta,& vbique naſcitur ὠχροξάνθον, id eſt,ex pallido flauum,rotundum, admodum exiguum. Creticum tamen plerique immiſcent theriacæ.

VRticæ fructus,id eſt ſemẽ & folia præcipuè vtilia ſunt, non vehementer calfaciunt, tenuium ſunt partium, digerunt, phymata & parotidas, craſsis & lentis humoribus pulmones purgant.

DE FRVCTIBVS.

FRVCTVS eſt ea plantæ pars,quæ carne conſtat & ſemine; ſæpe etiam pro ſemine ipſo ſumitur, vt libro ſexto ſimplicium fructus vrticæ: lib.8.ſimpl.fructus ſeſeleos, fructus hyperici,fructus ſcillæ,periclymeni fructus & eiuſdem ſemen,lib.9.comp.ph.part.& alibi perſæpe. καρπὸς τοστρύχνου, Solani bacca Actuario.

Lib.8.c.ph.p. & lib.6.ſimp. AMygdala amara incidunt,tenuant,tergent,digerunt ſine morſu: ob id ex pulmone excreationem craſſorum & lentorũ promouent,obſtructum hepar,lienem,renem, colum à craſsis & lentis humoribus expediũt. Amygdala dulcia ſunt moderatè calida, leuiculam tamen amaritudinẽ habent, ſed à dulcedine occultatã,quæ tamen tẽporis ſpacio fit manifeſta.

Anacard

Anacardus, vel cum Actuario Anacardion, à cordis figura & colore dictum videtur, calidum ſiccum quarto gradu Meſuæ, veteribus Græcis indictũ, affectus cerebri & neruorum frigidos humidos mirè iuuat, admotum cutim vlcerat, verrucas tollit. In India, Sicilia, Apulia frequens.

Βάλανος μυρεψικὴ, id eſt, glans vnguẽtaria, Myrobalanus quoque Plinio dicta, ex Barbarica regione allata, Ben Arabibus dicta, hodie frequens, ſtomacho aduerſatur, cum hydromelite pota carnis huius drachma vna eſt vomitoria: cum oxycrato autem iecur & lienem purgat, cum aceto item (quo maximè gaudet ad agendum) lepras, pſoras, lentes, vitiligines, pruritum exterget, lieni & hepati indurato illinitur cum farina aliqua ſiccante, vt erui, lolii: lieni etiam prodeſſe ſcribit Gal. in theriaca ad Piſonem. Carnis huius ſucco facultate calido vtuntur aromatarii: id enim inodorum cùm ſit, omnibus ſuſcipiendis odoribus eſt aptiſsimum, vt inſipidum ſaporibus, & coloris expers coloribus. Id oleum Balaninum Dioſcoridi dicitur. Oleo expreſſo quod reliquum eſt magma terreum & amarum, incîdit, terget, contrahit, ſtipat, ad prædicta etiam efficax, ſed minus. Id autem videtur eſſe μυροβαλάνου πίεσμα, id eſt expreſſum, quod cataplaſmatis miſcet Galenus, lib. 11. & lib. 13. meth. & bis. lib. 9. comp. ph. part. ſplenicis remediis, & ad ſcirrhoſos lienis affectus adhiberi ſcribit Gal. Quo in loco μυροβαλάνου tantum, aliquando μυροβαλάνου σαρκὸς, aliquando βαλάνου μυρεψικῆς leges, aliquando μυροβαλάνου ἄλευρον, id eſt farina & puluis, & μυροβαλάνου λεπόχανα, id eſt putamen & cortex, & μυροβαλάνου λέπυρα κεκομμένα καὶ σεσησμένα, id eſt, Myrobalani teſtæ & cortices inciſi & tuſi cribratiq;. Omnia hæc ad ſplenicos ſcribuntur, vt ſit credibile maximè de fructu eodem, ſcilicet Balano myrepſica, & eius partibus, omnia hæc intelligi. Quam verò myrobalanum Arabicam intelligat Dioſcorides, cui ſimilem facit fructum palmæ Aegyptiæ, de qua nunc dicam, planè ignoro. Nam Arabum recentiorum Myrobalani quinque generibus diſtinctæ veteribus indictæ putantur, & prunorũ generi potius, quàm Balanorum, id eſt glandium, aſsignandæ ſunt. Sunt verò hæc: Lutea ſeu citrina refrigerans, cholagoga. Inda & nigra, melancholiam purgat, & exhilarat. Cepula phlegma- *Lib. 6. ſimpl.*

goga, viſum illuſtrat, coctionem iuuat, pectus purgat, hydropicis confert. Empelitica (quæ Actuario ἀμπελιτὶξ & ἐμβελζι quoque dici videtur) etiam phlegmagoga, ventriculum purgat & roborat, appetentiam reuocat, vomitum ſiſtit. Beletzica empyos iuuat, hæmorrhoides & capilli defluuium. De his plura leges in Arabibus. Ignorata quoque videtur hodie χρυσοβάλανος, digerens & roborans, vt ſpica nardi, & ad colicos affectus, & ſtomachi ardores & ſingultus adhiberi

Lib.10.meth. ſcripta Gal.lib.8.& lib.9.comp.ph.part. Epithema ex pin-

Dioſcor. guibus palmulis, quas πατήτας vocant, ſalubriter viſcera refrigerat, ſi harum caro omni membranoſo exempto coquatur cum aceto ſolo claro, vel etiam aqua adiecta donec teneſcat, & tuſa applicetur. φοῖνιξ in Aegypto naſcitur, viridi colore, odore mali cotonei, medio maturitatis vigore per autumnum decerpi ſolet, Arabici Myrobalani ſimilis, ſine oſſe, quam Myrobalanum quoque vocari Hermolaus affirmat. πῶμα autem & ἄδιψος etiam Dioſcoridi vocatur, quòd ex hoc fructu palmæ Aegyptiæ humidiore, acerbo, aſtringente expreſſo, potus fit ſitim ſedans Solino autore, qualis nobis ex pomis, pyris, ſorbis. Hic autem fructus ſi vſque ad maturitatem in arbore ſinatur, ſolibus nigricat, & φοινικοβάλανος vo-

Lib.6.c.ph.p. catur. φοίνικες ἢ φοινικοβάλανοι, vel quomodò aliter vocare li-

Lib.9.c.ph.p. bet, moderatè ſtringunt, acerbo ſapore: φοινικοβαλάνων τῶν

Lib.7.c.ph.p. σαρκὸς, & in colice Scribonii ibidem. Caro φοίνικος συριακοῦ

Lib.2.c.ph.p. in arteriace Andromachi 12. & caro φοινικοβαλάνων in 15. φοι-

Li.8.c.Herm. νίκων βάλανοι proprietatem quandam habent capitis dolorem excitandi: eaſdem tamen dat ibidem in cephalalgia: ſed addit, ſi ſint conſuetæ & accipienti iucundæ. Adhæc bilem pellunt deorſum, vt abſinthium, & refrigerant. φοίνικες θηβαϊκοὶ à Thebis Aegypti opinor, & paulò pòſt, φοίνικες πάτητοι celebrantur, φοίνικες πάτητοι μέγιστοι bis lib.9.comp.ph. part. & paulò antè, φοινίκων καρυον: πάτητοι autem vocantur, quòd id genus tertium palmularum cariotarum præhumidum in parente rumpat ſe præ humore, calcato ſimile redditum. φοῖνιξ verò palmæ ipſius fructus, præſertim dulcis, non paucam obtinet caliditatem: tamen deſiccat, roborat, contrahit, ſtipat, denſat, ſumptus & admotus. Hic autem fructus à palmæ Aegyptię fructu ex oſſe differt: nam hic os habet magnum & longum & duriſſimum, in quo ſemen id os vſtum

& tritum

& tritum valenter digerit, lib. 6. c. ph.p. Dactylus à digitorum forma dicitur. ὀξυφοῖνιξ verò dictus Act. & aliis quibuſdam Græcis recentioribus ab acido ſapore, palmæ ſylueſtris fructus, Tamar Indus, id eſt, Dactylus Indus Barbaris vocatus: quãuis cholagogus ſit cõprimendo, vt palmæ Aegyptiæ fructus Phœnicobalanus, tamen os habet quod ſatum arborem nobis produxit, aliis multis conueniunt & differunt, vt mox audies: ſed Oxyphœnix veteribus indictus, cùm Phœnicobalanus in his frequens ſit. Oxyphœnix ſubniger, lucidus, tener, villis tanquàm radicibus miſtus, recens, pinguis, acido ſapore. Quibus notis apparet, quantum conueniat cum Phœnicobalano, & quantum diſcrepet: adhæc oſſe vt diximus, & vſu hic recentiorum tantum, ille etiam veterum. Si frigidus eſt ventriculus oxyphœnici, debet miſceri maſtiche vel macis vel ſpica nardi. Raró per ſe datur, picrocholis ſaluberrimum ad vncias quatuor dari poteſt: annis 10. ſeruatur. Μοχροκάρυον, vel μοχροκαρύδιον, vel κάρυον μυριστικὸν Grecis recẽtioribus, vt Act. dicitur. κάρυον ἀρωματικὸν Aëtio, veteribus ignotum. Probatur hæc nux recens, grauis, præpinguis, & quæ acu vulnerata mox humorem reddat oleaginum. Reliqua huius hiſtoria tam graphicè pingitur Ruellio medicorum huius ætatis doctiſsimo, vt poſteritatem latere non poſsit, vti neque nux Indica oleo prægnans, ſemen augente, & venerem ſtimulante, vt ait Auicennas, veteribus quoq; incognita, ſuis coloribus ab eodem belliſsimè abſoluta: & nux vomica, quia vomitum citat, & ſtupefacit, canes ac ceruos eſu mox necat: cæteras aues, & piſces ſtupefacit, vt manu capi poſsint ſopiti.

Nux moſchata vulgò, etiamſi moſchum non oleat.

CΩni Atticis vocati olim fructus, Coccali verò & Strobyli à quibuſdam nunc dicti, virides toti ſunt ſubamari & ſubacres, emplaſtici ſunt, & tergent, purulentam & craſſam lentamq; expuitionem promouent. Nucleus autem eius eſculentus, nutrimentum eſt coctu difficile, validum: aqua maceratus acrimoniam exuit, aſperitatemq; lenit, & calido frigidoq; temperatus euadit. In ſua nuce pinea ſeruantur.

Nux pinea lib. 7. c. ph. p. Lib. 7. ſimp. & lib. 2. aliment. Gal. lib. 7. ſimplic.

Cypreſsi pilulæ quæ etiam Cωni quibuſdã dicuntur, vnde Coniferæ cypariſsi, Virgil. ſiccant valenter ſine inſigni calore aut acrimonia: ob id hæ molles & recẽtes vlcera magna

in duris corporibus glutinant,enterocelas iuuant.

Cydonia Græcis,Cotonea Catoni,mala omnib⁹ nota. Quo in genere quædam ſunt rotundiora, minora, acerbiora, quæ maſcula vocamus:vt alia fœminea longiora, maiora, dulciora,minùs acerba,quæ Struthia cũ Aſiaticis ſuis Galenus vocat,lib. 6.ſanit.tuendæ : & στρουθιόμηλα, lib.2.alimentorum.ex hiſque vel aliis diacydonion componit,ibidem.

Citrum,vel malum citreum,ſeu citrium, ſeu medicum & aureum,ſucco acido(qui frigidus ſiccus ordine tertio, ex pane admotus phlegmonas internas cohibet) ſemine amaro, cortice odoro, medicis in vſu eſt aduerſus internas & peſtilentes putredines,venena,& partium principum & ſtomachi imbecillitatem.Nam & roborat, tamen ægrè is coquitur.Inter citrea mala Aranciũ numeratur Hermolao,cortice,ſucco, ſemine illis proximum,vti & quod Limonem vulgus Gallorum appellat,ſucco,frigidiore quàm citrum:& quod ex inſitione pomum citreum vulgò dicimus Pomcire.

Dioſc.& Gal. lib.7.ſimp. Colocynthe,id eſt,Cucurbita ſatiua, frigida humida ordine ſecũdo,vt cucumer ſatiuus, ad phlegmonas & ſitim vterq; efficax. Colocynthidis verò fructus in pilæ mediocris ſpeciẽ conglomeratus vehemẽter amarus, validè purgatorius,præſertim ſua medulla, cuius oboli 4. bilẽ & pituitam etiã craſſam detrahunt : balanis etiam & clyſteribus ſedi immittitur, ſtomacho tamen admodùm aduerſa eſt:ob id ſola non vtenda,quod docet hiera dia colocynthidos:legenda cùm cœperit in pallidum colorem permutari. De hac Meſues multò plura ſcribit,quæ tanquàm parum momentanea neglexi.

Cucumeris agreſtis quàm ſatiui fructus multò eſt minor, oblongis glandibus ſimilis,cuius ſucco elaterium qua ratione fiat,docet Dioſc.amarus eſt, bilem pituitamque purgat, præſertim hydropicis citra ſtomachi iniuriam, radice alba, magna, & præſertim eius cortice & foliis etiã vtilis eſt,ſed ineſficacius vtrunque, ciet menſes, emollit, terget, digerit, purgat,quàm elaterium : ſummè amarum, tenuium partium,leuiter,vt ad ſecundum ordinem,calidum.

Dioſc. Carpobalſamum, id eſt, fructus Balſami,flauum ſit,plenũ, grande,graue, mordax guſtu, & feruens in ore, modicè opobalſamum redolens. Adulteratur ſemine hyperico ſimili, quod Petra Palæſtinæ oppido affertur : ſed id Carpobalſamo

maius,

maius, inane, viribus ignauum, ſapore piperis. Carpobalſamum tamen adulterari non poteſt, lib. 1. antid. Galen. Balſamo planta ſecundo exceſſu calida ſicca, tenuium partium: et Carpobalſamo, & Xylobalſamo liquor eſt tenuior, minùs tamen calidus quàm quidam exiſtimant, tenuitate partium decepti. Sæpe enim expertus ſum non iuuiſſe diſpoſitionẽ calfactione egentem. Opobalſamo igitur (quod & βαλσαμέλαιον vocari dicit Simeon) recenti, validi odoris, ſubruffo, albo, vel viridi (nigrum autem peſsimum eſt) ſyncero, dilui facili, læui, aſtringenti, nõ acido, linguam modicè mordenti, eſt præcipua inter has plantæ huius partes autoritas, & vis efficaciſſima. Laudatiſsimum autem eſt Syriacum ſiue Iudaicum, ſiue ex Syria Palæſtina, ac prȩcipuè Sigadinum, è loco Palȩſtinæ, in quo copioſiſsimum & optimum gignitur. Opobalſamum ſit Syriacum, tenue, perſpicuũ, ſubſtantia non craſſum, quale in fundum vaſis ſubſidere ſolet, quale item ſit vetuſtate. Opobalſamum variis adulteratur modis, vt ægrè poſsit etiam ab exercitatiſsimis cognoſci, vt in adulteriis docemus: alias veri Opobalſami notas ex Dioſcoride requiras: hodie propemodùm deſiit videri. Xylobalſamum autem ſurculus eſt recens, ſarmẽto tenui, fuluus, odoratus, Opobalſamum nonnihil ſpirans.

Lib. 6. ſimp. — *Gal. lib. 1. c. ph. p.* — *Dioſc.* — *Lib. 1. antidot.* — *Lib. 4. c. ph. p.* — *Dioſc.*

Caſsia fiſtula Arabum veteribus Grȩcis indicta, recentioribus Caſsia ſyringodes, id eſt, fiſtulacea, & nigra Actuario, ſcribenti paſsim κασσίας μελαίνης τὸ ἐντὸς, à quo bellè deſcribitur. Ex India, Syria, Aegypto affertur: optima eſt collucens, grauis, plenior, & quæ concuſſa clauſis intus granis non ſtrepit, atramento intus ſeu pulpa pingui, ſplendente, ſucculento, non ſitulento, nec putri: calida humida primo gradu: vacuat omnes humores leniendo pueris & prægnantibus à drach. ſex ad vnciam vnam & dimidiam. Si verò aluus fluit, maſtiche aut myrobalanis aſsis corrigitur. Caſia autem Grȩcorum quæ ſit, pòſt leges in Cinnamomo inter cortices.

Cubebæ non ſunt cum Serapione & aliis quibuſdam neotericis, Galeni καρπήσια, nec Dioſcoridis oxymyrſines ſeu myrti ſylueſtris fructus (nam is Carpeſiorum non meminit) vt Cubebas cum prædictis conferenti patet. Hæ enim ſunt fructus tenues piper æmulantes, ſed minùs acres & ſubamari. Galeni verò καρπήσια ſunt κάρφη, id eſt, feſtucæ tenues,

Lib. 1. anti. & in theriaca ad Piſonem. — *Lib. 7. ſimp.*

ἀκρέμοσι id eſt, ſurculis cinnamomi, ſimiles odore vocati φοῦ, ſed valentiore, & nonnihil aromatico, quem & guſtatus deprehendit, facultate etiam Phu ſimilia: ſed quia ſunt tenuiora, viſcerum obſtructiones potentius detergent, & vrinam mouent, & renum calculos expurgant. Non adeò tamen ſunt tenuium partium, vt cinnamomi loco vſurpari poſsint, cum Quinto: cùm multò ſint deteriora optima Caſia. In Side Pamphiliæ loco, quia luxuriat, carpeſium ibi eſt viliſsimum. Actuarius tamen κομβίβας vel κομπίβας, etiam καρπήσια vel καρπίδια vocari ſcribit.

Locis prædictis et lib.3.c.ph.p.

FIcus recens præhumida modicè calida, digerit, nõ poteſt coquere: Ficus verò arida ſeu paſſa, id eſt carica calida in fine primi gradus, vel initio ſecundi, partium tenuiũ, digerit, tenuat, coquit, pinguior magis coquit, acrior potẽtius terget, & digerit: σῦκα λευκὰ ficus candidæ, interdũ pingues Actuar.

Libr.3.c.ph.p. & lib.8.ſimp.

GAlla eſt fructus roboris, & cæterarum glandiferarũ arborũ. ea vel eſt omphacitis, id eſt, immatura, parua, nodoſa, grauis, ſolida, non perforata, cæteris præſtantior & maiore vi in medicina: ob id ea, ſed magnitudine mediocri, deligitur. Heræ. lib. 6. comp. ph. part. Altera eſt magna, rotundiſsima, læuis, leuis, laxa, perforata, flaua. Vtraque refrigerat ordine ſecundo, ſiccat tertio, craſſæ eſt eſſentiæ, aſtringit.

Lib.6.ſimpl.

IVniperi fructus calidus ordine tertio, ſiccus primo: ſed folia calida ſicca gradu tertio.

Iuiubæ, Zizipha Græcis, Zinzipha etiã Actuario, fructus Myxariis affinis facultate: nam calidus humidus primo gradu, etiam pulmonarius: eſt duplex, ſericum, id eſt, rufum, nobis frequens: & candidum, adhuc ignotum. Ad fluxiones calidas, acres, tenues, in pectus ſalubre: vt alimentum verò à Galeno damnatur lib. 2. alimentorum. Quem locum Auicennas, Sauonarola citant in ſuis Iuiubis.

Dioſc. & Gal. lib.8.ſimpl. Lib.6.c.ph.p.

MAlum granatum ſeu punicum triplex, dulce, acidum, acidodulce ſcilicet ſucco, ſaporis naturam viribus refert: omnium tamen flos, cortex, nucleus aſtringit, ſed acidi & acerbi magis, dulcis multò minus: medii horũ mediocriter.

malicorium,id eſt, cortex nondum adultorum ſed perfectioni propinquorum eſt melior ad aſtringendum in ore affectus ex fluxione naſcentes.

Myxæ, & myxa, & Myxaria Actuario & Græcis quibuſdam aliis recentioribus, ἀπὸ τῆς μύξης, id eſt, à mucco lento è naribus fluente:cùm ſimili hi fructus abundant,bilem detrudere, & ſitim ſedare dicuntur, humida primo gradu, calido frigido temperata. *Sebeſten.*

Myrti vtriuſq; germina,folia,baccæ, ſuccus conſtant ſubſtantia calida,tenui,& contraria illi frigida,terrea,aſtringente,magis ſylueſtris quàm ſatiua. Bacca Catoni Myrta, Murta Varroni,Myrtili vulgò, Myrtus alba & nigra paſsim dicitur Galeno in comp.ph.part.

Myricæ fructus generoſiſsimè aſtringit:lib.6.comp.ph.p.

Morum album Grecis veteribus indictum videtur & Latinis præterquàm Ouidio, fortè quia per inſitionem in populo alba gignitur:nigrum cantatiſsimum, & arbor cuius foliis bombices paſti ſericum nent pulchrius & ſplendidius, Mori tamen albæ folium ad hos alendos eſt mollius, eoq; hodie tota Italia vtitur. Sycomorum ſeu ficum Aegyptiam non habet Italia,Muſæ.

Κάρυον βασιλικὸν, id eſt,Iuglans ſeu Nux regia, nucleo eſt tenuium partium vbi inaruit, ſiccante etiam ſine morſu,ex quo inueterato oleum valenter digerit. *Lib.7.ſimpl.*

Λεπτοκάρυον, id eſt,nux tenuis,Pontica,Preneſtina,Auellana,à locis vbi luxuriat Ponto, Præneſte, Auellis dicitur. plus habet terreæ & frigidæ ſubſtantiæ,ob id auſterior. *Ibidem.*

Nuces teneræ, rancidæ, vſtæ, cinere digerunt & aſtringunt,libro ſexto part.

Nux Indica Actuario in diaſatyrio & diaromato.

Oliuæ halmades,quæ in muria ſua ſeruātur, & in ea vel oleo ſuo quaſi vrinabundæ innatant, Colymbades ob id dictæ,plurimùm aſtringunt & digerunt: ſunt tamen mitiſsimum ad aphthas remedium.lib.6.comp.ph.part.

Oxyacanthæ vel Oxyacāthi racemoſæ bacculæ dū maturuerunt rubentes,aſtringunt,vis eadem foliis ſed languidior: Radix infixa corpori ſpicula extrahit,trita & admota Dioſc.

Piper

Lib.8.ſimp. *Lib.2.antid.* PIperis fructus inter initia ceu ſiliqua coryli nucamento ſimilis,longũ piper eſt: humidius,ob id citò perforatur, vt zingiber, & tardè, ſed diu linguam mordet, vt arus. Hæc ſiliqua poſteà in grana milij æmula racematim degenerat, quæ aucta & ſiccata ſed adhuc tanquàm omphacodea & immatura Piper album fiunt,nigro δριμύτερον, id eſt,acrius:nam nigrum iam ſuperaſſatum ſole & ſuperſiccatum eſt, tamen *Lib.1. ant. & lib. 4.ſanit. tuendæ.* vtrunque valenter calfacit & ſiccat,& maximè digerit.Idem in agreſte ruſum cœli & ſoli iniquitate degenerauit.

Piper longum adulteratum ſeculo Galeni erat duplex, afferebatur alterum ex Alexandria, alterum erat germen herbæ cuiuſdam,quale eſt nobis coryli aut betulæ nucamentum.

Piper longum nec ſit pertuſum, nec adulteratum: album ſit maximum, pleniſsimum,graue: itidem & nigrum, neque id ſit rugoſum. Piper nigrum maius eſt alio pipere,& corticem habet tenuiorem & minùs rugoſum, lib.1.antid.

Piper album ſtomacho eſt accommodatius, & acrius nigro, lib.9.comp. ph.part. Piper omne coctionẽ ſumptum iuuat,ſed album ſupra duo reliqua genera ſtomachum roborat, lib.4.ſanit.tuendæ, & lib.9.c.ph.p. Radicibus piperis maximè proceris etiam vtitur Andromachus apud Gal.li.7. comp.ph.part.His vires coſto ſimiles tribuit lib.8.ſimpliciũ.

Piper longum & rotundum bis ſcribitur lib.10.comp.ph. part.vt id album & nigrum comprehendat.

Piper κοινὸν, id eſt, commune Actuario in antidoto podagrica,diapæonia, & diatrion pipereon, eſt nigrum:nam longum & album ibidem commemorat.

Lib. 8.ſimp. Piſtacium fructus ſtrobylo proximus, ex Syria largus affertur,ſubamarus,odoratus,tenuis eſſentiæ,obſtructiões pręſertim iecoris,ſed & pulmonis,& thoracis liberat.

Lib.5.ſanit. tuendæ. Pruna dulcia aluum ſubducunt, alia pro qualitate ſaporis nos afficiunt,bilem ex ventre comprimendo vacuant aſtringentia. Damaſcenis ad aluum ſubducendam longè præfert Galenus Hiſpanica ſeu Iberica,vulgò hodie Auguſtana, quia menſe Auguſto matura leguntur, & Cathalaunica etiam Italis dicta ab hac Hiſpaniæ regione,in qua luxuriant.

Sumach. RHus hic aut hæc,eſt fructus racemoſus,cortice acido,aſtringente, repellente, nunc medicamentorius tantum, olim

olim etiam culinarius, pro ſale obſoniis aſpergebatur: ſtomacho valdè idoneus: alter verò & coriarius denſandis pellibus applicabatur. Ille etiam Syriacus & ruber, lib. 3. & lib. 6. cõp. ph. part. Vterque tamẽ muſto auſtero incoctus ſtomachicum eſt medicamentum optimum, lib. 6. compoſi. ph. part. Eius ſuccus omphacij vice eſt in Gallia Narbonenſi, in hortis Gulielmi Pelliſſerij, Epiſcopi Montiſpeſſulani longè omnium doctiſsimi & optimi. *Ibidem.*

Ribes Arabibus dictus fructus eſt racemoſus, acidus, acerbus, frigidus ſiccus ſecundo gradu, ſitim extinguit, vomitum & fluorem alui bilioſum ſiſtit, morbillis & variolis (quas vocant) ſaluber, frutex nobis poteriũ rubrum dicitur. Quid ſit, frutex an herba, & quæ, ambigit Serapio in ſuis teſtimoniis.

Succus ex his expreſſus cum ſaccharo cydoniati modò coctus eſt delicatiſsimus. Ribes Damaſcenus Muſæ additur foliis rotundis, & magnis viribus iiſdem.

Rubi, ſeu Sentis, Græcè βάτου genera Theophraſto tria ſunt: magnus ſeu rectus, humilis, & medius. Batus magnus ſeu rectus eſt Dioſcoridis & Galeni κυνόσβατος, fructu oblongo per maturitatem rubente, cytino ſimili, in quo ceu lanę flocci arteriam ſi deuorentur infeſtant: huic foliis, fructu, roſa ſimilis eſt cynoſrhoda, Englentier nobis dicta: & roſa frutex omnis, niſi quòd ferè gerit folia florum magis multiplicia & maiora, arte opinor adiuta: ſed Cynoſbatos ſpinis hamatis horridior, rectior, & altior aſſurgit, odore caret, quem Cynoſrhoda tota habet præſtantiſsimum: roſa verò frutex flore ſolo eſt odorata, nunc albo, nunc rubro, nunc amborum medio (incarnatũ vocant) nunc etiam moſchato. χαμαίβατος autem, id eſt, humilis rubus. Dioſcoridi & Galeno abſolutè tantùm βάτος dicitur, foliis multò maioribus quàm cynosbati, bicoloribus, per nodos ternis, ſarmentis longiſsimis & firmiſsimis, qua parte terram attingũt, radicem iterum facientibus, flore albo, tenui, racemoſo. Cui ſuccedunt Mora grandia, racemoſa, multis granis coagmentata, per maturitatem nigerrima, βάτινα Galeno dicta. Medius denique eſt βάτος ἰδαῖος Dioſcoridis, longè tenerior priore, ac minoribus ſpinis horrens, quanquàm & ſine ſpinis inueniatur: frequens is eſt in ſyluis, folia habet chamæbati, ſed paulò minora, rectus ferè ſurgit ad duo aut tria cubita, ſcapo gracili & infirmo, & *Li. 3. hiſt. plãt.* *Ronce Gallis.*

mini

minimùm ſpinoſo, flore ſimili, & fructu,ſed minore & granis, quinque, ſex coagmentato, & per maturitatem nigerrimo, ſed in cœruleum inclinante ob aërium quoddam tectorium, nigris vuis & prunis, & aliis multis fructibus innaſci ſolita: aſtringunt, ſiccant, refrigerant omnia hæc magis & minùs. Ad rubum Ideum docti hodie reducunt hortenſem rubi recti, breuis, parum ſpinoſi ſpeciem, foliis bicoloribus, fructu dum maturuit olfactu & guſtatu iucundiſsimo, fragi rubri (eſt enim etiam album) æmulo: quem fructum herba trifolia & bicolor fert acrem, præſertim ſemine. Flos roſarum aſtringit magis quàm ipſæ roſæ, lib.6.comp.ph.part.& alibi ſæpe. Eſt autem id crocatum in flore medio, quod Anthera vulgò dicitur corrupto fortè vocabulo pro ἄνθος ῥόδου: cùm Anthera Galeno ſit nomen compoſiti medicamenti.

SEnna Hermolao, Serapioni Sene, folliculis latis ſed falcatis, & in his ſemine vtilior purgando humori melancholico, in morbis ab eo ꝓdeuntibus. Datur puluis eius ad drach. vnam, decoctum vel infuſum eius à drach.2.ad drach. quinq;: multis torminoſa eſt, aliis eſt clemens pro varia ſumentium natura: tutius tamē eſt, maſtiche vel caryophyllis & alio corrigere: foliis non eſt inefficax. Non eſſe autem Dioſcoridis vel Empetrum, vel Delphinium, vel Peplium, vel Alypum, planè intelliges, ſi rem cum picturis horum conferas: veteribus enim omnino indicta eſt planta, amara, ſubaſtringens. Indica, Aegyptia valentior vncia dimidia, quàm Apula, aut Liguſtica vncia vna: & recens præſtantior quàm inueterata.

Lib.6.ſimp. VVa ſatiuæ vitis coquit, aſtringit, læuiter digerit: Vuæ paſſæ caro tantum aſtringit, quantum eget hepar affectum. Habet prætereà facultatem coquendi crudos humores, & euincendi malignos: ægrè corrumpitur, tota ſubſtantia familiaris eſt hepati, & vſu crebro conſueta eſt: ob id feliciſsimè miſcetur medicamētis hepaticis. *Lib.8.c.ph.p.* σταφίδας κεκαθαρισμένας, id eſt, exemptis vinaceis Actuar.

Fructus herbarum, vt mandragoræ, cucurbitæ, vtriuſque cucumeris, peponis, ex herbis, quarum naturam ferè ſequuntur, noti ſunt: tamen pomum mandragorę calorem quendam odore

odore teſtatur: & colocynthidis fructus medulla amarior & purgantior, quàm ipſa planta, vt antè diximus: ἀγγουρίων peponibus addit Actuarius.

LIGNA.

AGALLOCHVM eſt lignum quod ex India et Arabia defertur, maculatum, odoratum, guſtu aſtringens,& ſubamarum,cute aliquantum verſicolore. Halitum manſu commendat, ventriculum frigidum iuuat Act. eſt enim euſtomachũ. Pro thure ad ſuffimenta ſubſtituitur Dioſcoridi, eiuſq; modo liqueſcit,ſed tardiùs:aquæ iniectum ſubſidet,& bullulas edit. Arborem huius triplicẽ ſcribit Ludouicus Rom. Patricius in tractu Indico videri, Calampat perfectiſsimam, Bochor viliſsimã, Iubam mediam. Xylaloë Aëtio & Actuario dicitur, id eſt, lignum aloës,arboris non herbæ. Rhodiis militibus eſt frequens in corollis precariis. Quod verò oſtendunt officinæ, verius eſt aſpalathum acre & auſterum, Gal. lib.6.ſimpl.quod aroma apud ſuos naſci idem Gal.ſcribit lib. 8.comp. ph.part. & in Syria & Rhodo Dioſcorides: graue, detracto cortice rubens aut purpuraſcẽs,denſum, odoratum, amarum, aſtringens: alterum deterius,candidum,lignoſum, inodorum,Dioſc. *Dioſc.* *Lignum aloës.*

BErſilium, vel Verzinium, à Verzinia vrbe Indiæ aduectum & dictum,medicis in vſu nondum venit,ſed infectorium tantùm eſt rubenti colore.

GAiacum lignum haud ita pridem inuentum, morbis omnibus ex humore præſertim frigido natis ſalubre eſt: nam acrimonia & amaritudine incîdit,tenuat,terget,vacuat. De huius facultate mira doctiſsimus Antonij Galli medici commentarius, his diebus paucis in lucem editus, facit, ne mihi de hoc pluribus ſit agendum:vt interim taceam Huttenum,Matthæolum,Maſſam,& alios quamplurimos, qui verboſiſsimè vires eius nobis inculcarunt,potiſsimùm in curanda lue Hiſpanica: ſed tamen etiam morbis aliis, præſertim frigidis, conferre tam eſt hodie perſuaſum, vt certatim eo

etiam

etiam magnates vti geſtiant.

Lib.7.ſimp. in loto arbore.

ΛΩτοῦ ῥίνημα id eſt, ſcobs & raſura Loti, ad ſanguinis ſputum vſurpatur Actuario in διὰ ἠλέκτρου: Galeno autem ad muliebre profluuium, dyſenteriam, cœliacos affectus. Huius fructus etiam valenter aſtringit. Aliſa vulgò dicitur, & arbor ipſa Aliſier.

Sandalum. vulgò.

SAntalum triplex Actuario Græcorum ſoli, Arabes vt videri poteſt, imitato: album peſsimum, rubrum bonitate medium, κίτρινον Act. flauum odoratiſsimũ & optimum: frigida omnia gradu tertio, ſicca ſecundo, hepar roborant Act. Ex agro Calicuthi Indiæ emporij aduehunt Luſitani. Quod autem officinæ vſurpant, eſt calidum, & linguam acrimonia pungit, præcipuè citrinum: vt cedri vel alterius aromaticæ & calidæ arboris lignũ iure optimo cenſeri debeat: nec vtendum niſi medicus iuſſerit.

Lib.9.c.ph.p.

Lib.7.metho.

Xylobalſamum in carpobalſamo dictum eſt. Xylocinnamomum in cinnamomo dicetur mox, & Xylocaſia Actuarij in caſia. Aromatica verò medicamenta ſunt nardus Indica & Gallica, σχοίνου ἄνθος, caſia, amomum, cinnamomum, coſtus, ſpica nardi, calamus aromaticus, iris, ladanum, malobathri folium, ſtyrax, bdellium, opobalſamum, xylobalſamũ, & reliquus aromatum catalogus, aſpalathus, myrrha, crocus, macer, opus Cyrenaicus, pretioſa hæc & ſumptuoſa: pauperum verò communia, meum, dictamnus, acorum, cardamomum, lib.6.& 8.comp.ph.part. Piper verò non eſſe aroma, ex priore loco colliges. Omnia autem aromata ſunt calida ſicca, tenuium partium, lib.7.comp.ph.part.in fine.

DE CORTICIBVS.

CORTICES fructuum, vt arancij, citrei, granati: radicum arborum, vt oxyacanthes, capparis, tamaricis, fraxini, ſambuci, mori, thuris: & herbarum radicum, ebuli, apij, petroſelini, fœniculi, mandragoræ, rhaphani, in cognominibus plantis vel dicti ſunt, vel dicentur. Qui verò præter hos

ſunt

ſunt exotici, & ob raritatem quidem, etiam ob facultatem in maiore pretio habiti, nunc præcipuè dicentur.

CInnamomum arbor lauro foliis & baccis ſimilis, & eius ramorum non trunci, tertio quoq; anno delibratorũ cortex: Ludouicus Romanus Patricius. Cinnamomum calidum tertio ordine, ſiccat autem & digerit ſuper omnia æquè calida, propter ſummam eſſentiæ partium tenuitatem: propter hæc diſpoſitionibus ſcirrhoſis mederi ſolet. Idem cunctas corrigit putridas & venenatas vires ichorum, & humorum, & lethalium pharmacorum, & veneni virulentarum beſtiarum. Idem ſua facultate alteratrice & digerente, & odoris gratia, prȩſidium eſt non paruum aduerſus omnes prauas diſpoſitiones, & caſia, & pleraque alia aromatum materia. Cinnamomum quia tenuiſsimarum eſt partium, ventriculi meatus aperit, qui humores craſsi & lenti inhæſerunt, tenuat, & terget, ob id commodè hieræ miſcetur. Cinnamomi autem facultas qualis initiò adeſt, integra ſeruari nequit ad annos triginta, multò minus ad centum, vel etiam ducentos, vt quibuſdam viſum eſt, cinnamomum ſenii expers putantibus. Nam id ſeruatum vaſculis ligneis ab Imperatoribus variis, Traiano, Hadriano, Antonino, Commodo, Seuero, imbecillius tanto eſt expertus Galenus, Seuero theriacen componens, quanto vetuſtius; contrà tanto valentius, quanto recentius. Nam Seuero Imperatori theriacam parare iuſſus, qualem Antonino Imperatori parauerat, coactus cinnamomum capere ex Traiani & Hadriani temporibus relictum, cùm nondum triginta anni præteriiſſent, multò inualidius expertus eſt, lib. 1. antidot. Arborem enim totam primi generis cinnamomi ex Barbaria in ſcriniolo cubitos quatuor & ſemiſſem longo ad Antoninum allatam vidit Romæ Galenus, ex eaq; theriacen paratam aliis longè præſtantiorem expertus eſt, vt ea etiam ante duos menſes Antonino vti licuerit, non expectata medicamenti coctione. Cinnamomum optimum, iis qui id crebrò viderunt, omnium facillimè dignoſcitur: & cùm principum cinnamomorum ſex ſint differentiæ generales, optimi tamẽ ſupra deterrimum inſignis eſt exceſſus, vt in caſiis, quarum tamen optima parum à prauiſsimo cinnamomo abeſt. Id autem cinnamomum eſt odoratiſsimum, ac indicibilem quandam odoris gratiam ſuper alia omnia refert, guſtatu ad-

Lib. 7. ſimpl.
Lib. 6. c. ph. p.
in diabeſaſa.
Lib. 7. c. ph. p.
Lib. 8. c. ph. p.
Ibidem.

modum calidum eſt: non tamen adeò, vt moleſtè rodat: color illi eſt lacteus, cum φαιῷ, id eſt, giluo,& cum cyaneo miſtus. Cinnamomum quantò caſia ſit præſtantius, docet Gal. lib.5.comp.pharm.part.in dentifricio: quod ſi odorum facere vis, miſce caſiæ aut amomi drachmas duas: ſi regi paras, cinnamomi drach.vnam, vbi non ſolùm caſiæ pondus duplat, ſed etiam mediocribus dicat cinnamomum regibus.

Lib.1.antid. Ob id penuria cinnamomi duplum caſiæ miſcendum omnes propemodum veteres ſcripſerũt,vti quod pondus aliquis robuſtus ferre conſueuit,eo abſente ferãt duo imbecilli. Quintus autem penuria cinnamomi multum vti duplum carpeſii miſcebat, cinnamomo miſcet caſiam duplicatam, Act. in paſtillo ad ileoſos. Pſeudocinnamomum vero eſt ſimile, ob id facilè nobis imponit, ſed guſtu & odore longè eſt inferius. Xylocinnamomum lignoſum eſt valida habet virgulta, nec ſimilem habet ſuaueolentiam.

Gal.in theriace ad Piſonem. Cinnamomũ omnium præſtantiſsimum eſt cineritium colore, virgultis gracilibus, nodis frequentibus, odoratum vehementer: idq; odore longè optimo & ſuauiſsimo, guſtu acri, & admodum mordaci, & quod manſum πηγανίζειν, id eſt, rutam olere videatur, læue, confringi facile: addit ibidem veri cinnamomi genera aliquor. Vero igitur cinnamomo nos caremus: noſtra autem Cannella aut Caſia eſt,aut pſeudocinnamomi ſpecies. λεπτοκινάμωμον Act.pro optimo vſurpatur.

Caſia lignea vulgo,& aromatica: eſt autem noſtra cãnella.

Lib.1.antid.

Gal.in theriace ad Piſ.

CAſia verò genere proxima cinnamomo eſt, quin ipſa nonnũquàm ex æmulatione euadit cinnamomũ, vt torũ quidem veluti exacta arbor,caſia videatur: ſurculi autẽ in ea quidam cinnamomi,ramis caſiæ proximi reperiantur. Optima Caſia in cinnamomum degenerat. Vidit enim ſæpe Galenus caſiæ ſublimis & ramoſæ ac fruticis æmulæ in magnitudine ſurculos cinnamomi ſurculis omnino ſimiles,corticis tenuitate, & firmiſsimis cinnamomi notis in odore & guſtu deprehenſis. Caſia ſæpe imponit,niſi ſis in diiudicando expertus: pſeudocaſia enim veræ eſt perſimilis, ſed odore minus eſt grato, & corticẽ medullæ adhærentem habet. Optima autem laudatiſsimaq; eſt κίῤῥα, ῥοδίζουσα, οἰνίζουσα, id eſt, ruſa, roſam expirans, & vinum olens, guſtum dulcem præferens,fiſtuloſa,& aromatum modo vehementer odora. Caſiæ

Lib.4.& 7.c. ph.p. cortex Actuario etiam dicitur. σύριγξ ἡ κασίας idem, Caſia

Aegypt

Aegyptia idem, in aſyncritico caſia cathartica, id eſt, purgatrix quibuſdam dicitur. ἡ σύριγξ τῆς κασίας, lib.1.antidotorum in compoſitione theriaces. Caſia σύριγξ, id eſt fiſtula, & κίῤῥα, id eſt, rufa dicitur in arteriacis Andromachi: πυῤῥά verò bis lib.6.eiuſdem. μέλαινα autem in fine lib.7. bis, & lib.8.eiuſdem. ῥοδίζουσα denique, id eſt, roſam ſpirans, lib.8. ξυλοκασία eadem Actuario, & Arabum alumnis caſia lignea. Caſiam fiſtulam cum Andromacho minore ad Galeni ætatem omnes theriacæ miſcebant: hæc autem omnibus nota eſt, & comparatu omnium facillima. Corticem verò exteriorem (quem & fiſtulam dicunt) odoratu & guſtatu valentem habet: quod autem intus eſt, maximè imbecillum, ob id inutile. Aduerſus putria, deleteria, venena, proxima poſt cinnamomum caſia, quæ optima eſt, atque illi cognata valet: aromataq; cætera, nardus, iuncus odoratus, calamus, aſpalathus, myrrha, crocus, eandem habent facultatem: ſed cinnamomum digerit, caſia verò & malabathri folium, & amomum aſtrictionem participant. Caſia, crocus, coſtus, amomus, nardus aſtringunt quidem, ſed magis digerunt, præſertim coſtus.

κασία δαφνῖτις.
Lib.9.c.ph.p.
Lib.1.antid.
Lib.8.c.ph.p.
Lib.4.c.ph.p

MAcer Dioſcoridi eſt cortex flaueſcens, ſeu cum Plinio rubens, radicis magnæ, nomine ſuæ arboris nobis incognitæ, craſſus, guſtu perquàm aſtringens, ex Barbaria allatus. Galeno autem eſt cortex guſtu multum acerbo, cum leui quadam acrimonia, odorem iucundum redolens, vt pleraque aromata, ſiccat ordine tertio, calore & frigore eſt temperatus. Tamen lib.6.comp.ph.part.in compoſitione διὰ ῥοιῶν, ad finem ſcribit, καλουμένου μάκερ φλοιός τις ἀρωματικὸς ἱκανῶς θερμαίνων τε καὶ στύφων: niſi cauſeris aduerbium ἱκανῶς tranſponendum, vt ſolum determinet στύφων. Ex India verò affertur.

Lib.7.ſimpl.

Macis autem Arabum membrana eſt extima nucem moſchatã propè totam veſtiens, tenuis, rufa, aut flaua, interdum nigricãs, aromatica, odore ſuaui, ſapore ſubacri, & minimum amaro, tenuium partium, calida ſicca tertio gradu, ventriculum roborat, coctionem iuuat. Ex quibus liquet, Macis & Macer res planè diuerſas, licet odore, colore quadantenus conueniant: at temperamento tamen differunt, niſi contendas in Dioſcoride & Galeni ſimplicibus mendum eſſe, quod vix

queas demonſtrare. Quòd ſi res ſint diuerſæ, vt ex Plinio apertè patet, Macer hodie eſt incognitum: tamen pro Nicolai Macis Actuarius μάκερ reponit.

DE SVCCIS.

Χυλὸς, id eſt, ſuccus ex plantis totis, vel plantarum partibus conciſis & tuſis torculari, vel manu, vel aliter expreſſus, aqua interdum aſperſa, aut vino, aut liquore alio: vel recens vſurpatur, vel vaſe, aut loculamento aliquo reponitur, hicq; vel liquidus, vel ſiccus. Liquidus item aut per ſe ſeruatur, vt vinum, acetum: aut miſto ſale, vt omphacium, oleum: aut ſuperfuſo phialæ oleo, vt ſuccus roſarum, granatorum, limonum, cydoniorum, ſambuci, ebuli, & ſimilium: aut ſole, vetuſtate'ue, aut igni per ſe ſiccatur, vt ſuccus glycyrrhizæ, opus Cyrenaicus, ſcammonium: aut coctione cum melle, vel ſaccharo ad iuſtam craſsitiem facta ſole vel igni, vt
Lib.6.c.ph.p. in plurimis ſyrupis audies. Qui verò ſucci ſine melle [aut ſaccharo] reponuntur, plurimùm corrumpuntur: niſi igne diutius cocti, aut ſole æſtiuo vſque ad mediocrem craſsitiem ſiccati fuerint. Iidem temporis ſpatio ſicciores euadunt, pluribusq; annis ſeruati, eo ſiccitatis veniunt, vt balauſticis ſimiliter læuigari poſsint (quales ſunt ſuccus hypociſthidis, vuæ acerbæ, glycyrrhizæ, centaurii, & alii propè omnes) qui verò ex his lentorem quendam natura habent, dilatantur magis, quàm læuigantur, niſi ſiccioribus multis miſta horum parua
Lib.1.c.ph.g. portio. Portulacæ, ſemperuiui, cotyledonis, & aliarum ſimiliter glutinoſarum ſuccus, præ lentore nimio per ſe non poteſt exprimi, cum omphacio probè trita herba exprimitur: alii tritas igni lento calfaciunt, alii tritas loco frigido, vt cella vinaria, vimineo vaſi impoſitas in catinum ſubiectum deſtillare permittunt. χυλὸς etiam, id eſt, ſuccus, ſæpe cum humore aliquo extractus ex partibus plantarum, ſemine pſyllii, cydoniorum, lini, fœnigræci, lentorem, aut velut cremorem & muccorem ſignificat: vnde dictum eſt emplaſtrum διὰ χυλῶν, id eſt, de glutinoſis quibuſdam ſuccis: diuerſum tamen ab eo, quod eſt de muccilaginibus, vt in compoſitis leges.

Oleum

OLeum propriiſsimo nomine appellatur, quod ex oliuis exprimitur: maturis quidem dulciſsimũ, calidum, moderatè humidum, vel dum eſt recens, frigidum humidum, lib.1.comp.ph.gen. ex crudis autem & immaturis omotribes & omphacinum quantum aſtringit, tantum refrigerat: illud veteratum calidius fit, & potentius digerit: hoc autem ſi dulceſcit vetuſtate, dulcis vires induit, quas ſapore explorabis. Tenue eſt purum, tranſlucidum, & cuti affuſum eius modicum, latiſsimè per eam extenditur, continuum ſibi manens, & citò à cute combibitur: idemq; optimum æſtimatur, quale in Italia Sabinum. Oleum lotum morſu omni caret. Lauandi modus in lib.de comp.ph.gen. Sicyonium autem, cicinum, rhaphaninum, ſeſaminum, amygdalinum, caryinum, ſinapinum, lentiſcinum, laurinum, melanthinũ, terebinthinum, maſtichinũ, myrtinum, balaninũ, hyoſcyaminum, & alia præter hæc plurima ex fructibus expreſſa, fructuũ, ex quibus extrahuntur, naturã ſequuntur. De his in compoſitis medicamentis fuſius. Salſum autem oleum iam compoſitum eſt, tantumq; caloris & ſiccitatis aſſumit, quantum ſalis. Oleum vim habet mitigatoriam & laxantem, lib.2.comp.ph.part. *Lib.7.ſimp.& lib.2.c.ph.gen.*

VInum protropum, id eſt, quod ab vuis defluit, antequàm calcentur, medium inter calidum & frigidum, hepaticis ſaluberrimum, præſertim cum hepate lupi: quia proprietate ſubſtantiæ hæc nutriunt, nec calfaciunt, nec refrigerant. Vinum muſteum calidum primo ordine, vetus tertio, medium ſecundo, calori proportione reſpondet ſiccitas. Ex muſto cocto fit ἕψημα, id eſt, ſapa, lib.7.comp.ph.part. Neſcio quo modo neglectum eſt, quod à noſtris Aſiæ Græcis ἕψημα dicitur, ab his qui Attico ſermone magis vtuntur σίραιον, id eſt ſapa: quamuis etiam σίραιον dicitur, quod pinguibus ficis in aqua coctis efficitur, quod magis digerit & terget. Muſtum verò coctum magis eſt emplaſticum, non rodens, lib.7.comp.ph.part. Ex ſapa diſſolutũ caſtorium cum opio dolorem aurium inflammatarũ magis ſedat, quàm vinum dulce, initio libri 2. eiuſdem. Facultatum vini differentiæ ſunt permultæ: à ſubſtantia tenui, craſſa: colore, albo, fuluo, rubro nigro: odore imbecillo, valenti, ſapore vario, ſumendæ: de quibus Gal.lib.de vinis, lib.4.& magis 5.ſanit.tuendæ: Aph.17.18.21.lib.2.lib. *Lib.8.c.ph.p. Lib.8.ſimpl.*

methodi 7.maximè 12.libro 1.antid. libro 3.aliment. Vinum medicamentis ſtomachicis, cœliacis, hepaticis, feliciter miſcetur, ſi abſit phlegmone, eriſypelas, abſceſſus, intemperies calida. Nam totius ſubſtantiæ ſimilitudine alit, coquit, roborat, putredinibus reſiſtit, intemperiem frigidam vel humidam, ſi qua adſit, tutò perſanat, libro 8.comp. ph. part.

Omphacium ſic à vino differt, vt oleum omphacinum à dulci: ſiccato interdum vtimur, vt Heraclides apud Gal. lib.6.comp.ph.part. id quia repellit, incipientibus phlegmonis eſt ſalubre.

Lib.1.ſimpl. ACetum craſsis partibus, & fæcibus, ſeu fæci proportione reſpondentibus calidum videtur, non tamen cauſticum: tenuibus verò partibus frigidum, idq; magis quàm calidum, aut fortè frigidũ per ſe, calidum per accidens. Nam ſpongia aceto madida, plebeio cuidam admota, is principio & poſt horam vnam, duas, tres, frigus percipit: ablata deinde ſpongia, ſenſim naſcentis in parte caloris phantaſiam & opinionem habet, acrimoniæ mordentis ratione. In œdematis verò calorem non inducit: omnino autem ſiccat. idem purum, idem aquæ non miſtum, & perlucidum maximè eſt partium tenuium, libr.1.com.ph.gen. *Lib. 1. & 2.c. ph.p.* Acetum incîdit, tenuat, digerit, refrigerat, reprimit, ac repellit influxum. Nam ſubſtantia modicè calidum eſt, plurima parte frigidum, tenuium eſt partium, ſi eſt acre admodum, & nihil vini qualitatis repræſentans. Idem ſolum ob ſuæ virtutis vehementiam capitis affectibus non adhibetur, ſed miſtum alteri: album magis eſt tenuium partium, libro 6. comp. ph. part.

Acetũ atram bilem parit, & in maſſam attollit, bilioſis ſalubre, Hippoc.lib.3.rat. vict.acut. & ibidem Galenus, tamen quartanis datur ad incidendum & tenuandum.

Lib.7.ſimpl. MEl in ſuccorum cenſum referri poteſt: quod autem eſt calidum ſiccum ordine ſecundo, vt medicamentum: vt alimentum verò, & dum actu nutrit, calidum humidum lib.3.temp. terget, alit, coquit, putredini reſiſtit, vt vinũ, non cogendo ſubſtantiam corporum quibus exhibetur, vti ſal, ſed ſiccando, tergendo, ora aperiendo, tranſitus purgando. Vrinas mouet, ſtomachum ſubuertit, ob id non miſcendum

dum remediis vomentium: intemperies frigidas humidas tutò ſanat, calidis ſiccis ſeu bilioſis eſt aduerſiſsimum, ſinuoſa vlcera glutinat. Coctum & deſpumatum minus acre, & tergens redditur, ſed magis nutriens. Mel medicamentis miſcetur vel crudum, vel coctum, vel ſolum deſpumatum, vel cum his coquendum, aut ſolum deſpumandum, aut vt crudum maneat. Cùm autem deſpumandum eſt, coquitur ſuper prunas aut flammam lignorum aridorum, & ſine fumo. *Lib.8.c.ph.p.*

Mel optimum ſit purum adeò, vt totum perluceat, odorũ, flauum, acerrimum, dulciſsimum, guſtanti iucundiſsimum, conſiſtentia nec craſſa, nec liquida: ſed tam ſibi cohærens, vt continuitatem ſuam quaſi linea longiſsima non interciſum ſeruet, ſi digito attollitur. Idem coquendo paucam ſpumam remittit, nec thymum improbè olet. Album etiam ex Gallia Narbonenſi præſtantiſsimum affertur, & pallidum magis eſt primo apum nouellarum mellificio. *Lib.6.c.ph.p. Lib.4.ſanit.et lib.7.meth.*

SAcchar autẽ, vt vocant, & ipſum mellis ſpecies, ex India, & felici Arabia aduectum, in calamis (vt aiunt) concreſcit, minus dulce quàm noſtras: ſimiliter tamen terget, ſiccat, digerit, nec inimicum ſtomacho eſt, nec ſitim affert, vt noſtras: quæ res ipſum à melle ſubſtãtia differre oſtendit. Idem ſal Indus quibuſdam dictus videtur, vi ſolis gutta extra cannas extracta & denſata. Idem Zuchara Arabum re ipſa eſſe apparet, ſolo differẽs compoſitionis modo per coctionem & expreſsionem: noto quidem Varroni & Straboni, ignorato autem Dioſcoridi, Galeno, Plinio. Nec tibi difficile fuerit rationes eluere eorum, qui Saccharum Græcorum à Zuchara Arabum diuerſum contendunt. Actuarius Sachar vbiq; ſcribit pro Arabum Zuchara, voce ab his ſuo more ex Græcis deprauata, aut fortaſsè cõtrà, cùm res ea fuerit Arabica, Græci ex his nomen mutuati ſunt.

Saccharum rubrum eſt ipſa velut ſpuma ſacchari, ſpurcitiem coctione deponẽtis, calidius & acrius ſaccharo, vti ſpuma mellis, melle.

AEromeli, id mel aërium Galeni eſt, Manna Arabum, liquida & granuloſa. Cuius & mellis eadẽ parte bona videtur eſſe materia, quod cœli ſereni rorem à frigido concre- *μάνναν Perſicam laudat Aet.*

tum in floribus (qualem in maturis vuis, batinis, prunis videmus) apes colligunt, licet etiam floribus quibuſdam mellea inſit dulcedo apibus appetita.

Manna hæc ſubalba ſit,& recens,ex plantis odoratis, & homini ſalubribus collecta : Laricea hodie probatur, anno ſeruatur, bile leniendo purgat ſanguinem data ab ſeſcuncia ad vncias tres:calida ordine ſecundo.

CEra calidi frigidi, humidi ſicci quodammodò media, craſſæ eſſentiæ,emplaſtica,debiliter coquit admota, habet paulùm quiddam digerentis calidæq; potētiæ, quæ melli plurimum inerat. Materia ob id eſt aliorum medicamentorum calfacientium & refrigerantium. Ea aut lutea eſt,aut fuſca, aut alba : & hæc aut natura, vt Pontica apertè acris : aut ablutione,vt Tyrrhenica,& noſtras acrimoniæ expers. Cæteri colores ſunt aſcititii,vt viridis ab ærugine, ruber ab anchuſa vel cinabrio vulgari, niger ab atramento, vel charta vſta, à quibus miſtis vires mutat. Optima ſubfulua, ſubpinguis,pura,odorata,ſapore melleo. *Lib.1.c.ph.p.*

Κηρὸς στάθικος opinor pro *στάκτος*, id eſt,cera ſtacte & ſtillatitia,initio lib.2.compoſition.ph.gener.legitur.

Oxyacanthe ſuccus Actuar. Scillæ ſuccus cum melle coctus tribus cochlearibus ante & poſt cibum datur ægrè ſpirantibus, Actuar.

Succus Braſsicæ cum melle coctus linctu eſt arteriacæ Aſclepiadis & Antonii Muſæ,lib.7.comp.ph.part.Galeni.

Succus pomorum mandragoræ vigentiū optimus,ex Creta Romam fictilibus poculis ſeculo Galeni afferebatur: & hyoſcyami ſuccus æſtate collectus,lib.1.c.ph.g.

Χυλὸς ῥόος Pōticæ lib.7.cō.ph.part.in diacodio Damocratis. Succus alterci & mādragoræ Andromachus lib.7.Chylus ſeu ſuccus eryngii in aqua cocti.Succus ficuū in aqua coctarū,lib.7.cōp.ph.part.Succus ſcillæ,lib.7.Succus ari maſculi lib 8. Succus plātaginis aridus,refrigeratorius,initio lib.8. Succus radicis mandragoræ:ſuccus pomorū lib.9. Succus ex acinis malorū punicorum tritis expreſſus. Succi plantarum ſole vel igne,vel temporis diuturnitate ſiccati,qui tamen humentes vſurpari poſſunt,in vſu medicorū frequētiore ſunt.

Acacia

ACacia ſuccus eſt ex fructu ſeu ſemine, interdum & foliis ſpinæ Aegyptiæ expreſſus, in vmbra ſiccatus, ſiccat ordine tertio, refrigerat primo: ſecundo autem, ſi lotione leuem ſuam acrimoniam depoſuerit, Acacia κίῤῥα lib. 7. compo.ph.part. in diacodio Heræ. Hæc tamen humidior vſurpari poteſt, vt in theriace leges. Eligenda modicè rufa & odorata, quatenus illi datum eſt. Eius loco ex bacculis prunorum agreſtium coctis ſuccum expreſſum teſſellatim confectum inſolatumq; vſurpamus minimo errore, quia refrigerat, ſiccat, aſtringit vt veterum acacia. *Dioſc.* *Lib.6.ſimpl.* *Dioſc.*

ALoë herba ſemper virens, nunc in multis Galliæ occiduæ domibus ad oſtentationem appendi ſolita, & eius herbæ ſuccus calidus in fine ordinis primi, aut initio ſecundi, ſiccans ordine tertio, valenter amara eſt, aſtringit modicè, idq; ſine morſu, eccoprotica eſt, id eſt, ſtercus deducens, & euſtomachos præcipuè lota: repellit, digerit, terget parum, quantum ſcilicet vlceribus puris non ſit moleſtum, ſinus glutinat, vlcera dyſepulotica, præſertim ſedis, pudendi, oris, glutinat: & phlegmonas harum partium ſanat aqua ſubacta. *Perroquet vulgò.*

Sumpta ſæpe hæmorrhoides venas aperit, vel à tota ſubſtantia, vel quia calida: craſſæ eſſentiæ, & pro modo terſionis mordax, lib.5.ſimpl.cap.13. & Aphor.47.lib.6. quanuis anaſtomotica ſint acria, terrea: admota autem ſanguinis fluorem cohibet, quia aſtringit, & emplaſtica eſt, ob id emphractica, id eſt, obſtruens dicitur, cap. 11. libro 5. ſimpl. Nihil enim ſumptum & admotum vires habet eaſdem, lib.3.temp. de ſinapi, & lib.8. methodi de mulſa. Aloë, vt roſæ, miſtæ eſt facultatis: nam amara ſubſtantia tergunt, aſtringente vlcera contrahunt, & cicatrices tegunt. Optima eſt pinguis, libro 9.comp. ph.part. glutinoſa, ex rubro rufa, hepatis modo coacta, & intus foueata, proinde minus grauis, bono odore myrrham æmulante, ſyncera, nitida, tranſparens, arenarum & calculorum expers, friabilis digitis, facilè liqueſcens, eximiæ amaritudinis, non adulterata acacia, vel miſto gummi, quod illam minus amaram, validioris odoris, non friabilem digitis ad minima vſque fruſta reddit. Indica eſt optima. Valet etiam ex Cœloſyria, & Arabia. Ex magna Syria humidior. Arabicam tamē tanquam omnium viliſsimam *Lib.4.c.ph.p.* *Dioſc.* *Gal.li.6.ſimpl. & li.8.c.ph.p.*

& ſolis mulomedicis vſurpandam, damnauit Meſues: & indè caballinam vocant, nigram, obſcuram, fæci ſimillimam, amariſsimã odore tetro, arenoſam, vt optimæ ſedimẽtum videatur. Primã ſuccotrinam, ſecundam hepaticam ſeu Perſicam, tertiam Armeniacam, quartam bonitate Arabicam ſtatuunt Meſues & alii. Aloë lota minus aluum ducit: multum enim virtutis medicamentoſæ lauando deponit, magis tamen ventrem roborat. Aloë etiã lota his maximè aduerſa eſt, qui citra prauos humores intemperie calida ſicca laborant.

Li. 7. method. Lib. 8. c. ph. p. Ibidem.

ELaterium, ſuccus ex fructu cucumeris agreſtis, à bimatu ad decennium bilem ac pituitam vtrauis parte vacuat, à ſemiobolo ad obolum ſumptus. Extrahitur variè Dioſcoridi.

Dioſc.

GLaucium, ſuccus herbæ ad Hierapolin Syriæ vrbem naſcentis, foliis ferè papaueris corniculati: à quo tamen quantum differat, docet Dioſcorides, & ſuccum extrahendi rationem. Græcis in vſu multo & Arabibus, nunc ignoratur: valenter aſtringit, & inſigniter refrigerat.

Dioſc. Gal. lib. 6. ſimpl. Memithe.

GLycyrrizæ ſuccum ex Creta delatũ præfert Gal. lib. 7. comp. ph. part. in ſua antidoto diacodio. Cætera de hac dicta in radicibus.

HYpociſthis iuxta ciſthi radices naſcitur, flore punici ſimilis, ſiccat & aſtringit magisquàm acacia: prodeſt dyſentericis, cœliacis, ſanguinem ſcreantibus, fœminarũ profluuio ſumpta & indita. Hypociſthis ſuccus, & Hypociſthidis ſuccus paſsim dicitur in lib. cõp. ph. part. Hypociſthidis ſucco addita γλυκέως, id eſt, paſsi parte, macerat gummi, tragacantham, myrrham, thus, lib. 7. comp. ph. part.

Dioſc.

LYcium à Lycia regione dictum, & delatum, ſuccus eſt Pyxiacanthæ Dioſcoridi & Galeno liquidus, quo vtebãtur ad ſugillata. Phlegmonas oris & ſedis, herpetas, putredines, vlcera contumacia, aures purulentas ſiccat, & digerit ordine ſecundo, aſtringit, terget. Calore ſymmetris eſt proximum. Copioſum etiam eſt in Cappadocia: Indicũ autẽ eſt ad omnia valẽtius. Hæmorrhagiam à naribus Lyciũ ſiſtit, li-

Lib. 7. ſimpl.

namen

namento impoſitum lib.2.comp. ph.part. Lycium coquit, digerit, vt caſtorium. Indicum autem dico, non quod apud noſtras gentes naſcitur, lib.4.comp.ph. part. Lycium etiam Aphrum dicitur, lib.3.comp. ph.part. Spumam Lycij appellat ex Solone, libro eodem. Succo ex baccis Periclymeni id mentimur. Modus alius eſt in lib. de dynamibus, qui Galeno adſcribitur.

DE LIQVORIBVS.

Theophr. lib. 1. et 9. hiſt. plãt.

PLANTIS partes præter compoſitas inſunt etiam ſimilares ac ſimplices: ſua quædam caro, os, neruus, vena: ſuus velut ſanguis & humor in omnes partes nutriendas diſperſus: ſuæ etiam lacrymæ ex planta ſponte ſua defluentes, vt gummi: ſuus χυλὸς, id eſt, ſuccus, de quo priùs: ſuus item ὀπὸς, id eſt, liquor, qui eſt craſſum illud & lentum, quod ex vulnere effluit, quanuis radice inciſa, qui inde ῥιζίας dicitur: vel caule etiam vſque ad medullam ſecto, terebrato, caſtrato, qui καυλίας dicitur, dilutior altero puriore, & perlucidiore.

Aſſa aromatica & odorata & benzouin.

SPecialius tamen & per excellentiam ὀπός. Cyrenaicus & Medicus, & Syriacus intelligitur, quia omnes caliditate & tenuitate exuperat: ob id omnium maximè digerit per halitum: quanquàm reliqui liquores ſint multùm calidi, & ſpirituoſi, & plurima horum pars eſſentiæ aëriæ & igneæ. χυλὸς tamen, δάκρυον ὀπὸς Græcis ſæpè confunduntur, & Latinis Succus, Lacryma, Liquor. Præſtantiſsimus autem ex Aphrica eſt Cyrenaicus Galeno, Indicus & Armenus Meſuæ: imbecillior Medicus & Syriacus: vterque etiam virus & putrilaginem reſipiens, vt & Parthicus, & Perſicus, Dioſcorid. Eſt autem Laſeris ſeu Laſerpitij ſeu Silphij herbæ liquor, caule ipſius ferulaceo, aut radice ſcarificata defluens, acer, mordax, digerens, optimus modicè rufus, non porraceus colore, tranſlucens, myrrhæ æmulus, odoratus, ſuaui guſtu, dilutus citò albeſcit. E Taprobana maris Indici inſula omnium maxima conuehi hodie preſtantiſsimum, Belzoë vulgò dictum, ſcribit Ludouicus Romanus Patritius. Opus Cyrenaicus eſt ſaluberrimus phlegmonæ gargareonis, & aliarum partium.

Aſſa fœtida

Lib.6.c.ph.p.

Lib.6.c.ph.p.

tium,non incipienti,ſed veteratæ,& in ſcirrhum dureſcenti. Eſt enim accerrimũ & maximè calfaciens medicamentum.

Μηκώνιον & μήκωνος ὀπὸς lib.1.ph. gen.ſuccus ex foliis & calyce papaueris tuſis expreſſus, pro Opio à multis ſupponitur, alia eius adulteria, Dioſcorides. μήκωνος ὀπὸν, & μηκώνιον diuerſa facit Aſclepiades apud Gal.lib.2.antid.

Gal.lib.8.ſim. OPium eſt lacryma ex inciſo papauere nigro defluens, hodie etiam ex albo deſtillat. Ex Apulia affertur: refrigerat,ſiccat,inſpiſſat,Dioſc. Incidendi & colligendi modum docet idem.Præfertur Thebaicum. Hiſpanum opiũ vſurpatur lib. 7. c.ph. part. Opium calidis diſpoſitionibus medetur,vt altercum, & ſimilia: medicamentis additur ad ſedandum dolorem,ſomnum conciliandum, ſiccandum, Gal.lib.8. comp.ph. part. Opium etiam ſtomachicis miſcetur ad ſenſum ſtomachi hebetandum,& ſomnum conciliandum. Vehemens autem refrigeratio ex opio,corrigitur caſtorio,pipere, & ſimilibus,lib.eodem octauo. Opij drach. duas arteriacæ 14. miſcet Andromachus, lib. 7. eiuſdem. Cùm multi ſint ὀποὶ id eſt,liquores,ſolius papaueris ὀπὸς,neutro genere ὄπιον à medicis propriè nominari ſolet,lib.9.comp.ph.part.

Opium omnium quæ ſenſum ſtupefaciunt, & ſomnum torpidum inducunt,valentiſsimum eſt,lib.eodem.

Opobalſamum in Carpobalſamo dictum.

Lib.8.ſimp. Opopanax liquor è panacis Heraclij radice inciſa emanãs, cùm caulis primum erumpit, aut vulnerato caule meſsibus: calidus ordine tertio,ſiccus ſecundo, emollit,digerit, modicè terget, ob hoc oſſa nuda veſtit carne, vlcera maligna & contumacia ſanat.Recens eſt candidus, vbi aruit, colore foris eſt croceo,aut ſubflauo,intus candido,odore graui,amariſsimus, læuis, pinguis, friabilis, tener, facilè in aqua liqueſcens. Damnatur maximè niger,& mollis.

CEdrinus liquor impenſè calidus,& ſiccus,frigidæ & humidæ cerebri tẽperaturæ ob id ſaluberrimus: capillum ſiſtit,& auget,odore non ingrato conſuetis, ingrato delicatis, lib.1.comp.ph.part.

Euphor

EVphorbiũ & Euphorbia arbor ſpinoſa in Athlante Libyco ad Mauritaniam mõte,ferulaceaque, & ex ea conto eminus inciſa liquor emanans lacteus,facultatis eſt cauſticæ ac vrentis,tenuium partium,vt alij liquores: vnum orobi magnitudine,ſarcocollæ modo emicat:alterum in ouillis,vel hedinis ventriculis quibus excipitur, concreſcit, vitreumque ſpectatur. Elige tranſlucens, acre,recens, albiſsimum ſi calore multo et igneo egetur:ſi modico,vetus et luteum. Nam recens albius eſt, ac valentius calfacit: citò autem virtus eius exoluitur, calorẽ enim habet caducum & ſtatim euanidum: & fit vetuſtate cineritium, pallidius, aut flauius,modicè calidum. Id autem ſi recens ſit feruidiſsimum, vt linguam vrat, & leui guſtu os accenſum detineat diutiùs,& quicquid guſtatur,Euphorbium planè reſipiat. Bimum aut trimum mediocre viribus adhuc eſt(talique vtitur Gal.lib.1. comp.ph.part. in alopecia)interdum & quadrimum. Quinto autem vel ſexto anno iam exoluitur,deinde procedente tempore in totum elangueſcit. Gal.ne putes cum vulgo annis decem poſſe ſeruari:etiam cum milio, lentibus, fabis adulteratur lacte hedino,ſarcocolla,glutino,id igni iniectum odorem edit faſtidiendum. Euphorbiũ ſiue liquor eſt,ſiue aliud ex occiduis regionibus affertur,vt Sagapenum ex orientalibus, lib.3.comp. ph.gen. Euphorbium liquor eſt ſtirpis cuiuſdam ſpinoſæ in Mauruſiorum terra prouenientis,facultate calidiſsimus,in ventre ouium reponitur,quoniam hunc ſolum non erodit.

Dioſc.

Lib.6.ſimp.

Lib.3.c.ph.g.

Lib.9.c.ph.p.

GAlbanum liquor ferulæ Syriacæ, ſeu plantæ ferulaceæ in Syria frequentis, calidus in fine ordinis ſecundi, aut principio tertij,ſiccus initio ſecũdi:mollit,digerit, addit Dioſcorides,trahit,vrit. De hoc pauca leges mox in Sagapeno.

Gal.lib.8.ſim.

Laudatur purum ligno,aliquid tamen ſeminis miſtum habens, odore graui, ſapore abominabili, humidi & ſicci medium,pingue,& in hammoniaci aut thuris ſimilitudinẽ cartilaginoſum. Eius obolos tres miſcet Andromachus arteriacæ 12.alteri drach.ſex lib.7.comp.ph.part. Purgandi eius ſordibus ratio Dioſcoridi traditur. Vitiatur reſina,faba fricta, hammoniaco.

HAmmoniacum ſeu Hammoniacum thymiama, liquor eſt reſinæ aut gummi modo ſtillans ex ferula quadam Cyre

Hammoniaci gutta.

Dioſ. Cyrenaica in Aphrica prope Iouis Hammonis oraculũ,vnde illi nomen:calfacit,diſcutit,& adeò valenter emollit, vt tophos articulorum diſſoluat,& lienes induratos ſanet,ac chœradas per halitum digerat.Probatur purum ligno, arenis,terra, ſordibus, bene coloratum, odore caſtorei, ſapore amaro, prædenſum,& in thuris maſculi ſimilitudinem, minutis glebis,cartilaginoſum. Hammoniacum eryngio & melli miſtũ, arteriace eſt valida, & diuturnis affectibꝰ vtilis Critoni apud Gal.lib. 7. compoſition.pharmac.partic. Hammoniacum, Galbanum emolliunt, mitigant, emplaſtica ſunt, & Opopanax,ſed illis valentius, lib.10.eiuſdem.Ligno, terra,arenis,& ſordibus aliis vitiatur.

Lib.6. ſimp.

Dioſc.

SAgapenum eſt frutex ferulaceus,ſeu ferulæ ſimilis planta,lib.8.ſimpl.ſeu ferula quædam panaci ſimilis,lib.1.anti. in Media regione,& abuſiuè ex ea ſuccus:qui etiam ὀπὸς σαγαπηνὸς dicitur, lib.1.antid.calidus, tenuium partium, vt alij opoi, ſeu liquores : modicè terget, oculorum cicatrices purgat & terget, ſuffuſiones & oculorum hebetudines à craſſo humore leuat.Laudatur perlucidum, foris rufum,intus candidum,acre,odore porri, ſeu medio inter laſeris liquorem & galbanum, quibus adulteratur. Opopanaci enim nihil eſt ſimile,ſed galbano albiori.Nam ſpumoſa, cohærens,albior,leuiſque pars galbani in Sagapenum degenerat:pars altera denſior & multò quàm aliud galbanum cõſtrictior, fit galbanum optimum,ſagapenum reſipiens, eaque tanquàm præſtantiſſima vtendum,lib.1.antid. Si verum eſt,vino aut aqua ſtatim diſſoluitur:adulteratum non liqueſcit,ibidem.

Dioſc. Scammonia, vel Scammonium liquor emanans ex vulnerata radice craſſa herbæ cuiuſdam in Myſia Aſiatica, vnde laudatiſſimum affertur:hoc eſt,nitidum,rarum,fiſtulis tenuibus, fungoſum, leue, taurino glutini colore ſimillimum,linguam non vehementer exurens, linguæ tactu albeſcens, quã notam miſto cum erui farina tithymalli lacte adulteratum etiam habet, ac linguam vrit, quale peſſimum eſt, & graue,

Dioſc. denſum, Syriacum, Iudaicum. Bilem verò & pituitam purgat,à drach.vna ad obolos quatuor.Seruatur annis 20.Meſuę: 40.Serapioni,cum malo cydonio, in quo ab interaneis purgato coctum fit clementius.

Scammo

Scammonia etiã foris admouetur, bis in cephalalgia apud Galen.lib.2.comp.ph.part.

THapſia liquor herbæ ferulaceæ, valenter calidus, cum larga humiditate,ob quam citò corrũpitur:& cùm violenter extrahat, & extractum digerat, pluſculum ad ea tempus poſtulat. Eadem poſt annum eſt admodùm imbecilla, bima prorſus expirauit,lib.1.comp.ph.gen. Primùm in Thapſo inſula,inuenta eſt,vnde illi nomen. *Dioſc.*

DE LACRYMIS.

ΔΑκρυον,id eſt,lacryma ſeu humor ex plãta ſponte ſua defluens, ſiue in gummi aquea res concreſcat,ſiue in reſinam liqueſcat,oleagina eius ſubſtantia. Arborũ partibus præſertim truncis à germinatu inciſis & ſcarificatis etiã reſinas elicimus. Accenſis autem arboribus reſinoſis, vt pinu, picea,larice,terebintho,teda,cedro,ex reſinoſa ſubſtãtia igni parum ſiccata fit pix liquida, cui quod ſupernatat piſſanthum tenui conſiſtentia & facultate eſt aſtringente, ob id caniciem ſine vlla noxa tardat,vt piſſelæum,id eſt,pix liquida cum oleo miſta, Gal.lib.1.comp.ph.part. Piſſaſphaltus autẽ eſt Mumia Serapionis. Si pix iterum coctione ſiccetur, Palimpiſſa dicitur,ſicca adeò,vt puluerizari poſsit:qualis eſt Græca, etiam Celophonia, & Hiſpana, & Gallica dicta. πίσσα βρύτια,lib.8. comp.ph.part.& Dioſcoridi probatur & Lycia.Eſt etiã Dioſcoridi ex iiſdem arboribus reſina liquida & ſicca.Reſina omnis calfacit,ſiccat,tenuium eſt partium,magis minùs.

REſinarum iure prçſtantiſsima eſt Lentiſcina,id eſt, Maſtiche,parum aſtringit, ſiccat ſine morſu, calida & ſicca ordine ſecundo, minimùm eſt acris, tenuium maximè partium,ſtomachi,ventriculi,inteſtinorum,hepatis imbecillitati & phlegmonæ prodeſt: laudatiſsima & copioſiſsima è Chio inſula (vnde Galeno Maſtiche Chia paſsim dicitur) affertur, hoc eſt, fulgore quodam ignis ſplendida, candore ceræ Tyrrhenicæ,adulta,retorrida,odorata,ſtridens friando. Deterior eſt viridis, & nigra Aegyptia dicta, aut Pontica,bitumini nigredini *Lib.8.ſim.& lib.1.& 2.c. ph.ge.* *Dioſc.*

gredini ſimilis. Maſtiche apta ſtomacho, odoris grati, vim medicamentoſam aloës & aliorum purgantium efficaciter frangit, initio lib. 8. compoſi. ph. part. adulteratur miſtura thuris & reſinæ nucis pineæ.

Lib. 8. ſimp. PHτίνη τόρμινθίνη. Terebinthina reſinarum cæterarũ præſtantiſsima, aſtringit manifeſtè, ſed minùs quàm maſtiche: emollit autem magis, coquit, digerit, qualitate ſubamara, & partium tenuitate terget anguſtos meatus vaſorum, & in eis oſculorum obſtructiones liberat, ob id putredinem prohibet, aut finit: & hepaticis probè miſcetur: è profundo potentiùs trahit quàm cæteræ reſinæ. Hæc aluum citra noxam ſoluit, & viſcera omnia, iecur, lienem, renes, pulmonem abſtergit. Terebinthina reſina omnis ex Chio inſula eſt præſtantiſsima, & odore & guſtu cæteris præcellit. Chia igitur ſemper vtenda, ſi haberi poteſt. Huius penuria Libyca, Pontica, & ex aliis regionibus optima eſt miſcenda theriacæ, & aliis medicamentis: non autẽ Libyca, tanquàm omnium præſtantiſsima cũ Andromacho. Præſtantior eſt alba, vel cærulea, vel colore vitri, perlucida, odorata, & Terebinthum plus referens, qualis quæ ex inſulis Cycladibus affertur: ob id Chiam quoq; terebinthinam laudat Gal. Minùs laudata Cypria, Syriaca, Iudaica, Arabica, Aphrica. Libycam tamen, vt dixi, laudat Andromachus. Quæ autem pro Terebinthina reſina venditur, aut Laricea eſt, aut Abietina.

Lib. 8. c. ph. p.
Lib 5. ſanit. tuend.
Lib. 1. antidot.
Nunc Cypria Venetiis commendatur.

Inferiores autem Terebinthina in digerendo & attrahendo ſunt, pinea, ſtrobilina, picea, abietina, laricea, cypariſsina, pityina, id eſt, pinea, propriè phyſema dicitur, lib. 2 cõp. ph. g.

Terebinthina mordax aſperæ arteriæ & ori, initio lib. 7. c. ph. part. ῥητίνη φρυκτὴ lib. 2. comp. ph. gener. & lib. compo. ph. part. ſæpe.

Lib. 1. c. ph. g. Reſinarum mitiſsimæ ſunt Terebinthina & Larix dicta: aliæ mordent modicè, quædam etiam inſigniter. Reſinæ Terebinthinæ Larix propemodùm ſimilis eſt, ob id illius penuria hac vtendum: illa autem per omnia eſt melior quàm Colophonia, & quæ Phrycte dicitur, ibidem. Reſinæ ſiue Larix ſiue Terebinthina vocatæ aduerſus vlcera maligniora magis valent, ibidem. κολοφωνιακὴν πίτυν in emplaſtro epulotica διὰ καδμίας vocat, paulò pòſt ῥητίνην appellat, lib. 2. compoſi. ph. gen.

Strobi

Strobilina reſinarũ longè calidiſsima,& celerrimè ſiccans, omnium moderatiſsima eſt,vtraque qualitate terebinthina.

Pityinon, Phyſema priuatim dictum, genere etiam reſina eſt, multò minus calida & ſicca quàm Strobilina, media harum calore Abietina, liquida tamen diu durat, vt Colophonia,thus redolens, odore ſuaui, calore vt Abietina mediocri, quæ à nonnullis ſola dicitur Colophonia, naſcitur admodum modica, ob id eſt pretioſa.

Reſinæ ſiccatæ pinguis expertes fiunt: ob id emplaſtra bene adhærentia conficere non poſſunt,vt viſcoſæ & liquidæ.

Humidiſsima eſt Larix altera: eſt enim reſina Larix dicta duplex,vna Terebinthinæ omnino ſimilis, altera calidior, liquidior,odoratu grauior & ingratior, guſtu amarior, acrior, mordacior. Quare ſatis eſt terebinthinam omnibus medicamẽtis vlcera rectè curaturis miſcere, in quibus curãdis præcipuus eſt ſcopus non mordere:in comp.ph.gen. τερμινθίνη πεφρυγμένη retorrida,lib.8.comp.ph.part.

Terebinthinam veram è Cypro allatam Venetiis ad me dono miſit Ioannes Baptiſta Opizo, Medicus longè omnium doctiſsimus, noſtræ Laricinæ & Abietinæ affinem, ſed infinitis partibus præſtantiorem.

DE GVMMI.

GVMMI eſt lacryma congelata concretaq; in truncis arborum ipſam producentium, veluti reſina in multis viſitur, quæ reſinam proferre poſſunt. Eſt autem gummi aquea magis ſubſtantia,vt reſina oleagina: proinde illud aqueis promptius miſcetur,oleaginis ægerrimè,hoc contrà. Eadem flammam concipit,gummi verò in igni crepitat.

Lib.7.ſimpl.

Lib.7.ſimpl. in hedera.

EX Acacia quadam Aegypti ſpina (ex cuius ſemine Acaciam ſuccum exprimi antè diximus) manat gummi in vermiculorum ſpeciem cõtractum, vitri modo perlucidum, purum, refrigerat, denſat. Huius non meminit Galenus in Acacia lib.6.ſimpl.vti nec Acaciæ mentionẽ facit paulò pòſt in Acantha Aegyptia ſeu Arabica(quo nomine ſolo Dioſcoridi vocatur) vnde colligas licet Acaciam & Acantham

Dioſcor.

Gummi Arabicum.

Aegyptiam ſeu Arabicam diuerſas eſſe in Aegypto ſpinas arbores. Tamen in lib.comp.ph.part.frequenter leges κόμμι abſolutè,tragacãthæ coniunctum pro gummi Arabico, quod κόμμι θηβαϊκὸν vocat lib.7.comp.phar.part. à Thebis opinor Aegypti cẽtiforibus. vti etiam Babylonicum quibuſdam dicitur, à Babylone Aegypti Arabiam attingentis. κομμίδιον ἀραβικὸν perſæpe Actuarius vocat.

Dioſcor. AMygdalæ amaræ gummi calfacit, aſtringit, ſanguinem reiicientibus prodeſt, impetigines cum aceto illitũ tollit,tuſsi antiquæ medetur,calculoſis prodeſt. Mitius multò eſt, quod ex Amygdala dulci profluit.

Gummi Lacca *Dioſc.* CAncamum lacryma eſt Arabicæ arboris, Myrrhæ quodammodò ſimilis, viroſi guſtus, ad ſuffimenta vſurpatur,emaciat: lienoſos,epilepticos,aſthmaticos iuuat, ad dolores dentium efficaciſsimũ,menſes ciet. Lachan ſæpe Actuario dicitur paſsim, præcipuè in duplici deſcriptione dia lachan,vbi ſcribit, λάχαν κεκαθαρισμένον purgatum.

CAphura poſt Dioſcoridis,Plinii, Galeni, Pauli ſeculum inuenta,Aëtio & Actuario,& Simeoni,& Arabibus celebrata eſt,lacryma Indicæ arboris ferulaceæ quidẽ, ſed maximè frequentibus fulgetris,tonitribus,terræmotibus copioſior proueniens. Quæ igni vel ſole ex rubro albeſcit, perlucet,friabilis eſt,melior tenuior,durantior, quàm craſſa,fuſca, nigra, aſſulis ligni ſui implicata. Pani calido impoſita ſi madeſcit, ſyncera eſt: ſi areſcit,ſpuria:frigida ſicca gradu tertio Arabibus dicitur: tamen miſtam habet calidam ſubſtantiam, acrem,odoram,flammæ ciendæ aptiſsimam, morbos acutos, cephalalgias à calore, phlegmonas præſertim iecoris iuuare refrigerando dicit Simeon ordine non expreſſo. καφουρὰ Act. & Simeoni,& Aëtio,& inde ζουλάπιον καφουράτον Act.dicitur.

Dioſcor. *Gal.li.7.ſimp.* CEraſo reſudans gummi tuſsi vetuſtæ medetur, arterias exaſperatas lenit, ſuo lentore morſus experte, colorem commendat, viſum acuit, appetentiam inuitat, calculoſis ex vino potum prodeſt. Quæ facultas eſſentiæ tenuitatem ineſſe ſignificat.

Ex

EX Elæa, id eſt, olea Aethiopica & noſtrate inquit Dioſcorides, & Italica Plinius, & oleaſtro lacryma funditur ſcammonio ſimilis, fulua, ſtillis exilibus conſtans, mordax. Similis autẽ hammoniaco, vel gummi, colore nigricans, morſus expers, inutilis. Explora an verum ſit officinis. *Gũmi elemmi ab elæa, vel corruptè pro enhæmũ Herm.*

HEderæ lacryma eſt velut aqueus quidam liquor, ſicut aliæ omnes lacrymæ. Hæc adeò calidæ eſt facultatis, vt obſcurè adurat, lendes & pediculos interimit, pilis caput nudat: illitu enim eſt pſilothron. odoratiſsima eſt. *Lib. 7. ſimpl. Dioſcor.*

GVmmi Pruni agglutinat, potum in vino calculos frangit, ex aceto quoque illitum lichenas infantium ſanat. Quæ ſi præſtat, clarum eſt extenuandi ac incidendi facultatem illi ineſſe. *Dioſcor. Lib. 7. ſimpl.*

IVniperi gummi nec Dioſcor. nec Galenus memorant, fortè quòd ad nihil ſit vtile, vt Actuarius, Plinius. Subit verò mirari, cur medicis hodie Arabas ſecutis Sandaracha vocetur, & ſuffitibus propè omnibus miſceant, fluxiones à capite prohibentibus: cùm ſit calidum, & planta ipſa etiam vmbra, non ſolo vapore ſit grauis. Vernigo dicitur Hermolao, Vernix vulgò, quòd rore verno magis concreſcat. Scriptoribus in vſu eſt multo, & pictoribus.

MYrrha eſt arboris Arabicæ lacryma, calida ſicca ordine ſecundo, tenuis eſſentiæ, multa amaritudine, terget potẽter, tamẽ ſine exaſperatione, imò lenit: digerit non ignauiter, ſed citra roſionem; ſiccat valde, tamen ſine aſtrictione: coquit modicè etiam prauos humores, & præter naturam habentes: qua ratione ſtomachicis in id malum compoſitis miſcetur, ſed pauca, & cuius qualitatis medicamentoſæ abſurditas odoriferis ſuperetur, tamẽ ea tutius auferri poteſt. Myrrha rubra Actuario, σμύρνα ἀληθινὴ, Myrrha verax eidem. Eligenda recens ſqualore & ſitu obducta, leuis, tota concolor, & quæ confracta candidas vnguium modo venas, & læues oſtendat, glebis minutis, amara, acris, odorata. Quapropter colicæ Paccii Antiochi pauca myrrha miſcetur, quæ odorem *Lib. 8. ſimpl. Lib. 1. & 6. c. ph. par. & 1. c. ph. gen. Lib. 8. eiuſdẽ. Lib. 9. c. ph. p.*

Dioſcor. tantummodò præſtet. Omnibus antefertur Troglodytica, viridis, perlucida, mordax: ab hac ſecunda eſt, tenuis, bdellii modo facilè ſub digito molleſcens, odore grauiuſcula, apricis naſcens. Mala nigra, aut colore piceo grauis, retorrida, præter modum maturitate exoleta: omnium peſsima pingui carens, cano ſitu obducta, acris, ad gummis imaginem vergens, *Lib.6.c.ph.p. & li.1.antid.* & viribus eius proxima. Improbatur ἀμιννία nomine Dioſcoridi: Galeno autem eligitur Troglodytis, quæ & Minea dicitur à regione, vbi præſtantiſsimam gigni affirmant. Ea gratiſsimi ſit odoris, & nullo vitiata liquore. (Vbi Minea, vel vt bis lib.9.comp.ph.part.legitur μινναῖα, videtur eadem, quæ Dioſcoridi Aminea improbatur) adulteratur enim gummi macerato aqua, in qua myrrha maduerit. Vera enim eſt rara inuentu, præcipuè ſyncera: nam in optima myrrha opocalpaſon inuenitur. ab optima myrrha diuerſum, vt in galbano ſagapenum, in caſia cinnamomũ, & horum aliquid medium, quæ à ſeinuicem diſcernere is ſolus poteſt, qui ſæpe ea obſeruarit, adeò vt ex vna ſola nota ſæpe internoſcat. Nam Sagapenum ex Galbano odoris hircini ſpeciem retinet: non habet autem proprietatem odoris cuiuſdam, vt propriè dictum Sagapenum. Tamen in hoc ſagapeno & congenere galbano parua eſt differentia ad medicamenti compoſitionem. Ambo enim conueniunt, quia aduerſantur virulentis & deleteriis: ſed galbanum minus ſagapeno. At opocalpaſon lethale eſt intra corpus ſumptum: ob id ſua ætate multos periiſſe ſcribit Galenus vſu myrrhæ, quæ opocalpaſon habebat, à nonnullis de induſtria miſtum myrrhæ, vt eam redderent laudatiſsimam. *Hactenus Gal.li.1.antid.* Nam ſic miſta, collyriiſq; indita, pus citra roſionem diſcutit, ac interdum ſuffuſionem incipientem ſubſtantia tenuem, ſiue ceratum, ſiue emplaſtrum, ſiue aliud medicamentũ myrrham opocalpaſo miſtam recipiens oculo iniicias. Myrrhæ igitur officinarum omnino adulteratæ parum tutus eſt vſus in ſumendis.

Styrax liquidus. *Dioſcor.* Myrrha ſtacte, id eſt, ſtillatitia ex myrrha recente, pingui, & ſolo lætiore nata, largior exudans cum aqua pauca tunditur, pòſt machina exprimitur, colore pallido, amaritudine præcipua, odoratiſsima, & pretioſiſsima res, minima portione efficaciſsima: eadem præſtat quæ myrrha, ſed efficacius. Huius fæx Styrax rubra dicitur Arabum familiæ.

Bdellium

BDellium eſt βδέλλιον, id eſt, lacryma arboris Sarraceni- *Dioſcor.*
cæ, calfacit, mollit, coquit, diſcutit mediocriter, hepati-
cis miſcetur, calculos renum potu frangit, hernias ſanat. Scy-
thicum eſt atrius, reſinoſius, ad emolliendum efficacius. Ara-
bicum autem è Petra delatum reſinoſum, liueſcens, diluci- *Lib.6.ſimpl.*
dius, magis ſiccans quàm emollientia, niſi recens & humi- *& li.8.c.ph.p.*
dum ſit, & quod tundendo facilè molleſcat. Id enim idem
pollet quod Scythicum. Tertium Indicum addit Dioſcor.
ſordidum, nigrum, grandioribus glebis in offas conuolutum.
Optimum eſt cortice, ligno, ſordibus carens, vt taurinũ glu-
ten tranſlucens, ob id Bdellium clarum dicitur, lib.8.comp. *Dioſcor.*
ph.part. odore eſt marini vnguis incenſum, guſtu amaro, in-
tus pingue, & ſi tactu ſubigatur, molleſcit: adulteratur gum-
mi, ſed id minus eſt amarum, & ſuffitu odoratum.

STyrax lacryma eſt arboris Syriacæ, calfacit, mollit, coquit, *Lib.8.ſimpl.*
tuſſes, catarrhos, coryzas, branchos: menſes autem mouet
ſumptus & admotus. Styracis drach. vnam miſcet Androma- *Dioſcor.*
chus arteriacæ 13.lib.7.comp.ph.part. Probatur flauus, pin-
guis, reſinoſus, ſordeſcens, albicãtibus grumis, acer admodum
& amarus, quamplurimum in ſua odoris fragrantia perma-
nens, & qui ſubactus melleum reddit liquorem. Deterior ni-
ger, furfuroſus, friabilis, cano ſitu obductus. Adulteratur mul-
tis modis Dioſcoridi: ſed dictis notis dolus deprehenditur.

Styrax iniiciendus theriacæ, qui ex Pamphilia in arundi- *Lib.1.antid.*
nibus affertur: hic autem paucißimus eſt, & tanto diſcrimi- *Styrax cala-*
ne à copioſo hoc Styrace variat, quantum Falernum vinum *mites.*
ab eo, quod in tabernis venditur. Tamen illius penuria, huius
accipe quod calidißimum, & odore & guſtu valentißimũ eſt.
Styrax, vt crocus, myrrha, quantitate ſunt deleteria: nam lar- *Lib.5.ſimpl.*
gius pota quædam dementant, quædam mortem inferunt, ſed *cap.18.*
menſura apta aliis miſta iuuant. στύραξ σπάνιον, id eſt Hiſpa-
num cognominatur Actuar. in trochiſco Neapolitæ.

SArcocolla arboris Perſicæ lacryma pollini thuris ſimilis, *Lib.8.ſimpl.*
rufa, emplaſtica, ſubamara, citra morſum, proinde ſic-
cat, & vlcera glutinat, vnde & nomen commeruit, oculorum
fluxiones inhibet, coquit, digerit, ſed minus quàm galbanum,
lib.4.compoſit.pharm.particul. Adulteratur gummi miſto,

pulueriżata eſt ſuſpecta adulterii : vera enim eſt rara. lacte identidem mutato correcta collyriis miſcetur.

Charabe Perſis, ideſt, paleas trahẽs, ambra vulgò in corollis precariis frequens.

SVccinum ſeu Succina gutta à ſucco dicta, Græcis ἤλεκτρον eſſe lachryma populi albæ, vel etiam nigræ quibuſdam videtur, ab eiuſdem arboris reſina Dioſcoridi & Galeno dicta: differens, & πτερυγοφόρος, id eſt, paleas trahens, quoque vocatur, quam vim ei quoque Galenus tribuit lib. 1. facult. naturalium : quid tamen eſſe cenſuerit, nondum in eo legi. Plinius verò libr. 37. cap. 3. Succinum ſcribit à quibuſdam pinei generis arboribus, vt gummi à ceraſis exudare autumno, & largum mitti ex Germania ſeptentrionali, & inſulis maris Germanici. quod hodie nobis eſt compertiſsimum: adhæc liquata igni valentiore, quia à frigido intenſiore concreuit pineam apertè olet. calidum primo gradu, ſiccum ſecundo, ſtomachum roborat, vomitũ, nauſeam arcet: cordis palpitationi prodeſt, prauorum humorum generationem prohibet.

Ambra griſea.

AΜπαρ autem, ſeu ἄμβαρ, Ambarũ ſeu Ambra Arabũ, & Actuarii ac Simeonis recentiorũ Grȩcorum, eſt odoramenti genus, locis diuerſis ſcaturiens, vt bitumẽ, ſulfur, nobis hodie larga & præſtãtiſsima ex littore Aquitanico mittitur, cineritio colore : Indica rufa, pinguis, odorata, quod Succinũ orientale vocat Hermolaus. Eſt Arabibus & Simeoni prælata Arabicæ ſubalbæ, & tertiæ præter has nigræ, quòd à piſcibus fontes Ambaris guſtantibus deuorata ſit, omnium peſsimæ. Calfacit, humores incìdit, ob id ſtomachicis à quibuſdã additur, cor item & caput roborat. Tamen ſi ante potũ odoretur, ebrietatem accelerat, multò magis ſi vino imponatur.

Lib. 7. ſimpl.

THus eſt lacryma Arabicæ arboris, calidum ordine ſecundo, ſiccum primo, modicè aſtringit, terget imbecilliter, coquit phlegmonas, anodynõ eſt & ſarcoticum, cicatricem remoratur, emplaſtri temperaturam iuuat, acribus miſtum vehementiam illorum obtundit, pus mouet, quia calidum emplaſticum, nullam euidentem aſtringendi vim ſortitum, præcipuè pinguius & albius. Nam flauius ſiccat magis, Adulteratur reſina piceæ, & gummi quod non inflammatur, illa autem in fumum abit, thus ardet.

Cortex

Cortex Thuris inſigniter aſtringit,ſiccat ordine ſecundo, craſsiorum eſt partium,quàm Thus, minimã habet acrimoniam, ardet igni cum odoris fragrantia. Cortex verò nucis & pini quo adulteratur,fumat tantum,& ſine odore. *Li.13. method.*

Mannam,ſeu Mannam thuris (vt lib.9.comp.ph.part. bis leges)propriè vocant micas Thuris ex magnis faſciculis concuſſu eliſas,à Thure læuigato diuerſas. Nãm fragmẽta quędam exigua corticis thuris ei mannæ inhærẽt, à quibus exiguum quiddam aſtrictionis aſſumpſit, qua differt à Thure, quippe quò magis aſtringit,tamen etiam coquit, lib. 1.comp. ph. part. Manna eſt thuris purgamentum, leui aſtrictione præditum, quòd ei corticis thuris paululum ſit admixtum, lib.13.meth. Thus enim puris tantum mouendi facultatẽ habet;nullam aſtringendi vim obtinens,præſertim pinguius & albius. Primatum tenet in Thuris genere maſculum, quod λίβανον ἄῤῥεν Actuario dicitur,ſuapte natura rotundum, indiuiduum,candidum, cùm frãgitur intus pingue, in ſuffitu ſtatim ardens. *Lib.4.c.ph.p.*

TRagacanthos, Tragacantha, vel Tragaganthon, lacryma radicibus inciſis Dioſcoridi, ſpõnte Theophraſto profluens: vim habet ſimilem gummi emplaſticam quandam ſiccantem, acrimoniam leuiorem, arteriæ aſperitatem lenit cum vino macerata & leuigata, vt cancani radix, vel in aqua die vno,lib.7.comp.ph.part. Tragacanthę fructus, lib. 10.comp. ph. part. Tragacantha alba Actuario ſæpe. Præſtat perlucens,gracilis,læuis,ſyncera,ſubdulcis. *Lib.8.ſimpl. Lib.7.ſimp. in cãcano. Dioſc.*

Ex plantis quoq;, & aliis quibuſdam vi caloris aquam per vaporem educere, neotericum eſt, vnde Actuario frequens ῥοδόσταγμα. id eſt, ſtillatitius roſarum liquor, & ἰντυβόσταγμα intyborum. De quibus pauca quædam generatim libro tertio dicenda putaui.

DE METALLIS.

METALLICA vim medicamentoſam habent magna ſui parte maximam, quædam etiam deleteriam, vt coniectura ſit magna, ex his vapores caloris interni vi elatos plantarum varietatem non parum iuuare. Ne putes maſſam tantam fruſtrà à Deo maxi-

mo conditam, & otioſam, in quibus facultates naturales etiam omnes ineſſe ſoli chymiſtæ teſtantur, nec meo iudicio malè ſentiunt, quod oculus in multis apertè videt: licet plumbò metallorum ſoli incrementum concedat Galenus.

AVrum metallorum puriſsimum, pretioſiſsimum, temperatiſsimum, in foliola & velut bracteolas percuſſu multo inter chartas lateſcit, eoq; vtuntur medici ad naturæ robur, & affectus melancholicos, quāuis in eo principiorum miſtio ſit firmior, quàm vt à calore noſtro poſsit diſſolui. Aequius multò arte chymiſtica ſolutum & potabile exhiberent, medicinam lætificantem, & in iuuentute corpus conſeruantem, ſi Gebero in metallicis exercitatiſsimo credimus.

ARgentum ſimiliter foliatum eſt, quādo auri loco vſurpant, ſolutum & potabile, vt aurum: felicius propinatur, niſi auro eſſet multò imperfectius atq; impurius. Argentum à colore, vinum à motu Latinis dicitur, à conſiſtentia verò Græcis ἡ ὑδράργυρος, ſed hāc arte factam Gal. lib. 9. ſimpl. illud minerale vult Hermolaus: cùm tam factitiū ex minio, quàm minerale, ſeu in argēti fodinarum tectis ſtillatim concretum, ſiue per ſe in metallis inuētum, Dioſcorides hydrargyron appellet. Cui congener ex aquæ fontibus vomica perpetua ſcaturit Plinio. Argentum viuum eſt metallorum omnium cū ſulfure materia à calore temperatiſsimo ſic per minima vnitum, vt ſiccum humido, & humidum ſicco equaliter in eo temperentur, Geberus. Vnde opinor, chymiſtis calore & frigore temperatum quoque dicitur, nō quarto gradu cum quibuſdam frigidum, cum aliis calidum. Neque contra chymiſtarū placitum pugnare videtur, quod ſcribit Dioſcorides, potum vim habere pernicialem: ſuo enim pondere interna erodere addit, non qualitate aliqua cauſtica. Neque verba Galeni lib. 4. ſimpl. cap. 18. quòd ſcilicet calore noſtro calidum actu redditum per eroſionem interimit, & lib. 5. cap. 18. quòd tota ſua ſubſtantia nobis contrarium ſit, & venenum ſi ſumatur: neuter enim id aut calore immodico aut frigore deleterium dicit: ſed ille pondere, hic tota ſubſtantia, vt ſcilicet omnino nos lædat neceſſariò, quantūuis paucum ſit ſumptum:

ptum: cùm deleteria calore aut frigore ſint ſola quãtitate deleteria. Adhæc Galenus de ſola hydrargyro factitia loquitur, cuius quòd interimat ſumpta vel admota, ſe periculum feciſſe negat, lib.9.ſimplicium. Hodie verò vel pueris maximè perſpicuum eſt,maximo mortalium incommodo,quas vires ſumptum vel admotum, vel ſuffitum in ſcabie Hiſpana, & eius ſymptomatis, & multorum artificum vſu vario, habeat argentum hoc ſemiuiuum, & crudum quouis modo paratum & miſtum. Quod verò in metallis perfectis coctum eſt maximè,id longè omnium eſt efficaciſsimum,vti & pretioſiſsimum,ſi quis ſecernere,& ſecreto nouerit vti. Illud tamen eſſentiæ eſſe omnium tenuiſsimæ, indicant apertiſsimè celerrima eius in vaporem prætenuem abitio, & in corpus quoduis etiam denſiſsimum penetratio,vt etiam calculũ iactilem affrictu non ita multo ſubeat,intusq; dealbet,& fragilem maximè reddat. Ob id non probo ipſum enulato vnguento,& aliis quibuſdam miſceri. Argentum viuum ſublimatum calore ignis erodente iam præditum, fit eodem quoque deleterium, vt calx & vini fæx vſta. Sublimandi autem (vt chymiſtæ loquuntur) modum docet Geberus, ex quo & aliis non contemnenda leges, quæ ad cognoſcendam plenius argenti viui naturam pertinent.

Lithargyros eſt purgantis ſe igni materiæ vitium, ſeu feruescentis ſpuma, vt ſcoria iam purgatæ fæx eſt, ex plumbo molybditis ſeu molybdena,ex argento ἀργυρίτις, ex auro χρυσίτις omnium optima,præcipuè quæ foliata eſt. Lithargyros moderatiſsimè omnium terreorum ſiccat ſine manifeſto calore aut frigore, modicè aſtringit & terget. Eius vſus latiſsimè patet libris propè omnibus cõpoſitionis phar. generalium, maximè 2. & 3. Lithargyros manifeſtè nec calfacit, nec refrigerat, nec humectat, ſed ſiccat primo abſceſſu à temperatis: nullam enim qualitatem manifeſtam guſtatu exhibet:nec emplaſtica eſt,nec ecphractica, nec repellit quod influit, nec digerit quod parti inflammatæ eſt infixum, nec vlcera terget,nec expurgat euidenter,nec rodit, nec carne implet,nec eam ſupercreſcentem abſumit, parum tamen à mediis ad partium craſsitiem receſsit (licet ſit tenuioris eſſentię quàm molybdena) quam & coctione diuturna depo-

Hermolaus.

Lib.9.ſimpl.

Lib.1.c.ph.gener.

nit fuſa vi ignis, & alterata. Ex his enim eſt medicamentis, quæ tota liquefiunt, vt reſina, cera, ſed non mox vbi ignem attigerit: quæ res multis imponit, eam non fundi putantibus. Cum oxelæo autem cocta citius liqueſcit, & cum ærugine quàm cum hydrelæo, vel œnelæo, & quò plus liquoris ad coquendum habuit, eo glutinantius fit medicamentum. Melius em̃ fit ex Lithargyro medicamẽtũ, quod magis coctum erit, quod ex liquidorum, quæ miſcentur, copia contingit. Expers tamen pulchrarum harum virium Lithargyros, medicamentis miſcetur, vt phœnicino, dia chalciteos viribus eius nec commodans, nec incõmodans, ſed materiæ ad emplaſti pharmaci compoſitionem idoneæ rationem obtinet. Cruda etiam per ſe femorum ex itinere attritus iuuat parum ſiccando.

Lithargyros abſolutè, interdum tamen vt in melinis à colore cydonii emplaſtris Lithargyros χρυσῖτις dicitur, libr. 2. comp. ph. gen.

Lib. 4. c. ph. p. ARrhenicon à vetuſtis Græcis, ab huius ætatis hominibus Arſenicum, Latinis Auripigmẽtum: in iiſdem metallis, vt auro, argento, quibus Sandaracha gignitur: ob id eadem gleba ambo ſæpe miſta vidimus: optimum exiſtimatur cruſtoſum, χρυσίζων (ſic Galeno 1. lib. & 9. compoſi. ph. part. *Dioſcor.* & Dioſcoridi dicitur) id eſt, aureo colore micans, nulli materiæ permiſtum, in ſquammas tanquàm bracteolas fiſsile: alterum globoſum, pallidum, & colore Sandarachan imitans. Vrendo multum ſulfur exhalat, in argenti ſpeciem fuſum concreſcit, ſed intus rubet, cauſticum eſt, cruſtaſq; cum vehementi vredine & violento morſu excitat, hyperſarcoſin abſumit, aſtringit, & rodit, depilat tam non vſtum quàm vſtum: quod tenuiorum eſt partium, miſcetur digerentibus & tergentibus.

SAndaracha Arſenico non ſolis natalibus, ſed etiam tota natura affinis, vt coctione ſola naturæ videatur hæc Arſenicum vincere: id enim vſtione Sandaracha fit, vt ceruſſa trita, mota, probè vſta, in Sandaracham pictoriam abit Vitruuio lib. 7. Adhæc Sandaracha licet rubra ſit, aqua tamen ſoluta luteum colorem intenſum facit: floridum autem colo- *Dioſcor.* rem luteum, reddit Arſenicum. Probatur rufa, ſaturatior,

cinnab

cinnabaris colore, ſulfur viuum redolens, friabilis, aliena materia vacans: Auripigmentum rubrum dicitur Serapioni. Eadem chymiſtis Arſenicum rubum dicitur, vt Arſenicũ croceum eſt Auripigmẽtum. Arſenicum autem abſolutè his eſt album naturale & foſsitium. Riſagalum autem (quod vocãt) in genere eſt Arſenici in iiſdem fodinis inuentum. Exedunt Arſenicum ſandarachæ, Petræ Aſiæ flos. Arſenicum & Sandaracha & chalcitis vſta emplaſtros reddunt flauas vel rufas. *Lib. 4. c. ph. p.* *Lib. 2. c. ph. g.*

Sandarachæ drach. ſemiſſem, & alumen ſciſsile & rotundum miſcet Andromachus ſtomaticis, lib. 6. comp. ph. part. & miſyos Cyprii drach. 8. apud quoſdam legi ſcribit, ibidem. Vide ne cum Arabibus Sandarachan voces gummi iuniperi, ne'ue vires illius huic attribuas.

AEs vſtum aſtringit, reprimit, acre eſt: ob id tenuat, trahit, vlcera purgat, ſiccat, cicatricem inducit carni duræ, in molli lauandum, probatur rubrum, contritu cinnabarin colore imitans: nigrum verò pluſquàm decet exuſtum eſt. *Lib. 9. ſimpl.* *Dioſc.*

Squãma æris vi & ictibus ex clauis & panibus æreis excuſſa, aſtringit, reprimit, tenuat, rodit, mordet carnem, detrahit, & liquat. Probatur craſſa, rufa, præſertim æruginoſa. *Dioſc.* *Lib. 9. ſimpl.*

Flos æris fit, cùm æs in fornace fuſum in receptacula delabitur per canales, miniſtris aquam clariſsimam vt refrigeretur affundentibus: quando flos ſubitò exilit, milii effigie, breuis, grauis, ſplendens: cùm teritur, rufus, friabilis, multum aſtringit & mordet, tenuioris eſſentiæ, & magis tergentis quàm æs vſtum, & ſquamma æris. Adulteratur æris ſquamma aut limatura. *Dioſc.* *Lib. 9. ſimpl.*

DIphryges, quaſi bis toſtum, eſt perfecti æris velut fæx ſubſidens & cohærens imæ fornacum parti, tanquàm vſtorum in foco lignorum cinis, ablato ære viſitur. Duobus aliis modis fit Dioſcoridi & Plinio: modicè & aſtringit, & acre eſt, vt æs vſtum, vehementer ſiccat, vlcera rebellia ſanat, ochra vſta adulteratur. *Gal. lib. 9. ſimpl.*

SCoria eſt omnium metallorum ſpurcitia, recremẽtumq́;, & velut ſtercus: ſiccat, ſed omnium maximè Scoria ferri læuiſsimè trita.

Aerugo

Viride æris, Verderis vulgò, vel Verdet.
Lib. 9. ſimp. et li. 6. c. ph. p.
Lib. 3. c. ph. g.

AErugo eſt æris velut rubigo in æreis vaſis, laminis, ſquammis, ſcobibus, lapidibus concreta decem diebus aceti acerrimi vapore, aut aceſcentium vinaceorum contactu, pòſt decuſſa vel deraſa. Eſt acris, mordet, detrahit, liquat carnem, etiam duram, digerit, vehementer ſiccat. Adulterandi & adulteratam noſcendi rationem à Dioſcoride traditam ſciens omitto, quòd larga eius ſynceræ copia toti Galliæ à mulieribus Monpeſſulanis ſuppeditetur. Aerugo vſtu (& lota) neruo vulnerato prodeſt, non vſta autem iuſto eſt mordacior.

Lib. 4. c. ph. p.
Lib. 9. ſimp.
Lib. 6. c. ph. p.
Lib. 3. c. ph. p.

CHalcanthus, hic aut hæc, vel hoc Chalcanthum, eſſentiæ eſt eiuſdem & naturæ cum Chalciti: hæc autem natiua eſt, illud ex hac factitium, & in hanc tandem per ſe rediens: vehementiſsimè aſtringit, & calfacit non inſtrenuè, putridis vlceribus congruit, gargareonem etiam ſcirrho tentatum irritat. Adhæc quum medicamentum id eſt vehementiſsimū, validis vtriſque viribus aſtringendi & calfaciendi pręditum, vitanda eius per ſe vehementia, ſed mitioribus miſtis obtundenda. Vſtum verò & lotum multò moderatius redditur, lib. 4. comp. ph. part.

Lib. 9. ſimp.

SOri, Chalcitis, Miſy, acria, vrendo eſcharas excitant, & nonnihil aſtringunt, eſſentiæ cōſiſtentia & ſitu differunt. Nam Sori in fodina infimum ac craſsiſsimum: & quia lapidoſius ac vehementius compactum, in humore non liqueſcit, friando nigrius ceu melanteria apparet, ac ſcintillat vt Miſy, in multa foramina dehiſcit, olfactu & guſtatu virus olet, ſubpingue eſt Dioſc. Miſy grumoſum & fruſtuloſum magis eſt durum, auro ſimile, quod friando auri colorem imitatur, & ſtellæ modo ſplendet, Dioſc. ſummum & tenuiſsimum, & à calore ingenito magis elaboratū, & ſiccius. Proinde ægrius liqueſcit, & corporibus duris admotum ob tenuitatem minùs ea mordet, quàm Chalcitis, tametſi æquè calidum. Eadem ratione Chalcitis vſta minùs mordicat, & minùs aſtringit, non minùs tamen ſiccat. Chalcitis ſitu & eſſentia eſt media, æri ſimilis, friabilis, non lapidoſa, promptiſsimè liqueſcit. ea vſta melior eſt quàm non vſta: quia tenuiore eſt ſubſtantia, vt alia omnia vſta, non tamen acriore, quod aliis multis vſtis accidit.

Lib. 9. ſimp.
Dioſc. Gal.

dit. Vſta autem omnia lauando mitiora & minùs mordacia euadũt. Soreos pars extima & ſumma in chalcitin, & chalciteos partes extimæ in Miſy tandem tranſeunt : in metallica fodina, & quo loco ſeruantur, quomodo æri, innaſcitur ærugo. Hæc Sori, Chalcitis, Miſy valenter tergent, Miſy etiam modicè particeps eſt facultatis exedentis. *Lib.4.c.ph.p.* Chalcitis cruda mordax eſt, vim autem eiusvrendo minuimus, idonea eſt columellæ inflammatæ, quando vehementer inueterauit, & curatu contumax eſt. *Lib.6.c.ph.p.* Chalcitis vſta eſt eligenda, quæ vrendo cineritia euaſerit, non ὠχροξάνθος, qualis vſtione fit à multis. *Lib.1.c.ph. gen. & in Theriace.* Modus vrendi in Dioſc. Chalcitis vſta non minùs efficax, ſed minùs mordax.

Dioſc. CAdmia eſt corpus racematim & denſè concretum in rudibus ferreis, ex fuligine æris in fornacibus candentis egeſta flatu, & lateribus cameriſque fornacum ferratis inhærente: eſt colore ſpodij, fractaque, cinerulenta, & æruginoſa, quæ optima eſt. Fit etiam ex argẽti terra, & cocto lapide Pyrite. Siccat vt terrena omnia, mediocriter terget, igneæ facultatis & mordentis aliquid habet, quam lauatio adimit, vlcera carne implet in carne molli. Melior & tenuior botryitis, id eſt, racemoſa in ſummo collecta, quàm placitis, id eſt, cruſtacia in imo & lateribus. Cadmia etiam lapis eſt in montibus & riuis Cypri repertus, alia omni cadmia multò efficacior, inuẽtu rarus. Lapide calaminari dicto hodie æs tinguat ex rubido in albidum, quo lebetes ferè fiunt.

Dioſc. DVm æs perficitur detrita cadmia cumulatiùs inſperſa fauilla in cameram integram effertur tenuiſsima, quæ in Pompholygem ceu bullas quaſdam coit : fit & ſine ære ex ſolis cadmiæ fragmentis in ignem coniectis & perflatis. Eadum fit, quæ excrementi portio in pauimentum repercuſſa recidit, Spodos eſt ſeu Spodium, grauius, & impurius, & minùs efficax Pompholyge. *Lib.9.ſimp,* Pompholyx lota omnium propè citra morſum ſiccantium præſtantiſsima, ad vlcera ob id cancroſa, & alia maligna, & oculorum fluxiones efficaciſsima.

PLumbum frigidum humidum, ob id liquor quiuis frigidus (vt oleum omphacinum, roſaceum, melinum, myr-

tinum,

tinũ,ſemperuiui,cotyledonis,intybi,lactucæ ſuccus) in mortario plumbeo,piſtillo plumbeo ductus dum craſſeſcat, ſeipſo frigidior euadit, optimumq; fit remedium phlegmonarum incipientium,& fluxionum aliarum in inguina,pedes,articulos alios,& vlcerum rebellium,& cancrorũ. Lamina plumbi lumbis inſtrata veneris inſomnia ſedat,ganglia diſſecat illigata. Plumbum vſtum & lotum vlcera rebellia, chαronia cancroſa carne implet,ac cicatrice tegit.

Lib.1.c.ph.g. MOlybdena ſubſtantię eſt craſsioris et frigidioris,quàm
Lib.9.ſimp. Lithargyros,non terget tamẽ, cęterà vſum habet propè eundem in emplaſtris,licet varium colorem afferat. Ambo liquantur tardiùs cum hydrelæo,celerrimè oxelæo.

Lib.9.ſimp. CEruſſa aceti acris vi ex plumbo ſoluta refrigerat, ſiccat,
Lib.1.c.ph.p. aſtringit,emplaſtica eſt,candefacit,hęc lota plumbo vſto loto viribus proxima : vſta tranſit in Sandyca,fitq́ue tenuior, nondum calfaciens,Phycos ceruſſæ frigiditate ſeruata tenuitatem aſſumpſit, qua vis eius adiuta in profundum corporis
Gal.lib.1. penetrat. Ceruſſa Rhodiaca, vel illi ſimilis ex ciuitate Di-
c.ph.g. cæarchia olim dicta, nunc Puteolis:præfertur ſi emplaſtrum
Lib.4.c.ph.p. vis eximiè candidum fieri, quia albidior, leuior, tenuiorum partium his,quæ alibi naſcuntur.Sal ex Ceruſſa ad multa efficacisſimus,& oleum ex Ceruſſa.

Lib.9.ſimp. SVlfur omne calidum,tenuis eſſentiæ, trahit,terget:ſaliua, vel lotio, vel oleo veteri, vel melle, vel terebinthina exceptum,venenatis ictibus impoſitum ſanat. Pſωras, lepras,lichenas cum terebinthina tergendo & diſsipando perſanat. Nobiiiſsimum eſt ἄπυρον, id eſt, viuum,& ignem nó expertum : ignem expertum quo virentius, oleoſius, pinguius, eo melius. Ex Sulfure oleum chymiſtis efficacisſimum trahitur, fumo eius ardentis in campanam vitream recepto, in oleum concreto,& in catinum ſubiectum deſtillante : ſed quia ex multo ſulfure paucum aſcendit,pretioſum eſt: fit & aliter.

Sulfur iidem ſublimãdo (vt illi appellant) purgatiſsimum & clementiſsimum efficiunt,etiam pretioſum eadem de cauſa. Cuius vſum non eſt quòd vereare quorundam imperitorum exemplo : cùm Galenus viuum Sulfur impuriſsimum

diamo

diamoro ſtomatico medicamento ad digerendum miſceat, bis lib. 6. comp.ph.part. Nocet Sulfur achoribus: quia plus quàm par eſt, eos calfacit, & digerit. *Lib.1.c.ph.p.*

ALumen ab aſtrictione vehementiſsima Græcis στυπτηρία dicitur, craſſarum eſt partiũ, maximè liquidum, & Placites & Plinthites dictum à cruſtæ & lateris forma: minus ſtrongylon & aſtragalotes, id eſt, rotundum in aſtragali modum: minimum ſchiſtum, id eſt, ſciſsile non in fila ſed digitis friabile. Omne alumen in aqua ſoluitur, & igni liqueſcit, tardius ſciſsile, quod ſine bullis tandem molleſcit, idem aquæ innatat, linguæ & cuti integræ eſt mordaciſsimum, adulteratur ſegmentis lapidis amianthi: ſed hæc acrimonia carent, & ex pingui aliquo ardent rediuiuo corpore, aqua merguntur, & integra manent, in filaque diſsiliunt. Alumen ſciſsile colore candidum & præſtantiſsimum, idem tenuius & vtilius, lib. 6. comp.ph.part. Et quia rarum inuentu, carius: liquidum contrà, craſſum & viliſsimi pretij, quia in omnibus regionibus inuentu eſt facillimum, lib. eodem ſexto. *Lib.1.c.ph.g.*

SPuma nitri, aphronitrum, nitrum, potenter tergent cuti affricta: ſit autem nitrum ex tenuibus partibus conſtans: quod autem lapidoſum eſt, vrendum ac diligenter leuigandum. ἀφρὸς λίτρου ſeu νίτρου id eſt, Spuma nitri ab Aphronitro differt, (ſic χαλκοῦ ἄνθος à χαλκάνθῳ & ἀκάνθη λευκὴ à λευκακάνθη. & multa alia ſimiliter) illa enim alba eſt farinæ triticeæ ſimilis, eiuſdẽ cum nitro facultatis & naturæ, ſed eſſentiæ tenuioris: hæc autem in glebas coactum & congelatum, amarum, in balneis ſordes terget, & ichoras pruritum excitantes digerit. Nitrum præſertim bernicium ſeu beroniceum potiùs. lib. 8. meth. ſiccat, digerit: ſumptum autem in corpus incidit, tenuat craſſos & lentos humores multò potentiùs quàm ſal: amarum enim eſt, cap. 3. lib. 4. ſimpl. vſtum verò tenuitatem ſubſtantiæ adeptum ſpumæ nitri proximũ eſt. Nitrum rubrum lib. 9. comp.ph.part. Aphronitrum magis quàm hæc incidit, ſtomacho inimicum eſt, ob id non deuoratur, niſi grauius vrgeat neceſsitas: Nitrum verò ſumitur, & aluum ſubducit. Omnia hæc hodie deſiderantur, quorum loco ſupponunt officinæ ſalem petræ purgatum, in panes coa *Gal. in dioſpolitico.* *Lib.4. ſanit. tuend.*

nes coactum. Id mentiri ſatius eſſet cineribus betæ, braſsicæ, & aliorum nitroſorum.

Lib.9.ſimp. SAl, tam foſsitius, vulgò ſal gemmæ, quàm marinus, terget, aſtringit modicè, validè ſiccat, digerit, lib.6. compoſi. *Lib.6.c.ph.p.* ph. part. Per ſe, & cum galla læui attactu iuuat gargareonem inflammatum iam dureſcentem in ſcirrhum: non autem initio, neque dum augeſcit, aut cùm multo calore viget: quòd ſi corpus ſit plethoricum, aut ſaltem caput plenum, ſi initio adhibetur inflammato gargareoni, extrema laboranti noxa in- *Lib.2.c.ph.g.* fertur. Sal aſtringit magis quàm tergeat: ſiccat autem non minùs quàm nitrum, aut nitri ſpuma: ſed hęc non aſtringunt, ob id ceratis mixta vlcerum ſordes tergent: Sal ob aſtrictio- *Lib.9.ſimp.* nem id non præſtat. Sal Armeniacus terget, ſubacer eſt, leuiſsimè aſtringit, humores acres in ſuperciliis inſperſus conſumit, à quibus pili malè nutriti excidunt. Hammoniaco ſali ſimilem forma ſchiſtum lapidem docet Dioſcorides. Sal Hammoniacus valenter digerit, lib.6. comp. ph. part. noſter tam nigricans quàm albicans factitius eſt.

Antimonium. *Lib.9.ſimp.* STimmi, id eſt, Stibium ſiccat, aſtringit, oculorum collyriis liquidis & ſiccis miſcetur, illotum valenter aſtringit, lotum ſoluitur, & naturam aſſequitur propè roſionis expertem, foſsitium melius. Quod enim oſtēdunt, igni coctum eſt, idque purius, vel fæculentius & ſcorioſum. Oleum ex Stibio *Lib.6.ſanit. tuendæ.* pretioſiſsimum. Mulieres oculis gratiam Stibio conciliant, ipſum palpebris ſpecillo inducentes quotidie, ſic ne oculi membranam intus contingant.

Lib.9.ſimp. CHryſocolla tam metallica quàm factitia, valenter digerit, & ſiccat, carnem liquat ſine valenti morſu. Chryſocolla, Spodium, Pompholyx, Pſωricum, metallica ſunt admo- *Lib.3.c.ph.g.* dùm tenuis eſſentiæ citra calorem. Noſtra omnis eſt factitia, aurique ferrumini fundendo celeritatem addit, vnde illi nomen.

Lib.9.ſimp. GYpſum ſiccat, vt cætera terrea, emplaſticum eſt: cogitur enim ac lapideſcit liquore aliquo vt albumine maceratum, ſanguinis eruptionem cohibet, cum tenui farina pilis leporum

porum vel ſimiliter mollibus exceptum : vſtum minus eſt emplaſticum, tenuium partium, ſiccius eſt, ex oxycrato repellit. Noſtrum verò Gypſum, vti calx, vrendo emplaſticum magis euadit.

PVmex ſarcoticis miſcetur, dentes polit, facultate deterſoria, & aſperitate vt ſmiris, teſtæ, cornua animalium vſta: vſtus tenuiorum fit partium, & acrimoniam ſumit, quam lotione deponit. Nunc ſcriptoribus propè ſolis ad papyrum expoliendam cum gummi iuniperi eſt vſui. *Ibidem.*

CYanus hic aut hæc, acer eſt, cathæreticus, id eſt detrahens, digerit potentius quàm Cinnabari, & ſubaſtringit. Vim purgantem melancholiam ſuprà & infrà, ac melancholicum ſuccum ipſi illoto præbet Meſues communem cum lapide Armeno, ob id ambos valere cenſet aduerſus omnes melancholicos affectus, maniam, melancholiam, epilepſiam alteram, elephantiam, cancros, alphos nigros, quartanas, hæmorrhoidas. Sed & alias ei vires miras tribuit, vocatq; lapidem lazuli & ſtellatum, quòd velut ſtellæ quædam aureæ in eius fracturis cernantur. Is vrendo cæruleus magis euadit ſi verus eſt: malus verò nigricat vſtione. Tam hic quàm ſequens noſtratibus medicis in vſu hodie ſunt rariſsimo. *Ibidem.*

ARmenius lapis illotus ſuprà & infrà atram bilem vacuat datus à drach. vna ad ſcru. quatuor : lotus autem etiam quinquagies tutior eſt, ac tantum infrà vacuat à ſcrup. quinque ad ſcrup. ſex, Alexander Trallianus in melancholia, & poſt eum Meſues in ſimplicibus.

DEntalem lapidem addunt, qui dens piſcis alicuius videtur forma & interna cauitate. Antalem addunt neſcio quem, & vnde dictum.

CAlx viua vehemẽter vrit, adeò vt cruſtas efficiat, & mox vbi eſt extincta. iam diu extincta non eſt cauſtica amplius, ſed calida ſicca : carnem tamen liquat : lota ter quater ſine morſu ſtrenuè ſiccat.

DE LAPIDIBVS.

Gal.li.9.ſimp. et li.10.c.ph.p. LAPIDES in ſpongiis reperti, triti, ex vino poti, lapides renum rumpunt, non autem veſicæ, quia tenuioris ſunt eſſentiæ ſine inſigni calore. Veſicæ autẽ calculos rumpere ſcribit Dioſcorides, ſi ex vino bibantur.

Lib.9.ſimpl. IAſpis virens ſtomachum & ventriculum attactu ſuo iuuat. Omnes Iaſpidum ſpecies femoribus appenſæ partum accelerare traduntur Dioſc.

Lib.9. SApphyrus potus ictos à ſcorpione iuuare creditur, inteſtinas vlcerationes potu emendat, Dioſcor.

Lib.9. LApis Iudaicus, qui in Iudæa naſcitur leuiſsimè tritus potus renum lapides frangit, addunt quidam & veſicæ. Pueris datus cum lacte, vrinalia & inteſtina purgat. Eſt nobis multus Dioſcoridis elegantem picturam explens.

Lib.9.ſimpl. Geet Gallis. GAgates lapis colore atro, odore dum vritur bituminis, ſiccat, glutinat, digerit admotus, in corollis precariis & ſalinis frequens.

Lib.9.ſimpl. MAgnes ſiccat hæmatitæ modo, & aſtringit, ad enterocelen vtiliter ſumitur, & admouetur. Magni eſt miraculi in eo tanquàm mundo aliquo polorum cœli rationem ineſſe.

Lib.9.ſimpl. HAematites à ſanguinis colore dictus, frigidus, aſtringẽs, excreſcentia reprimit, oculorum vulnera perſanat, ſanguinis expuitioni valet, ſiccat humores, ſed minus quàm cadmia. Nam ex humida ſubſtantia non terreſtri conſtat, & ſuper cotem medicam cum liquore tritus, in ſuccum ſoluitur: per ſe verò in corpus ſimilare minuitur, vt ſchiſtus lapis, non in fragmenta terreſtria, vt cadmia.

Lib.4.c.ph.p. SChiſtus lapis hæmatitæ vim habet perſimilem, ſed infirmiorem.

SMiris terget, dentes puros in dentifricio efficit, & eo annularii ſcalptores expurgant lapides: ad erodẽdũ & vrendum vtilis. Nunc in vſu eſt vitrariis laminas vitreas diuiſuris.

PYrites lapis de quo æs perficitur, æris aſpectu ſcintillas leui percuſſu edens: crudus & coctus calfacit, terget, digerit. Validæ autem eſt facultatis, Gal.lib.9.ſimpl. Marcaſita æris quibuſdam dicta putatur.

E cote

E Cote Naxia quod exacuendo ferro deteritur, illitum alopecias ad pilum reducit Dioſcorides.

PYropus lapillus, id eſt, Rubinus, plurimus eſt in inſula maris Indici dicta Zayló, Ludouicus Romanus Patritius.

ERanus lapillus in Euphrate inuentus, Turchica vulgò, Ludouicus Romanus Patritius.

COrallus lapis Actuario dicitur, λιθόδενδρον aliqui vocarunt, fruticis forma cinnamomi æmulus creſcit ad promontoria in mari, aſtringit & refrigerat, contra ſanguinis reiectiones magnoperè efficax. Rubrum & nigrum tantum facit Dioſcorides, albus tamen etiam viſitur citra vſtionem.

AEtites lapis veluti prægnans, cùm quatitur alio in vtero ſonante, grauidis continet partus, Dioſc. Id vſu quotidiano probatũ Gallis eſt ſurſum alligantibus: cùm verò partum iuuare volunt, fœminibus adhibent, tanquàm fœtum ad ſe trahat, vbi vbi fuerit. *Lapis Aquilæ.*

AMianthus lapis è Cypro alumini ſciſsili ſimilis, quique pro eo propè ſolus venditur. Ex hoc telæ cõtextæ flammis iniectæ ardent ſed flãmis inuictæ ſplendidiores exeunt. Ellychnii loco hodie ad oſtentationem lychniis adhibent, & ob id Ellychnium immortale vocant, Menche ſans fin.

SIgillum Lemnium efficacius ſanguinis ex quauis parte eruptiones cohibet, quàm Samius After: hic contrà tenax & viſcoſior, quàm Lemnia terra: ambo moderatè tergent. Lemniæ etiam adſtrictio quædam ineſt. μίλτος λήμνια, lib. 7. comp. ph. part. in arteriace 14. Andromachi. Ea nobis eſt vera Conſtantinopoli delata.

CImolia terra digerit, ſiccat ſine morſu, maximè ſi elota ſit. Eius loco vtimur hodie ferri & molæ retrimentis in ſubditam aquam congeſtis, quod à Cimolo inſula è Cycladibus vna non afferatur.

CRetica terra admodum imbecilla eſt, multum aëriæ habet ſubſtantiæ, terget ſine morſu, ob id vaſa argentea etiam polit. Creta nobis hodie dicitur.

Lib.9.ſimpl. ARmenia terra colore pallido vel luteo, promptiſsimè in ſummũ leuorem calcis modo ſoluitur piſtillo, aut quouis liquore miſta, arenoſa ſubſtantia caret, ſummè ſiccat: ob id eſt optima ſanguinis expuitioni, dyſenteriæ, ventris fluori, catarrhis, & fluxionibus à capite in thoracem, & inde naſcenti aſthmati, & phthoæ, quia vlcus in ea ſiccat, & tuſsim ſedat: vlceribus etiam putribus oris, fiſtulis ani remedio eſt. Et in peſtilentia Romæ maxima, quotquot bolum hanc Armeniam biberunt, celeriter curati ſunt. Quibus autem, vtpote incurabilibus, non profuit, omnes interiere, à nullo alio adiuti. Bibenda ex vino albo conſiſtentia tenui, modicè diluto, ſi aut planè febri careant, aut ea leuis ſit: ſin grauis ſit, multum diluto: quanquàm peſtilens parum calet. βῶλος ἀρμενιακός & πήλον, id eſt lutum, ἀρμενικὸν Actuar. ſæpe.

Lib.1.c.ph.g. *Lib.11.ſimpl.* ASphaltos hic aut hæc, lib.1. antidotorum, id eſt, bitumen, verum eſt nigrum & ſplendeſcens: dum aquis innatat, molle: cùm ſiccatum eſt, pice ſicca durius efficitur: calfacit, ſiccat ordine ſecundo. Optimum eſt ex mari mortuo, ſtagno ſalſo in Cœloſyria.

Ioannem Baptiſtam Montanum Veronenſem medicum egregiam nauare operam in medicamentis metallicis etiam arte chymiſtica parandis, Simon Thomas medicus longè doctiſsimus Georgii de Seluæ Vaurenſis Epiſcopi vndequaque abſolutiſsimi, affirmauit.

DE ANIMALIBVS, ET EORVM PARTIBVS.

SANGVIS hirci quadrimi, bene habiti, aliquandiu nutriti vino albo, fœniculo, ſeſeli, lauro, & cæteris calculum frangentibus, Auguſto menſe iugulati, medius effluens (nam primus tenuior, poſtremus craſsior putatur) vaſe vitreo receptus, tectus linteo raro, ſole ſiccatus, etiam cum myrrha, foliis lauri, & ſimilibus, calculum potenter frangere dicitur Tralliano, Auicennæ, & cæteris practicis. Huic quamdiu ab animali calet, coquendi abſceſſus vim tantum tribuit, Gal. lib.10. ſimplic. qualem caprino, taurino, & cæteris calidis humidis modicè. Quòd ſi hircinus ſanguis adamantem frangit,

git,ſed calidus tantum ab animali:ſic lapidem calidus tantum epotus fregerit. Quod & ſanguinem vulpinum ex vena ſecta potum præſtare audio. Ne autem coaguletur, Xenocratis exemplo, miſcere poſsis acetum feruefactum aut coagulum. Hirci quoque, capri, cerui, leporis,ſanguinem ſartagine frixum, dyſenterias & cœliacorum profluuium ſiſtere tantum docet Dioſcorides, non addit calculum frangere, quæ vis tenuibus conuenit,cùm dictorum animalium ſanguis ſubſtantia craſſa & terrea,& cum calore ſiccatoria dyſenterias ſanet. Sanguis ex ſecta vena ſiniſtra profluens lieni affecto infricatur Archigeni,lib.9.comp.ph.part.

Gal.lib.10.in ſang. veſpertilionis.

Sanguis Draconis veterũ,& Cinnabaris vera, hodie ignorantur: qui verò ſanguis draconis oſtenditur, factitius eſt ex ſanguine hirci, bolo Armenia, & ſucco ſorborum, vel aliis. Quo tamẽ rectius vti poſsis, quàm cinnabrio neotericorum, ex ſulfure viuo, & argento viuo ſimul vſtis, loco cinnabaris Græcorum, quæ vires habebat eaſdem cum hæmatite lapide, & tam rara erat etiam ætate Dioſcoridis, vt verſicoloribus pictorum lineis vix ſatisfaceret.

δράκοντος aut δρακόντων καλούμενον αἷμα Actuar.

LAc lauat,terget ſerò,emplaſticum eſt butyro & caſeo:ob hæc acres & mordaces fluxiones obtundit, recens vtendum. Butyrum,& Caſeus etiam veterata vſurpantur. Butyrum etiam minimum terget, vt decoctum glycyrrhizæ: coquit item & digerit, bubonas, parotidas, oris phlegmonas in pueris & mulieribus, gingiuas puerorum cum dolore dentientium crebro illitu tenuat, quantum mel: idem lacti canino, & leporis cerebello tribuit Archigenes. Expuitionem Butyrum promouet [maximè cum melle aut ſaccharo] in pleuritide & peripneumonia,quos affectus etiam coquit.

Lib.10.ſimpl. Lib.7.c.ph.p. Lib.5.c.ph.p. & lib.11.ſimplic. de leporis cerebro.

Caſeus recens refrigerat,repellit,ſiccat,vulnera etiam magna glutinat.Ex vetuſtate verò acer,cum pernæ decocto ſubactus tophos eliquat & aperit.

Coagulum omne ex lactis in ventriculo primo corruptione acre,digerit,ſiccat. Lac aut ſanguinem in ventriculo coagulatum diſſoluit: leporinum omnium eſt præſtantiſsimum. Quî igitur menſes immodicos cum Practicis & Medicorum vulgo queat ſiſtere, cùm calidum ſit vitandum, vbi ſanguis fluit, aut fluxurus eſt?

Aph.19.lib.15.

Gal.li.11.ſimp. ADeps ſeu Pinguedo omnis calfacit, humectat magis vel minus,pro varia animalium natura. Leoninus calidiſſimus, ſiccisſimus, id eſt, minimum humidus: potentiſsimè omnium digerit ob acrem multamq; caliditatem, & partium tenuitatem, ob id ſcirrhis & inueteratis tumoribus tantum aptus. *Lib.2.ad Glauconem.* Pardinus ei proximus, pardino vrſinus, taurinus vrſino vicinus, ſed tanto quàm ſuillus calidior ſiccior, quanto minus leonino eſt calidus ſiccus: ab vtroque enim ex æquo diſtat in amborum medio conſtitutus.Suillus autem omnium propè humidiſsimus. Caprinus, præcipuè hircinus, craſſior taurino, ob id celerrimè concreſcit. Inter taurinum & ſuillum fuerint vulpinus alopecias ſanans, caninus, melinus, felinus,cuniculinus, camelinus, equinus, vaccinus,vitulinus. Anſerinus maximè tenuium partium,ob id in volucrum genere præſtat ad ſcirrhi curationẽ: gallinaceus illi proximus. Adeps humanus omnium eſt temperatiſsimus. Iidem vetuſtate calidiores & ſicciores euadunt, vt oleum, mel, vinum. Reponitur aut incuratus, lotus, ſiccatus in vmbra,vel exemptis pelliculis fuſus ſole vel igni in vaſe duplici. Adeps cerui nullo medicamentorũ mollientiũ eſt inferior,lib.1.cõp.ph.g.

Gal.li.11.ſimp. MEdulla calfacit, rarefacit, emollit, ſcirrhos quarumuis partium,præcipuè ceruina,& poſt hanc vitulina. Taurina, hircina acrior & ſiccior eſt. Recens vtilior eſt, ſed etiam reponitur,vt adeps. Vtraque ſumatur hyeme,vel æſtatis exitu,cùm appetit autumnus, Dioſcor. Loco ſicco & edito,& ſeptentrionem ſpectanti reponitur, cum foliis lauri ſiccis,ne putreſcant, aut ſitum ducant: quæ iniuria in locis humidis meridiem ſpectantibus eis accidit. ſunt qui reponant bifariam adipum modo.

CErebella Paſſerum vere vel autumno captorum prolificis remediis miſcentur,vel recentia, vel cum vitello oui & melle,ſiccata ſole vel cinere calido.

Lib.11.ſimpl. OSſa præcipuè humana vſta admodum digerũt & ſiccant. Eadem neſcientibus ne auerſentur, pota epilepticos & arthriticos multos ſanarunt. Sed epileptico os bregmatis,arthritico articulorum oſſa exhibendum cenſent practici ſexu

etiam

etiam obſeruato. Os cranii humani donec albeſcat vſtum potum epilepticis ſuccurrere hodie eſt certiſsimum.

Os à corde cerui humanum cor totius ſubſtantiæ ſimilitudine roborare Actuarius cum Arabibus conſentit: ſed ab aliorum animalium maiorum corde potius fuerint, quæ tam multa proferunt pharmacopolæ, quàm à corde cerui. An verò cartilaginoſa hæc ſubſtãtia magis pręſtare id queat, quàm cordis aut arteriarum corpus, ipſi viderint. *Ariſt. cap. 4. libr. 3. de par. anim. Gal. lib. 6. vſus partiũ.*

Os Sepiæ dentifriciis aptiſsimum.

EBur tota ſubſtantia cor roborare, & conceptum iuuare, practicis ſcribitur, frigidum ſiccum primo gradu.

COrnibus cerui & capræ vſtis, & (ſi opus eſt) lotis vtimur ad dentium candorem, gingiuas mollitie fluidas, dyſenteriam, fluxiones in oculos, oculorum vlcera, quia tergent ſine roſione: tamen nec dolorem leniunt, nec coquunt quia frigida ſicca. *Lib. 11. ſimpl. Lib. 4. c. ph. p.*

COrnu Rhinocerotis hodie frequenter vtimur contra diuitum affectus peſtilentes, aut venenoſos, aut dyſentericos, & puerorum nobilium lumbricos. magno enim ob raritatem emitur. Quin & aqua, in qua huius cornu portio aliquandiu maduerit, pota idem præſtare probatiſsimum eſt.

MVmia nomen & res barbara, hominum ſcilicet liquamen aloë, myrrha, balſamo in ſepulcris conditorum, calida ſicca tertio gradu, aſtringit. Serapionis autem Mumia eſt Piſſaſphalthus, id eſt, pix cum bitumine Iudaico, quia hæc duo redolet Dioſcoridi.

TVnicam interiorem ventriculi ſecundi gallinarum miro quodã modo lotam & ſiccatam & potam ſtomachicis augere coquendi facultatem: & ventrem mergi, vel recentem elixum vel ſiccatum & ſumptum, falſum eſſe expertus eſt Galenus. Vnde ſubit admirari in ea hæreſi falſa medicos omnes etiam hodie permanere. Putant, opinor, eam vim illi eſſe, quòd ea ſimilis ſit tunicæ internæ ventriculi noſtri, ſed vi tanta coquẽdi prædita, vt lapillos conficiat: ſed æquius fuerit, eam tunicam ex ſtruthiocamelo ſumere, quippe cui *Lib. 11. ſimpl. Pli. ca. 1. li. 10.*

mira ſit natura coquendi, quæ ſine delectu deuorarit, vt ferrum & oſſa veruecum integra. Vnde & pelles eorum cum plumis mollioribus concinnatas ſtomachicis applicant. An non vident harum pellicularum temperamentum vitiari ſiccatione, & vim illam coquẽdi viuis ineſſe, non ſupereſſe mortuis: nec fortaſſe pellibus illis inſitum, ſed potius à carne multa craſſa denſa pelliculam hanc vndique ambiente?

Lib.11.ſimpl. IEcur lupi in medicamentum ex eupatorio hepaticum ſæpe indidi, nec multo efficacius ob id comperi. Hepaticos tamen ipſum tota ſubſtantia iuuare ſufficiẽtem ſe habere experientiam ſcribit libro 8.comp. ph. part. Puluerem quoque ex eo in hydrope cum vino albo in dies aliquot mane potum, inter ſecreta quædam remedia reponunt nonnulli.

Hepar tamen vulpis aridum ex oxymelite potum ſplenicis imperat Archigenes apud Galenũ, lib.9.comp.ph.part.

Splen onagri aut equi ſylueſtris toſtus & tritus idem ibidem pollicetur. Hepati calido ſicco ſalubre exiſtimo hepar raiæ, cithari, id eſt, rouſſetæ, & hepati, id eſt, aquilæ maris, & ſi qua ſunt alia in piſcibus ſimilia.

Gal.lib.11.ſimplic. PVlmonem vulpis ſiccatũ potumq́; aſthmaticis Galenus, phthiſicis verò ob eandem totius ſubſtantiæ familiaritatem ſaluberrimum omnes propè practici inculcant. Plura de his in libro ſequente de ratione medicamenta componẽdi leges initio, vbi facultates compoſituro noſcẽdas declaramus.

Gal.lib.11.ſimplic. REnes ſcincorum, crocodilorũ terreſtrium, tanquàm pudendum ad venerem intendentes quidam bibunt: alii ſumen quoque & caudam aſſumunt: vnde compoſitio eſt Actuario diaſcincu.

Lib.11.ſimpl. Lib.3.c.ph.p. Dioſc. Lib.11.ſimpl. CAſtorium, ſeu teſtes caſtoris calfaciunt, ſiccant, ſunt tenuium valde partium, coquunt diſpoſitiones contumaces & ſcirrhoſas. Eligendi qui ex vno principio committuntur, & quibus eſt intus liquor ceroſus, friabilis, odore grauis & virus olente, guſtu acri & mordaci. Ex quibus duobus ſuſpicari poſsis, ſubſtantia eſſe nobis aduerſiſsimos: nulli autem vel admotum vel ſumptum eſt pernicioſum caſtorium.

Lutræ

Lutrę animalis fibro ſimilis teſtes idem pollere addit Herm. Pontici caſtores ſunt præſtãtiſsimi, quod & Virgilius innuit lib.1. Geor. vbi viroſa Pontus caſtorea mittere dicitur. Nec inepti qui ad Matronam Galliæ fluuium crebrò capiuntur, mirabili ſpectaculo animalia, cauda piſcoſa, ſoleæ æmula, pilo ſupernè canino: alibi Lutræ pedibus anterioribus anſeris, ſed vngatis, ſimiæ poſterioribus, auribus minimis, rotundis, dente validiſsimo, adunco, prælongo, ſeta oris cornea, architectura in foſſa ſua mirabili. Caſtorium nigrum fœtidum, rancidum, die vno necare affirmat Auic. Caſtorium è Perſide fermè adulteratum ad nos defertur: ſyncerum enim tanta vi odoris eſt præditum, vt olfacienti veſicam caſtorii, ſanguinem è naribus eliciat. Perſæ autem adulterandis rebus ſunt exercitatiſsimi. Seruatur annis decem.

Bieure, fiber metatheſi dictus Pli. ca. 30. libr. 8. & cap. 2. lib. 32.

Ludouicus Roman. Patr.

FElle animaliũ ob acrimoniam & calorem ſolo vix vtimur, præterquàm ad aperiendas hæmorrhoidas, ſed collyriis, trochiſcis, aliiſq; remediis miſcemus. Fella piſciũ oculis ſunt tutiora, vt eorundem hepata ſicco hepati ſalubriora.

Lib. Tobiæ.

SOrdes gymnaſiorum & balneorum colligi deſierunt, his tamen multò efficacior ad digerendum eſt aurium ſordes planè biliosa.

OEſypus eſt ſuccidarum lanarum pinguitudo, calfacit, explet vlcera præſertim ſedis & vuluę, ac emollit. ὑσσωπον & ὑσσωπον ὑγρὸν apud Paulum aliquoties legitur, vnde opinor practicis cõſuetudo appellandi hyſſopum humidum, pro œſypum, volẽtibus ab hyſſopo herba ſeparare: οἴσυπος autem Galeno cum Dioſc. ſemper dicitur. Lana ſuccida & ſordida contuſis vtilis ob œſypũ: lota verò eſt vice linamenti carpti: vſta autem acris calida ſicca, tenuium partium.

Dioſc.

Lib. 11. ſimpl.

STercus canum & luporum, oſsibus, ac puerorum pane, & lupinis triduo educatorum, Galenus ceu certiſsima multorum affectuum remedia prædicat: ob id ſicca ſunt ſeruanda in vſus medicorum.

MOſchus Aëtio, Paulo, Actuario, Arabibus animalis Gazellę dicti dorcadi ſimilis, eſt pus in vmbilico maturũ,

Dioſcoridi & Galeno incognitus. Cætera apertè declarat Ruellius,calfacit,ſiccat,ordine tertio Simeoni:tenuiū eſt partium, odore aromatico, ſpiritus inſtaurat, imbecillas partes, cor firmat, lipothymiam & vires reſolutas ſanat, ob id compoſitionibus multis analepticis miſcetur: quibuſdam mulieribus vteri præfocationem affert, aliis in peſſo contra hanc mirè prodeſt,vtero valde gratus,vt cum oleo cicino inunctus pudendo,venerem excitet. Melior eſt ſubflauus,quàm nigricans, & qui pelui humectatæ immiſſus leuior euadit, quàm qui grauior. Indicus eſt melior Aphro. Ex Catay tamen niger præſtantiſsimus hodie affertur. Citrinum Auicēna præfert hodie incognitum,nam ferrugineus eſt. Quibuſdam malè olet,aliis caput frigidum iuuat,calidum ferit, & in eo epilepſiam excitat,pallore corpus inficit, odore in humido craſſo perennante viuaciſsimus. Serapio cōtrà ſcribit,cerebrum calfacere,ſiccare,roborare.

Serapio.

VVlpes tota in oleo percocta oleum facit vulpinum.

CAncrorum fluuialium vſtorum cineris drachmæ duæ cum drachma vna gentianæ ad morſum canis rabidi datur Actuario,in diacarcino antidoto. Idem Gal.lib.11.ſimplic. vbi partibus decem cineris cancrorū addit partes quinque gentianæ,& thuris partem vnam. Cancrorum caro ex lacte,vel lacte ebutyrato cocta,hecticis analeptica eſt.

Gal. li.7.c.ph. par.

ASelli ſub aquariis vaſis deliteſcentes in vaſe fictili ſuper prunas toſti donec albeſcant, triti melle cocto excepti dantur miſtri mēſura,(trium cochlearium Act.) ante cibum in ſpirandi difficultate ab Aſclepiade, tanquam extenuandi & digerēdi facultate præditi. Qua verò notione ad ipſorum vſum venerit,explicatu difficile eſt.

Lib.2.cō.ph.p.

Oleum decoctionis eorundem capiti perfuſum dolorem eius diuturnum à frigore aut craſsis humoribus ſanat.

CAntharides probantur in frumento inuentæ verſicolores,& quæ luteas in alis tranſuerſas habent lineas,corpore promiſſo, craſſo, blattarum modo præpingues,inertes, ac imbecillæ:quæ vnius ſunt coloris. enecātur vapore aceti per lineum,

lineum vaſis, in quo ſunt, operimentum. Totis vtitur Galenus ad pſωras, lepras. Hippocrates caput & pedes aufert, libro de fœminarum morbis. Hæ veſicam vlcerant ſolæ, vreticis autem ſalubriter miſcentur. *Lib.11.ſimpl. Gal.in theriace ad Piſ.*

Μεταξα ὤμη Act. id eſt, Sericum crudum, minutim conciſum, tritum, ſpiritum & ſanguinem purgare, virtutē vitalem roborare creditur Serapioni & aliis: eius infuſi expreſſum idem præſtat, vt oſtendit diacoccon cōpoſitio. Sericū propriè quod arborum foliis Seres Scythiæ populi depexebant ad veſtes, Græci recentiores etiam ad ſerum, id eſt, bombicum vermium fila tranſtulerunt: quę etiam Seræ à ſetarum equinarum forma dici poſſunt. Goſopium autem eſt coto dictus Bombaſa Italis. Sericum putat Muſa frigidum, vt folia mori, quibus vermes naſcūtur, nec roborare cor cum Serapione & Auicenna, quia inodorum eſt. Chermes idem ex herbæ ſimilis bipinnellæ radice excauata capi in Polonia ſæpe, rem à cocco baphico diuerſam, quo charmeſinus color floridus tingitur, non autem cocco: tingitur autem cum alumine, galla, & aliis, ob id pannus ille non capiendus, ſed potius coccus, quem Arabes Chermes vocant. Coccus aſtringit, abortum prohibet. *Cōfectio alkermes.*

Cinis recens hirundinum in diabeſaſa recipitur. Pulli hirundinum cum pennis in fictili ſuper prunas vſti diachelidonium ſtomaticum ad anginas Andromacho faciunt apud Galenum. Hirundinum ſtercus acre & digerens, vt aliorum animalium, magis, minus. *Lib.6.c.ph.p. Gal.lib.6.cap.ph.p.*

Βλάττιον & βλάττιον βύζαντιον appellatur Actuario in aurea Alexandrina diamargarito calido. Vnguis odoratus vel aromaticus, lib.1.comp.ph. part. conchylii tegumentum odore in caſtorium quadātenus inclinante ſuffitus gratia adhibetur, Dioſc.

Vniones ſeu Margaritæ velluntur ex quodā concharum genere læui, minimos ex mytulorū cōchis extraxi. Cor roborare, & putredini circa ipſum reſiſtere credūtur, frigidi ſicci. Ob hæc remediis imbecillorum febricitantiū, peſtilentium,

tium,miſcentur integri potiores his,quos ars pertrudit.

Lib.11.ſimp. VIperarum caro ſiccat,valenter digerit, mediocriter calfacit. Vis eius ad cutim properat, & ad eã expellit corporis excrementa, à quibus in multum cacochymis ingens numerus pediculorũ prouenit, & à cute velut ſquamma abſcedit, et decidit epidermis, ad quam protruſi ſiſtuntur craſsi & terroſi humores,à quibus pſωrę,lepræ,elephantes naſcuntur. De his plura in theriace dicemus.

Ex prædictis aromata ſunt,amomum,cinnamomum,caſia, calamus odoratus, nardus Gallica & Indica: partes balſami, crocus,folium, foliũ malabathri,ladanum, aſpalathum,id eſt, xylaloë, macer. Addunt recentiores tanquàm pretioſisſima,ambram, vnguem odoratum,caphuram, cubebas, doronicum,galangam,caryophylla,moſchum,macis, nucem moſchatam,ſantalum triplex,cornu monocerotis,zedoariam.

In his quæ odorata magis ſunt,in ſuo genere præſtantiora cenſentur, vt Galenus in antidotis. Sapore autem ſi explorabis,ne multa continenter guſta, ſed vel os intereà ablue, vel papyrum mande, vel tempus interpone, donec prioris aromatis ſapor exoleuerit, vt non prioris reliquiæ indicium tibi falſum afferant poſterioris aromatis. Hæc cùm ſint eſſentiæ tenuis, celeriùs exanimantur, præſertim aëre calido, parum fideliter operculata & inuoluta, aut etiam iam commi nuta. Ob id vtenda cùm vegetiſsima ſunt, nondum verò carioſa, foraminulenta,exoluta,& emortua.

Ex his item purgatoria ſunt, Agaricus, colocynthis, cucumer agreſtis, elleborus vterque, tithymalli, & aliæ multæ lactariæ, daphnoides,opopanax, polypodium, ſagapenũ, ſarcocolla, dracunculus, ſcammonium:& quæ Arabes ac neoterici addiderũt,euphorbium(huic enim nec Dioſcorides, nec Galenus vim purgatricem tribuunt)caſsia fiſtula, myrobalanus quintuplex, hermodactyli, lapis Armenus Alexandro Tralliano,& cyaneus,manna,rha barbarum, tamar Indi,turbith,ſenna & alia quædam Meſuæ tradita.

Hæc autem purgatoria quàm prædicta omnia maiore cura & ſtudio deligenda,reponenda,nec ita diu ſeruanda,vt deteriora

teriora euaſerint. Adhæc quæ in horum quibuſdam vis eſt malefica & vehementior, eſt mitiganda.

Ablutione, in Aloë & cæteris.

Formatione in Trochiſcos, in Agarico, Colocynthide, Sagapeno.

Infuſione, in Myrobalanis omnibus.

Coctione, in Malo cydonio & maxa in Scammonio: in Malo citreo & maza in Euphorbio.

Miſtis aromatibus, vt Spica nardi cum Rha barbaro, quam ſi omiſeris cum Medicis Pariſienſibus, nihil peccaueris, quòd ſatis ſit mite Rha barbarum, nec Spicæ viribus magnoperè egeat. Turbith, zinzibere, vel ſpica, vel maſtiche: hæc enim malefica omnia corrigunt.

Aſſatione, aut ſiccatione in ſole, in ſquilla.

Iure Capi vel Galli veteris, vel vino muſteo, in Senna, Polypodio.

Sorbitione aliqua medicamenti, præſertim valentioris, reliquias detergente & extrudente, vt iuſculo carnium, piſorum, aqua hordei mellita vel ſaccharata, vino, oleo, in cucumere agreſti, & ſcammoniatis.

Alia in his mitiora domari non poſtulant, niſi ſiquando morbum aliquem corporis auctura videntur: ob id caſsiæ fiſtulæ in fluore alui miſcetur maſtiche, vel aliud ſtomachicū.

Tamar Indis in ventriculi intēperie frigida miſcemus calida ſtomachica. De his omnibus plura toto propè lib. 3.

Cætera ad purgantium medicamentorum naturam pertinentia fuſiùs hîc eram declaraturus, niſi Ioannes Tagaultius Pariſiis Doctor Medicus longè doctiſsimus, eam ipſam operam ex Meſue, & aliis eius rei peritioribus nobis diligenter contuliſſet.

Simplicia alia Dioſcoridis, Galeni, & aliorum plurima, hodie parum cognita, feciſſem notiora & certiora, niſi hac gloria merita Gulielmum Peliſſerium Epiſcopum Monpeſſulanenſem, doctiſsimum, diligentiſsimum, integerrimum, fraudare noluiſſem. Adde quòd ea hoc loco potiſsimùm tractanda cenſui, quæ in deſcribendas poſteà cōpoſitiones frequentiùs recipiuntur, vt ex cognitis ſimplicium viribus, totius facultatem lector intelligat.

FINIS.

METHODVS MEDICAMENTA COMPONENDI ET AB ALIIS COMPOSITA EXpendendi ac iudicandi, quibus affectibus medeantur, & an quod titulis pollicentur, præſtare poßint,

Liber II.

*

HOMINES cùm ſimus, errare non eſt difficile. Hinc Archigenes priorum errata quædam coarguit, & Galenus Archigenis. De Galeno aũt dicere auſim, quod is de Hippocrate paſsim inculcat, ſcriptũ ſcilicet eſſe ab eo nihil perperàm. Nos verò Galeni vmbrã vixdum aſſequutos medicorum propè reliquorum conditionem ſubire nõ fuerit mirum: ſed lectorem rogamus, vt quicquid laude dignũ in his laboribus noſtris commendarit, Galeno precipuè tribuat, vitia autem noſtro aſſuat capiti. Quanquàm ſi quid iudico, aut nulla ſint, aut perpauca, & quæ nos fugerunt: niſi naſutus aliquis calumnietur, multa ſæpe hîc exempla congeri, nulla vel vtilitate, vel neceſsitate: interdum ea deſiderari. Præter hæc illa paſsim non magis cohærere, quàm ſine calce arenas. Sed id vitio nonverterit, ſi inſtitutum noſtrum intellexerit fuiſſe, vt hæc tanquàm idonea rei propoſitæ teſtimonia etiam vt in manumvenirent ſcriberemus: aliquando tamen ordine certo digeſsimus, vbi ordini erat locus. Neque enim Hippocratis Epidemia, tanquàm ſcopas diſſolutas, ſparſa & interhiantia exempla quiſquam damnarit, ex quibus tamen ille tam diuinos excerpſit aphoriſmos, & prognoſtica Medico maximè neceſſaria. Quomodò ex his exemplis noſtris vniuerſalia illa theoremata ad componendi rationem maximè neceſſaria colligere poſsis, aut hæc per illa inducendi methodo comprobare. Quòd ſi non videantur ad plenum abſoluta, quæ ad medicamenta componendi methodum pertinent, cùm anni poſteriores docta & elaborata magis

gis afferre cõſueuerint, tum virorum doctorum animaduerſionibus admoniti, tum iudicio lectione Galeni plurima firmando, meliora aliquando reddemus. Methodus verò medicamenta componendi hunc habet ſcopum, vt ſiquando librum conſuetorum nobis medicamentorum compoſitiones ſcriptas cõtinentem perdiderimus, perditis ſimilia poſsimus componere, ex formula quadam mutationis ad propoſiti inuentionem nobis cognita, quam multis particularibus compoſitionibus exercuerimus. Non modò autem rectè pharmaca componere docet hęc methodus, ſed etiam præſtat, vt quę à veteribus medicis ſunt ſcripta compoſita medicamenta, promptè expendamus, & his omnibus etiam citra limitationem pronunciatis, commodè vtamur. Melius enim eſt, maiorum experimentis probata medicamenta à nobis ſumi rationem his vtendi ſcientibus. Empirici verò cùm ignorent, qua ratione compoſita ſint pharmaca ſingula, perditis deſcriptionibus, alia componere non poſſunt. Quòd ſi naturam ſcirent affectuum curandorum & eorum magnitudinem, & methodum cognoſcerent inueniendi vires ſimplicium medicamentorum, & curationis ſcopum, non deſiderarent modum curationis & compoſitionis. Hunc autem laborem eo nomine ſumpſimus, vt Galenum à calumnia liberaremus, quem falſò inſimulant ſues quidam ſtolidi, quòd operibus de compoſitione medicamentorum κατὰ τόπους καὶ γένη catalogum tantùm compoſitorum à ſe & aliis medicamentorum recenſeat, ſed componendi rationem nuſquàm libris prædictis tradat. Probamus enim hanc methodum ceu animam quandam locis probè omnibus interſperſam. Quam rem vt tibi veriſsimam eſſe magis perſuadeas, loca indidem ſignauimus hîc quàm plurima: addidimuſque libros illos Galeni, ſi quis identidem relegerit, eſſe digniſsimos, qui à medicis in vſu frequentiore habeantur. Ex his item & aliis non paucis probabimus aliquando, neque Galenum fuiſſe, neque Galeni ſtudioſos eſſe operum Medicorum, ſeu, vt cum illis loquar, praxis imperitos. quod vitium Arabiſtæ quidã impoſtores Medici nomine indigniſsimi, & Galeno, & Galeni familiæ impingunt: idque imperitis quibuſdam pharmacopœis perſuadent eò faciliùs, quòd illi Galenicas ſchedas ferè auerſentur, quia veterum more ſcribantur, hoc eſt, puriùs, & breuiùs, &

quan

quantum fieri poteſt, paucißimis ſimplicibus conſtantes. Illi verò lucri helluones nihil de ægrorum ſalute ſolliciti, ea tantùm laudant Medicorum reſcripta, quæ ſumptuoſa ſunt ac pretioſa: ob id quòd magna ſimplicium idē pollentium turba ſunt coagmentata: quod Arabiſtarum iſtorum publicum eſt vitium, ægris ſæpe noxium, ſemper ſumptuoſum, nota certè Cenſoria, aut paulò ſeueriore alia caſtigādum: ea etiam ratione, quòd Auicennæ ſui principis dogma deſerunt, imperantis parſimoniam medicamentorum potiùs quàm multitudinem, vbi vnicus eſt nobis ſcopus, nec multi affectus complicati.

Initio ſimplic.
In lib. ſanitat. tuendæ.

MEDICAMENTVM eſt, quod corporis noſtri naturam alterare poteſt ac immutare prima, ſecunda, tertia, quarta facultate, ſeu tota ſua ſubſtantia, idque ad ſanitatem faciendam (nam ad tutandam medicamentis opus nequaquàm eſt) ſiue ipſum ſumatur, ſiue admoueatur. Medicamēti verò ſignificationem hoc loco minùs latè fundimus, quàm Galenus, pharmaci etiam deleteria complectentis, quę nemo rectè medicamenta vocarit, niſi ſiquando illorum quædam caſtigata & aliis miſta vim ipſorum obtundentibus corpori admoueantur, & quædam horum etiam in corpus recipiantur: quod in compoſitis medicamentis audies. Simplex medidicamentum, cui nulla alia ſubſtantia opera noſtra acceſsit: compoſitum verò, cui acceſsit.

Lib. 3. temperament.

Lib. 1. phy.
Lib. 1. alimēt.
Li. 2. ſim. c. 13.

Compoſitio medicamentorum eſt ipſorum viribus variorum cum ratione à Medico facta miſtio. Qualis naturæ in re eadem perfrequens cernitur, cùm pauca liceat inuenire non medicamenta ſolùm, ſed etiam alimenta, quæ ſubſtantiis pluribus, ſed ſingulis elementa quatuor ſortitis nō conſtent, iisq; natura diuerſis, & plerunque etiam contrariis: vt in aloë ſubſtantia eſt vna terrea, craſſa, cruda, frigida, aſtringens: altera terrea quidem, ſed calore interno multùm tenuata, amara, calida, cholagoga: ſic in Rha barbaro, Alumine, Chalcantho, Chalciti ſubſtantiæ inſunt duæ contrariæ. In Roſa, Agarico, & aliis permultis etiam tres: ſunt & quibus quatuor naturæ inſunt. Cęterùm hæc omnia Medici vocare ſimplicia conſueuerunt, quemadmodùm & quædam verè compoſita, ſed

Lib. 4. ſanit. tuendæ.

quæ paucioribus conſtant ſimplicibus, quàm alia eiuſdem generis compoſita. Hac ratione dia trion pipereon ſimplex Galeno dicitur, quamuis conſtet trium pipereon ana drachmis quinquaginta, & aniſi, thymi ana drachmis octo. Minus idem fuerit ſimplex, ſi zinziberis etiam drachmas octo recipiat. Compoſitius quoque fuerit, ſi horum trium pondus duplum, hoc eſt, drachmas ſexdecim recipit. Præter quæ omnia quod compoſitum dicitur, etiam recipit ami, ſeſeli, libyſticum, enulam, ſpicam nardi, caſiam, & alia id genus, quæ ipſum vehementer medicamentoſum reddunt. Sic Actuario & practicis Oxymeli ſimplex & compoſitum, Oxoſacchar ſimplex & compoſitum, & alia permulta eadem ratione dicuntur. Quomodo opinor, vena, arteria, muſculus Galeno lib. de differentiis morborum partes vocantur ſimplices & primæ, cùm reuera ſint compoſitæ vena & arteria ex fibris & membranis, Galen. lib. de inæquali intemperie : muſculus ex carne ſimplici, fibris neruorum & ligamentorum, venis, arteriis, tunica, Gal. de motu muſculorum, & in anatomicis paſsim. Sed ex paucisſimis compoſitæ partes dictæ, ſimplices videri queant, maximè compoſitis organis collatæ. Simplicia igitur medicamenta propriè vocamus, quibus miſtio nulla à nobis acceſſit, etiam ſi ſint ex ſubſtantiis natura diuerſis compoſita. Quæ verò minus à nobis compoſita ſunt, catachreſticos etiam ſimplicia vocamus. Compoſita enim medicamenta nobis hoc loco vocantur, quæ miniſter naturæ Medicus, ac imitator ex variis ſimplicibus diuerſa pollentibus commiſcuit : non quidem tota per tota (id enim naturæ ſolius, ac Dei munus eſt) ſed per partium minimarum viciniam & contactum nonnunquàm tam exactum, præſertim coctione longa, ſed blanda, & veluti totius fermentatione, vt à vera miſtione parum abſit : mirum ni etiam à nobis miſta quædam ægrius ſeparentur, quàm aliqua vi naturæ confuſa, vt in lacte, rha barbaro, aloë, & pleriſque aliis videre licet. Nec abs re addidimus, miſcenda eſſe viribus diuerſa, non autem quæ idem poſſunt. Quod etiam hodie celebribus medicis in conſuetudine eſt, quum id ad ſumptuum magnitudinem magis ſit, & remediorum multitudinis oſtentationem, quàm ægrorum ſalutem, aut compoſitionis vſum. Sed id vitii non recipiendum eſſe, pòſt abundè docebimus : ſimulq; excuſabimus celebres illos

ac priſcos Medicos, ſi quando in eum errorem incidiſſe videbuntur.

Dicamus iam quæ maioribus noſtris fuit medicamenta componendi non dico vtilitas, ſed neceſsitas. Deinde quæ medicamenta tam ſumenda quàm admouenda methodo certa compoſituro ſint neceſſaria. Poſt hæc, in quibus medicamenta componendi ratio conſiſtat. Præterea exemplis aliquot celebribus vniuerſalem hanc methodum exercebimus. Poſtremò, qua ratione quis rectè compoſitis vti queat, perſtringemus.

MEdicamenta componere Medici ſunt coacti multis de cauſis, quas ſingulatim percenſere viſum eſt, vt lector diligens nihil hanc in rem commodum deſiderare poſsit.

Vt remedia inueniendi prima indicatio ab affectu ipſo præter naturam ſumitur, ſic ab eodem prima componendi medicamēta ratio eſt profecta. Si enim ſolis ſimplicibus medicamētis omnes affectus præter naturam curare liceret, nullus vnquàm vſus foret compoſitorum. Simplex verò affectus ſimplicem exhibet indicationem, complexus compoſitam. Quòd ſi vno ſimplici remedio præſente affectum ſimplicem curare poſſumus, id adhibemus compoſitione neglecta. Si verò id ſimplex quod nobis ad manum eſt, valentius aut inualidius, quàm affectui conuenit, aut colore, odore, ſapore, conſiſtentia, vel aliis pòſt dicendis, à ſcopo nobis propoſito eſt alienum: miſtionis iam inſurgit neceſsitas eorum, quæ vires minuant, vel augeant, vel coloris, odoris, ſaporis, conſiſtentiæ abſurditatem corrigant.

Lib.1.c.ph.p.

Duæ igitur primæ & principales cauſæ compoſitionis videntur, affectuum natura contrariorum complicatio, & ſimplicium tam ſimplicem quàm complexum affectum expugnaturorum penuria, & præter has temperatura, partis figura, ſitus, ſenſus, aëris natura. Vt ſi affectus ſit intemperies totius vel partis vno gradu calidior, vno gradu frigidiora, vt profligaretur, poſtularet: haberet autem fortè ad manum Medicus tantum duo ſimplicia, vnum temperatum, & ob id imbecillius: alterum ſecundo gradu frigidum, idemq; valentius, quàm propoſito affectui conueniret: vtriuſque æqua portione miſta medicamentum fecit frigidum primo ordine,

Exemplum neceſſariæ cōpoſitionis morbo ſimilari.

Li.1.ſimp.c.3.

ne, malo præſenti idoneum. Quomodo vinum per ſe ſitim non extinguit, quia calidum: nec acetum, quia ſiccum: nec aqua per ſe, quia tardius permeat & diſtribuitur: miſta autem aqua alterutri horum certa proportione, ſitim probè extinguit. Nam hæc vini caliditatem, & aceti ſiccitatem ſua frigiditate & humiditate corrigit. Tam vinum autem quàm acetum eſſentiæ ſuæ tenuitate ipſi aquæ celeritatem & permeandi promptitudinem impertit. In œdemate pituitam, quæ in partem affluxit oxycratum ex ſpongia admotum vacuat, quorum nullum per ſe id præſtiterit. *In organico li. 2. ad Glauconẽ in communi.*

Cùm vlcus cauum curaturus habet ſolùm ceram ſiue ceratum, & æruginem, non etiam thus, irim, ariſtolochiam, farinam erui, radicem panacis, & alia vlceri cauo idonea. Cera autem & per ſe, & magis etiam cum oleo Rhodino in ceratum liquidius effuſa, vlcus facit ſordidum, quia nec terget, nec ſiccat, quæ duo carni gignendæ ad vlceris cauitatem implendam ſunt neceſſaria. Aerugo autẽ ſola erodendo & exedendo, vlcus magis cauat, & phlegmonem excitat: vtrunque ergo per ſe vitandum eſt, ac ex ambobus miſturam cera valentiorem, ærugine imbecilliorem facimus. Sed quoniam ceratum paulò eſt inferius idoneo ſarcotico, ærugo autem multo valentior, multo illi cerato, vt libræ vni, liquidiori modicam æruginem, vt partẽ decimam vel duodecimam, hoc eſt, vnciam, pro corporis differentiis miſcebimus. Nam cuiuſque quantitas ante experientiam à nemine inueniri poteſt, coniectura tamen iudicari poteſt, vt primam experientiam nullus valde infauſtus ſequatur euentus. Pars verò æruginis decima acrius medicamentum facit, ob id eſt idoneum carni gignendæ in corporibus validioribus, duris, ſiccis temperamento, vt agricolarum, nautarum, venatorum. Duodecima imbecillioribus & mollibus vel natura, vel victus conſuetudine, & humidis, & candidis corporibus, qualia ſunt mulierum, eunuchorum, puerorum conuenit. *Lib. 1. c. th. g. & lib. 3. meth.*

In quo exemplo ſimplicia vtraque & inter ſe ſunt maximè contraria, & affectui per ſe ſunt nocentiſsima: miſta tamen quo dixi modo, ſarcoticum, colleticum, & epuloticum efficiunt præſtantiſsimum, quale etiam eſt dia chalciteos Galeni: cùm cera per ſe, multò magis adeps, atque adeò oleum ipſum ob humiditatem multam & lentorem in vlcere ſor-

dem cumulet,& chalcitis ſiccior,acrior,erodentior cauitatem augeat. Optima verò medicamenta maiores ex contrariis miſcuerunt ratione ipſa monſtrante viam,& compoſitionem inueniente: de cuius virtute experientia poſterior decernit. In hoc autem & aliis propè omnibus medium eſt parandum potius,ceu ad mediam temperaturam aptatum: ad temperaturas verò vtrinque à media recedentes,ſi vires medicamenti ſint imbecilliores,augenda eſt ærugo vel chalcitis, & ſi vis, mel addendum: ſi validiores, ærugo chalcitisq́; minuenda magis & minus pro effecti eius portione, vel augendum ceratum, adeps, & cætera. Coniecturam enim tuam vſus & experientia docebunt.Si enim carne impletur,bonum:ſi ſorde,eſt infirmius:ſi cauum magis fit,& eroſionis ſenſum æger ſenſit, ac pars calidior, rubentior, tumentior apparet, eſt valentius: & in aliis eadem ratione compoſitis idem faciendum,vt pòſt fuſius audies.

Eſt etiam cùm affectus emplaſton medicamentum exigit, qualem conſiſtentiam cùm nullum ſimplex medicamentum per ſe facere poſsit (non enim bitumen, non cera, non reſina,non pix,non propolis,non ladanum talem vſum præbent, multò minus ærugo, ceruſſa, lithargyros, molybdena, vel aliud metallicum,nec herbæ etiam ſolæ emplaſton medicamentum faciunt) miſtura opus fuit, vt ſimplicia in vſu hoc eſſe poſſent, alioqui ob conditionem ſuam & naturam in id inepta. Propterea primi emplaſtrorum autores ratione optima,ex oleo quoque metallica coxerunt, & liquabilia liquefecerunt,& herbas contuſas,& cretas adiecerunt.

Quædam prætereà componimus affectui præſenti contraria ex naturæ imitatione, cuius ritè agentis Medicus perpetuò eſt miniſter, vt clyſterem in aluo aſtricta ex hydromelite & oleo,interdum ex oleo ſolo cum ſale componimus,in quibus durum ſiccitate ſtercus emolliendi,id eſt humectandi eſt facultas: deinde viæ ipſius per inteſtina oleo lubricandæ ad liberiorem deſcenſum; poſtremò aut mel aut ſal mordendo, expultricẽ ad opus ſuũ excitat, vt bilis flaua in ſanis corporibus ſtercori miſta. Tales ſunt crebri clyſteres Gal. in lib. ſanit. tuendæ, & therapeuticis: horumq́; ratio ea redditur Aphrodiſeo in problematis. Huc pertinet, quòd multis ſimplicibus etiam curando affectui ſimplici vel compoſitio idoneis,

ſæpe

ſæpe facultates aliæ inſunt affectui noxiæ: cùm rarum ſit ſimplex medicamentum, quod ex variis ſubſtantiis, & ſæpe contrariis non ſit temperatum. Quo caſu eas miſtione aliorum inducimus: ſic ſcammonio, cholagogo alia miſcemus frigida, craſſa, aſtringentia, partes principes roborantia, vt calori tenuitati, diſſolutioni, partium principũ noxæ à ſcammonio imminenti occurramus. Sic opium caſtorio, hyoſcyamum allio, cæpa, ſemine rhaphani, mandragoræ corticem abſinthio, ſinapi, frigida ſcilicet calidis obtundimus: & in theriace, mithridatio, aliisq; multis ſimiliter.

Secundo loco medicamentorum compoſitionis vſus eſt maximus, in affectibus complexis diuerſas ſimul facultates interdum contrarias deſiderantibus, vt repellendi ſimul & digerendi, incraſſandi & tenuandi, incidendi, tenuandi, tergendi, qualia ſunt multa compoſita polychreſta, vt theriace, mithridatios, & alia non pauca.

Si eſt igitur hydrops frigidus humidus affectus cum febri calido ſicco morbo implexus, vtriuſque per ſibi contraria remedia eſt habenda ratio, ſi æquè pollent, ſi alterutrum magis vrgeat, illi attentius proſpiciendum, altero tamen affectu intereà non neglecto. Sic vbi vlcus eſt cum phlegmone quæ hanc curant refrigerantia, vlcus mordent, & inſuppurabile reddunt: quæ verò vlcus tergent ſiccántque, phlegmonem exacerbant. Componendum igitur fuit medicamentum, in quo vtriuſque talis habeatur ratio, vt neutri magnoperè incommodetur: ſed tamen eo caſu phlegmones maior eſt habenda ratio, quippe citra cuius curationem vlcus nunquàm ſanaueris. Idem ſtatuendum eſt, vbi affectus cauſa adhuc præſens in corpore, & ipſe affectus, naturæ ſunt diuerſæ: vt in quotidianis & quartanis febribus cauſa eſt materia frigida, morbus calidus: vtriuſque enim habenda eſt ratio, ſed maior vrgentioris. Compoſito etiam medicamento ſæpe opus, cùm morbi eiuſdem permultæ ſunt cauſæ: vt ſi ſuccus & multus, & craſſus, & lentus faciat obſtructionem: craſſo tenuans, lento incidens & tergens, & fluxile reddens, multo vacuans contrarium debetur. Quæ omnes facultates cùm raro in vno ſint medicamento, ſimplicibus multis ſimul miſtis perficiendæ fuerunt. Sic cùm venena calida ſimul & frigida ſunt expellenda de corpore, vel aduerſus hæc corpus

eſt muniendum. Qua etiam de cauſa theriace multum contrariis eſt commiſta.

Exercere ſeſe poteſt quiſque exẽplis plurimis per omnes affectus naturæ diuerſæ complicatos, vt intemperies partium magnarum aut etiam principum inæquales, ſine materia & cum humoribus, ſimplices & compoſitas: vt incommoderationum differentias ſibi connexas, vt ſolutionis continui ſpecies ſecum compoſitas, vel etiam cum aliis prædictis morborum generibus. Si verò naturæ ſint eiuſdem affectus, vt cauſa & morbus calida (vt in tertianis) vt intemperies calida ventriculi, & hepatis, & partium vicinarum: minus eſt neceſſe compoſito vti, ſi ad manum eſt quod refrigerare quantum affectus ipſe poſtulat & partis natura, vt ad iuſtam temperiem reducatur.

Lib. 2. c. ph. p. Qui igitur primi compoſuerunt medicamenta propria & familiaria aduerſus impactã partis alicuius anguſtis meatibus materiam, vt humorem craſſum & lentum, interdum etiam ſpiritum flatulentum & vaporoſum ad curationem longius tempus requirentem, eguerunt varia medicamentorum miſtione, quorum quædam impactam materiam tenuent, & meatus dilatent, per quos materia illa excernatur: alia partem affectam roborẽt, ne talem materiam aut gignat, aut aliunde recipiat, & vt quod extenuatum eſt excernat, impactum coquat & tenuet: alia quæ ſubſtantiam affluentem repellant: alia quæ receptam coquant: alia diſcutiant. Quod ſi ſingulis eis effectis peculiare habes compoſitum medicamentum in affectibus curatu difficilibus, ſecundum Hippocratis conſilium inſpice, in quónam horum medicamentum ſimplex calidum ſit copioſius, & in quo frigidum humidum ſiccum, aut tenuium partium, aut craſſarum: deinde ex ſucceſſu remedii loco affecto prius admoti, coniecta an in eodem perſeuerandum ſit, vel ad aliud tranſeundum, etiam eorum quæ idem pollicẽtur, vel ambo miſcenda, vt medium quodammodo facias. *Aph. 52. libr. 2.*

Tertia cauſa componendi medicamenta fuit totius corporis natura, & partium ad quas ea ferri volumus, & per quas tranſitura ſunt: vt ſi habeo medicamentum liberandæ obſtructioni idoneum, ea autem eſt in liene, aut hepate, aut renibus, miſcenda ſunt liquida, tenuia, & totius ſubſtantię ſimilit

ſimilitudine ipſi parti familiaria, quę medicamentum, aut medicamenti facultatem ad partes deducant, easq; roborent, ſi robore pars ipſa egebit, ob actionis præſtantiam: vt eupatorium hepaticis, aſplenium ſplenicis, nephriticis ceſtron aut cicer miſcendum: de quibus poſtea: ſic ſtœchas agarico miſta pituitæ ex cerebro purgationem iuuat, hyſſopus verò ex thorace. Præterea naturarum quædam proprietas hac vel illa compoſitione recreata, ab alia abhorrens, compoſito nos vti ſæpe coëgit: & item coloris, odoris, ac potiſsimum ſaporis gratia, & ſtudium ſeruandæ diu miſtionis. Tres hæ cauſæ neceſsitatis componendorum medicamentorum ſufficere poſſunt, ſumptæ ex natura & affectus, & corporis affecti, & medicamenti affectum illum in hoc corpore ſanaturi. Quæ verò minores ſunt compoſitionis vtilitates, plurimæ ex aliis indicationum differentiis ſumendæ, in ratione componendi dicentur. Præter quas omnes vna hæc maxima eſt, vt compoſitis tibi conſuetis, amiſſis ſimilia reponas: vtq; compoſitionis rationem in compoſitis veterum agnoſcas, & quorundam ipſorum facultates ab illis non definitas inuenias, aut etiam falſo adſcriptas refellas. Cognitis enim ſimplicium facultatibus & qualitatibus, poteris virtutem compoſitorum à veteribus medicamentorum inuenire, & ſimilia componere. Hinc etiam cognoſces affectus corpori ex medicamento ſucceſſuros, & prænoſces: & his iam factis atque facilè cognitis, remedia idonea inuenies ratione compoſitionis inuentrice, cuius facultas experientia probanda eſt, quanuis ante hanc coniectura quoque artificioſa colligatur: vt ſi corpora ſicca ſunt & valida, valentius medicamentum poſſe ſuſtinere confidis: ſi imbecilliora & molliora vel natura vel victus ratione ſint, ea non ferent. Sic cùm à pulmonibus & thorace materiam craſſam lentam expectorare oportet, potu largiore opus eſt, atque liquidioribus eclegmatis vtendis inter medicamenta arteriaca, ſiue illa ſint acria & mordacia vehementer ex aro, pipere, caſia, cinnamomo, galbano, reſina terebinthina, & aliis eius generis incidentibus, & tenuantibus, & tergentibus: ſiue tantùm moderatè tergentibus conſtent cremore ptiſſanæ, amygdalis. Nam quę emplaſtica ſunt exactè, & morſus expertia, ex paſſo Cretico, gummi, traga-

Lib. 2. c. ph. g.

Lib. 1. c. ph. p.

Initio lib. 7. c. ph. par.

cantho, glycyrrhiza, arteriæ aſperitates tantum læuigant, nō etiam expectorant.

Lib. 1. c. ph. g. & initio libr. 6. c. ph. p.

NVnc mihi dicenda ſunt, quæ compoſituro certa methodo medicamenta ſint cognoſcenda, illa nimirum tria: affectus omnes corporis præter naturam, in quos medicamenta componimus: corporis ipſius naturā, ſine qua nec affectus illos ad vnguem noſſe, nec probè & tutò vti medicamento queas: tertio ſimplicium omnium medicamentorum facultates pernoſcendæ ſunt, primæ, ſecundæ, tertiæ, quartæ, id eſt, cauſæ medicamētorum effectrices, ſeu naturales quædam eorum potentiæ corpus noſtrum immutantes. Nam cùm primus & præcipuus componendi medicamenti ſcopus ſit affectus præter naturam, nullo ſimplici remedio curabilis, illius tota natura tanquam vngues & digiti cognitiſsima eſſe debet: ſi calidus ſcilicet aut frigidus, humidus aut ſiccus, vel horum coniugatione intemperatus, & quoto ordine eſt vnuſquiſque talis. Item ſi cum materia vel ſine materia, ſi cauſam habet deſitam vel adhuc præſentem, & eam vel hecticam vel ſcheticam: adhæc ſi profundus eſt morbus vel ſublimis, prope partem momentaneam vel longè ab ea, & alia propè innumerabilia, partim poſt dicenda in ratione componendi, partim ex curandi indicationibus ſumenda.

Quòd ſi natura affectus incognita vel neglecta aduerſus ipſum medicamenta componis, cùm ſcopo certo compoſitionis careas, illi es ſimilis, qui oculis clauſis telum, quò fortuna feret, emittit. Is enim vt ſcopum vel nunquam vel rariſsimè, idque fortuitò, attinget: ſic medicamentum in hunc affectum exactè non cognitum ſi componis, illum vix vnquam ſanaueris: mirum ni etiam plurimum auxeris, cùm medicamenta ſint rara, quæ nec proſint, nec obſint, ſed ferè ſalubria ſint, aut inſalubria: pauciſsima, & rarò neutra. Se igitur quiſquis eſt medicinæ ſtudioſus, diligenter exerceat in morborum, cauſarum, ſymptomatum cognitione, vt perſpecta horum cuiuſque natura, ſtatim concipiat ex theoremate illo Hippocratico contraria contrariorum remedia, quo genere remediorum ſit opus, calidóne an frigido, humido vel ſicco, tenuante aut incraſſante, molliente vel durante, vel alio reliquorum ſimilium. Deinde in ipſis ſimplicibus

lib. de flatibus.

cibus tanquam promptuario longè vberrimo & copiæ cornu pleniſsimo, ſumma cura, præcipuoq; ſtudio veſtiget, quæ quibus affectibus ſunt, quantum opus eſt, contraria. Id quod ſi in vno aliquo non ineſt, duobus aut pluribus ſimul miſtis efficiat. In quo ſtudio nemo ſe vnquam feliciter geret, cui ſimplicium omnium natura (vt idem de reliquis ſalubribus cauſis tibi perſuadeas) non ſit tanquam ſua domus cognita. Nam præterquam quòd illis ſimplicibus vti rectè nequeat, neque etiam poſsit ex his probè aliquid componere, aut aliorũ compoſitis rectè vti: nemo enim compoſito vnquam rectè vtetur, viribus ſimplicium id componentium ignoratis: cùm illius vires ex horum viribus propè ſolis ſint æſtimandæ: quomodo partes in nobis organicæ ſeu compoſitæ, vt rectè vel malè habeant, id ex ſimilarium ſeu ſimplicium magnitudine, numero, figura, ſitu, & connexione accipiunt. Quis igitur pœna non ſola ignominiæ nota dignos non putet, multos huius ætatis Medicos, etiam hominum opinione celebres, qui neglecta ſimplicium exquiſita obſeruatione, contenti ſunt facultate compoſiti vtcunque cognita: Illis enim ſatis eſt ſcire, catholicum humores omnes purgare, diaphœnicon bilem flauam, diacnicum pituitam, diaſennam ſuccum melancholicum, coccia catapotia cerebrum, optica oculos: neque ſunt ſolliciti quibus horum quodque ſimplicibus conſtet, & quanta ſingulorum menſura: neque curant hi, ſi vires habeant compoſita, quas titulo pollicentur. Cùm tamen ſimplicia ſint & natura & tempore priora compoſitis, & ab illis hæc omnem propemodum habeant facultatem: niſi ſi qua ex contrariis compoſita (quorum maxima turba eſt) facultatem componendo acquirant non modo diuerſam, ſed etiam ſæpe contrariam ſimplicibus per ſe vſurpatis, quod in ſarcotico ex ærugine & oleo, & dia chalciteos emplaſtro oſtendimus. Adde quòd vis quædam diuerſa, ſed ferè exigua ex ipſa compoſitionis & noſtræ coctionis ratione nonnunquàm proficiſcitur: magna verò quibuſdam ex coctione à miſtorum calore natiuo tandem perfecta, vt in theriace & mithridatio audies. Quæ medicantium conſuetudo ſi recipitur, quid miramur medicinam paucis admodum menſibus percipi? quid miri eſt, idiotas ad medicinam faciendam conuolare, cùm phyſiologiæ totius, præ-

terea vtrique ſint ignari, vt reliquam quorundam ignorantiam taceam.

Iam patêre cuiuis arbitror, medicamẽta compoſituro cognitiſsimam eſſe affectus curandi, & remedii curantis naturam oportere. Qui enim morbum, ac morbi cauſam, & vtriuſque naturam pernouerit, deinde ſimplicium medicamentorum omnium, aut ſaltem plurimorum & vſurpatiorum vires omnes, in ſingulis morborum ſpeciebus rectè componat, & ſalubriter vtatur tum ſimplicibus tum compoſitis medicamentis, ſi ſimul naturas corporum & aëris inſpexerit. Mollibus enim & humidis, vt pueris, eunuchis, mulieribus, mitiora debentur medicamenta: duris autem & ſiccis, vt venatoribus, meſſoribus, nautis, agricolis, validiora: mediis horum, mediocria: & in carne ſicca vlcus, ſicciora: in molli, minus ſicca, tam ſarcotica quàm colletica & epulotica requirit. Et in cognatis cuique intemperaturis mitiora, in contrariis valentiora requiruntur, quoto ſcilicet ordine quiſque per morbum à ſua natura receſsit: & aëre calido minus calida, & frigido minus frigida, quàm affectus requirit, medicamenta ſunt adhibenda, & in reliqua oppoſitione ad portionem.

Quæ verò ad affectuum præter naturam cognitionẽ pertinent, hîc audire ne expecta, ſed ex lib. de differentiis & cauſis morborum & ſymptomatum, & de ſignis partium internarum affectarum, & aliis Hippocratis & Galeni libris huc pertinentibus require. Vti quæ ad cognoſcendam cuiuſque naturam ſunt neceſſaria, ex libris phyſiologicis repetenda tibi ſunt, quorum omnium catalogus in ordine librorũ Hipp. & Galen. tibi abundè ſuppeditatur. Quæ autem ad ſimplicium medicamentorum cognitionem ſunt neceſſaria, paulò fuſius explicabo, ne quid cupido lectori deſit ad compoſitionis peritiam, etiam ſi multa ſatis attigiſſe tibi Galenus videri poſsit libris quinque primis ſimplicium. Ex quibus, & aliis aliquot eius locis ad hanc rem idonea paucis perſtringere tibi conſtituimus.

Noſcenda eſt medicamenti ſimplicis facultas quadruplex, prima, ſecunda, tertia, quarta, (à quarum ſingulis ſua prodit actio) & quæ medicamenta quibus locis abundant, & quibus item locis, atque conditionibus aliis ſunt meliora.

Facult

Facultas medicamenti prima reliquarum communis eſt tanquam baſis (preterquàm quòd quartam iuuare non videatur) ex ipſis elementis nullius interuentu prodiens, ipſiſque omnium maximè tributa: generatim quidem eſt calfaciendi, refrigerandi, humectãdi, ſiccandi, & per horum coniugationem, calfaciendi humectandi, calfaciendi ſiccandi: refrigerandi humectandi, refrigerandi ſiccandi. Particulatim verò efficiendi id ipſum in principio, medio, fine ordinis primi, ſecundi, tertij, quarti. Ea verò qua ratione ſit tactu & guſtatu tanquàm tactu quodam exploranda & iudicanda, abundè docet Galenus lib. ſimplicium. Etiam ſæpe ſecundas facultates, nonnunquàm & tertias: eſt quando & quartas in quibuſdam ſimplicibus proſecutus. Omnes enim eas recenſere in omnibus operoſum fuerit: cùm etiam permulta ſint, quorum facultas tertia parum cognita eſt, plurimorum quarta adhuc omnino incognita, cognoſcenda quibus, quando, quantũ Deus voluerit, vt Auenzoar pulchrè dicebat. Satis fuerit (quod ad primas facultates attinet) cognoſcere calidum frigidum humidum ſiccum ordine primo, obſcurè: ſecundo, manifeſtè: tertio, vehementer: quarto, ſummè tactum noſtrum & guſtatum afficere, idque in horum ſingulorum ordinum principio, medio, fine, ſic vt ordines ſint 12. medicamentorum tum calidorum, tum frigidorum, tum humidorum, tum ſiccorum, id eſt, calidiorum, frigidiorum, humidiorum, ſicciorum temperato. Noſcat etiam Medicus, quæ medicamenta celeriter etiam vbi admota corpori noſtro ſunt, vel in ipſum recepta, virtutem ſtatim amittant, quæ diu eandem ſeruant. Vt euphorbium caducam & ſtatim euanidam admotum parti caliditatem habet: arus & alia quæ caliditatem humiditate multa & lenta merſam habent, tardiùs eam exerunt, ſed diutiùs excitatam ſeruant. Item euphorbium recens linguam vrit, trimum & quadrimum adhuc vegetum eſt, annis ſequentibus exoluitur. ſic Thapſia poſt annum eſt admodùm imbecilla, bima prorſus exoluitur. Quæ omnia multis Galeni locis tibi clariora ſimul & credẽda magis reddere viſum eſt. *Cap. vlt. Lib. 5. ſimp. Lib. 3. c. ph. g.*

Niſi quis exactè & diſtinctè ſimplicium vires noſcat, non cognoſcit compoſitum, nec in quali ordine ſit efficax, vtrum ſcilicet vehementiſsimum vel clementiſsimum, vel medium, vel inter hæc conſtitutum, vel ſi ex contrariis conſtet. *Lib. 7. c. ph. p.*

Nullus

Initio lib. 8.c. ph.p. Nullus cum ratione & methodo medicamenta componere, aut compoſitis vti poteſt, niſi ſimplicium medicamentorum vires memoria teneat,& omnium quæ in methodo medendi docentur,meminerit.

Lib. 1.c.ph.g. & p. Medicus prudẽs & peritus noſcat naturam affectuum qui curantur,ægri naturam, & medicamentorum facultates,non generatim ſolùm, ſed ſecundum quantitatem, id eſt, quanto receſſu calidum, frigidum,humidum,ſiccum,tergens, & cætera: vt quotidie coniiciat,quali remedio opus eſt,vt præcedens medicamentum intendas vel diſſoluas,quantum affectus requirit: & ſic curatio rectè abſoluitur. Neque enim ſufficit noſſe hoc calfaciendi aut refrigerandi facultatem habere, ſed quo receſſu, ſiue quantam habeat eam facultatem diffinire oportet. *Lib.1.c.ph.g.* Nam reſinę omnes calfaciunt,idq̃ue ſibi habent cõmune,ſed maioris & minoris rationem nõ exiguam ſortiuntur,vti & liquores non pauci calfaciunt: ſed ὀπὸς panacis collatione ὀποῦ Cyrenaici aut Medici parum calfacit. Anethum etiã,ruta,cæpa,omnia ſunt calida medicamenta,magno tamẽ inter ſe variantia diſcrimine. Ob id curãdæ parti admodùm refrigeratæ,multum calida admouemus:parum refrigeratæ, modicè calida: inſigniter refrigeratæ, vehementiſsimè calida. Proinde quatuor calfacientium,vt refrigerantium,& humectantium,& ſiccantium ordines ſtatuimus,& in his ſingulis principium, medium, finem. Itaque ſunt ex his quæ ob caloris vim vrunt, vel exulcerant,alia ſeptica, id eſt, putrefacientia ſunt,alia ſimulatque corpus attigerunt, ſuam poteſtatem oſtendunt:alia horis duabus,tribus,quatuor:alia die vno, alia etiam nocte, vel maiori etiam ſpatio poſt applicationem agunt. Hæc quoque in refrigerantibus,humectantibus,ſiccantibus ſimiliter noſcenda ei ſunt, qui medicamentum probè confecturus eſt. Quod ob id etiam ſcitu maximè eſt vtile, vt ſiquando valentiore medicamento egebis, ad quod digrediare, cognoſcas. *Lib.2.c.ph.g.* Qui autem particulam ſimpliciter calfaciendam iubet,non magis piper,aut ſinapi,quàm thus capiet: eodem modo & in ſecundis facultatibus, ſi tergendam ſolùm iubet,non magis mel,quàm glycyrrhizam vel aloën capiet.

Initio lib.6.c. ph.par. Qui medicamenti vim,qua operando iuuat,ignorat,eo rectè vti non poteſt.

Initio lib.7.c. ph.p. Omnium ſimplicium medicamentorum facultatis notas habere

habere oportet eum,qui compoſitum aliquod volet efficere. Idem illis rectè vtetur,quæ alij compoſuerunt, & indiſtinctè ſcripſerunt:diſtinctè autem ſcriptis meliùs quàm alij vtetur.

Rationalis enim Medicus provaria affectuum natura medicamentum mutat.Quam rem is ſolus præſtabit,qui omniũ ſimplicium medicamentorũ facultates cognoſcit.Solus enim qui omnium ſimplicium vires nouit,ſciet quando hoc vel illo medicamento certo ordine vtendum erit, & quantum id à medio recedere debeat.

Simplicium facultatibus & qualitatibus cognitis, quiſque poteſt inuenire,qua ſint virtute prædita,quę à veteribus ſunt compoſita, & talia ipſe componere, & inde affectus qui medicamentis ſuperueniunt, poteſt prænoſſe, & præſentibus ſuccurrere. *Lib.1.c.ph.p.*

Poterit idem ſolus diſtinguere, quibus affectionum differentiis remedia ſine diſtinctione ſcripta conueniunt.

Non ſatis igitur eſt nouiſſe medicamentorum facultatem ſimpliciter & in genere, vt hoc calfacere, illud refrigerare (quòd ſolùm Dioſcorides docuit) ſed quoto quodque ordine id præſtare poſsit,quod Galenus in plurimis definiuit.

Veterum quoque Medicorum præſtantiſsimi ipſo vſu edocti optimas medicamentorum compoſitiones effecerunt ex ſingulorum natura, cõpoſitionis artem inuenientes:quæq; intenſa qualitatibus ipſis ſunt,aliorum miſtura remittentes: ſimiliter acria hebetantes, & vt ſummatim dicam, pro reliqua cuiuſque vitij differentia, & hominum temperie medicamentis artificioſè vtentes. *Gal.in theriaca ad Piſonẽ.*

Comperta enim morbi cuiuſq; natura & differentia temperamenti tum ægri,tum ſimplicium medicamentorum cognita, ſic cõpoſita præparamus ſingulis hominibus pro corporis ipſorum ſtatu congrua,& vnicuique morbo contraria. *Ibidem.*

Quandoquidem ſemper memineris oportet, omnem qui pręter naturam incidit exceſſum,contrario exceſſu eſſe corrigendum: hucque omne curationis conſilium dirige. Quòd ſi præterea corporum curandorum naturam noueris, & ſingulorum remediorum facultates, vniuerſæ iam artis peritus es,& valetudinem ſanis probè tueberis,& ægrotis priſtinum ſtatum reſtitues. *Lib.5.ſanit. tuendæ.*

Facultas ſecunda eſt, quæ primas ſimplices facultates vel coniuga

coniugatas nullius alterius interuentu ſequitur, vt facultas molliendi humectationem primò ſequitur: durandi, ſiccationem: rarefaciendi, attrahendi, aperiendi, tenuandi, calfactionem: denſandi, repellendi, claudendi, craſſandi, refrigerationem. Vires & qualitates ſecundas in acerbis, auſteris, acidis, dulcibus, ſalſis, amaris, acribus, digerentibus, aſtringentibus, contrahentibus, repellentibus, ex alto trahentibus, reſerantibus, tergentibus, ſenſum ſtupefacientibus, ſcribit Gal. lib. 3. comp. ph. part.

1. A calfactione igitur procedit actio propinqua, tenuatio craſſorum, quæ ſi liquida ſunt, in vaporem tenuando verſa, exhalant: interdum intra corpus, & fiunt pituitæ, aquoſa, flatus, inflationes, palpitationes, & cæteri affectus ſimiles: interdum foràs, vacuanturque halitu vel inſenſili vel ſenſili, cũ ſudore. Si verò ſicca fuerant craſſa illa quæ tenuantur, aut etiam humida, ſed minùs exhalantia, tenuioris ſubſtantiæ euadunt. Sic ex auſteris acida iam tenuia, ex acidis dulcia tenuiora, ex dulcibus ſalſa tenuiora, ex ſalſis amara adhuc tenuiora: omnium poſt hęc ſi ſaporem caloris indicem ſpectes, tenuiſſima ſunt acria. Sic quæ veteraſcunt, à ſuo calore tenuata magis euadunt: ſic ex vino acetum, ex lacte coagulum, ex maza fermentum, calore externo corrumpente, tenuiora vt calidiora euadunt: & pſωricum in fine lib. 9. ſimpl. putrefactione 40. dierum ſub fimo fit tenuius: & vnguentum ex nucibus viridibus ſub terra putrefactis tribus menſibus, Heras apud Gal. lib. 1. cõp. ph. part. tenuius efficit. Sic cocta omnia & vſta euadũt tenuiora: ſic humores in nobis craſſos calorificis cauſis ſalubribus, vt labore, cibo, potu, medicamento calido, aëre calido tenuamus. Tametſi quædam frigida tenuibus partibus prædita, vt acetum, cortex nucum viridium Galeno in diacaryo, caphura recentioribus, & alia quędam vim quandam tenuandi à tota ſubſtantia etiam habeant, niſi malis in his frigidis ſubſtantiam quandã calidam eandemq; tenuem ineſſe. Sed craſſam aceti partem calidam, tenuem potiùs frigidam innuit Gal. lib. 1. ſimp.

2. Calidum deinde fundit & liquat à frigido concreta: pauco quidem, vt niuem, grãdinem, glaciem, pituitam in nobis crudam, adipem, reſinas, gummi, leuis calor fundit: multo autem & diuturno frigore concreta, vt ſuccinum, cryſtallum,

metalla

metalla multus calor: in metallis tamen magna maioris minorisque ratio verſatur. Nam plumbum & ſtannum citiſsimè, aurum & ferrum tardiſsimè, æs & argentum medio inter hæc tempore igni liquantur. Sic ſcirrhos à frigido concretos calidum fundendo velut ſub ſole emollit. *Cap. 6. Lib. 5. ſimp.*

Idem fundendo mollit prædicta omnia concretione à frigido dura, & noſtrum corpus: ob id motus leues pulmoni aut aliis partibus corporis, aut etiã toto corpori ante iuſtam exercitationem ad has partes præmolliendas imperantur, vt mollitæ, tenſioni per motus violẽtos vehementi citra noxam obediant: aliòqui enim non præmollitæ, citoque ac vehementer tenſæ rumperentur. *Lib. 2. ſanita. tuendæ.*

Idem fundendo & liquidiora ad motumque promptiora reddendo excrementa, obſtructa liberat, niſi præ copia aut lentore in via hæreant. Fluxiones etiam aut excitat, aut geminat: ob id æſtate catarrhi Aph. 21. lib. 3. & in diaria ab æſtu cap. vltimo lib. 1. feb. & hypochondriis, calorifica admoueri, & balneum in febribus non probè vacuato corpore, & viſcere aliquo imbecillo prohibet in fine lib. 11. methodi. Ob id etiam in magnis fluxionibus corpore multùm pleno purgationes veremur, ne purgantium medicamentorum (quæ omnia ſunt poteſtate calida) calore liquatum tenuatumque excrementum, largius in partem affluat, & in diaria à frigore cum catarrho vel coryza, interdicitur balneum ante horum coctionem. *Aph. 24. lib. 1. Li. 8. methodi. Aph. 14. lib. 5. li. 2. loc. affect.*

Idem fundendo ſemen, ac tumefaciendo venerem excitat, fundendo ſanguinem & meatus dilatando ſudores, vrinas, menſes, hæmorrhoidas ciet. Eadem ratione laxat tenſa & rigida concretione, & quia vacuat, laxat etiam tenſa plenitudine. Mobiles enim magis non ſpiritus ſolos, ſed reliquas quoque materias faciat calidum, hinc calido ſicco cerebro & ſpiritu animali natura aut temperamento acquiſititio, aut febribus homines ſunt vigiles, inſomnes, deliri, præcipites.

Eadem vi fotus ex aqua tepida neruis noxius lib. 6. methodi: quia eorum ſubſtantiam, vt aliarum partium neruoſarum à frigido concretam diſſoluit. Ventriculum item ratione eadem tepida euertit, vomitumque ciet, & vſu multo calidum facit neruorum incontinentiã, ſeu tremorem, & mentis torporem, & carnium effœminationem. *Aph. 16. lib. 5.*

Idem

Idem calor fuſa tenuataque ſi diutiùs exercet, digerendo aut aliter vacuando, tandem ſiccat: quod oſtendunt liquores, ſucci, gummi, & reſina omnis aut vetuſta, aut vſta. Eadem ratione medicamenta omnia purgantia, & cauſæ reliquæ calorificæ emaciant, tum quia vacuãt, tum quia calorem noſtrum vel augent vel intendunt: qui maiorem ſubſtantiæ noſtræ facit diſsipationem. Ob id bilioſi ſunt graciles, & quos calor emaciat, pallidos facit aut nigros: ſi verò corpus vtcunq; ſucculentum eſt, coloratos ſanguine & ſpiritu cum calore per corpus ſparſo.

Aph.6.lib.4. & li.8. meth.

Idem præproperè ſiccando vna eſt cauſa noſtri & ſenij & interitus acerbi, aut etiam naturalis, quando pauiatim lenta morte noſtrum conſumit humidum ſubſtantificum: ſed calidi effectum hoc per accidens non primo, pòſt dicetur.

3. Calidum rarefacit denſa, & poros ac meatus omnes, & capacitates, & ora ipſa tam vaſorum quàm aliarum cauitatum aperit, fiſtulat ſpiritu calido, & dilatat in prima formatione, & quoties corpus incaleſcit. Qua ex re fit, vt viris nempe calidioribus omnia hæc ſint maiora & latiora quàm fœminis: & quò viri aut fœminæ ſunt calidiores, eò ſunt meatibus capacioribus: quò minùs calent, aſtrictioribus. Hinc arteriarum latitudo cordis caliditatem, venarum, hepatis ſequitur. Hinc viam facturi calculo vel fœtui calorifica damus ſumenda, & apponimus. Hinc ſudores æſtiui quamplurimi & balnearum, & calida ſunt quæ vrinas, ſudores, & menſes mouent, & quæ digerunt per rarefacta corpora inter humorem vacuandum & medicamentum digerens conſtituta. Hæc quidem præſtat calor temperatus, aut non ita vehemens: Ardens verò ac igneus, vt à balneo feruente, cuti incidens eam claudit & denſat, quòd ille occurſu blando naturæ eſt iucundus, eamq; ad ſe ſuſcipiendum inuitat: cõtrà verò hic acrior, & naturæ grauis eſt, ob id ab eo fugiens intrò, poros contrahit, ne ſe hoſtilis ille calor ſequatur: quomodò tantùm per accidens denſat, vti calore multo ſiccatum, vt paulò antè dixi, etiã denſum redditur. Hinc clibanus calidior panem vndique adurit, intus non coquit, initio alimentorum, & ouum aquæ feruenti immiſſum vix duratur.

Galen. in arte medica.

Lib.3. ſanit. tuend. & lib. 7. meth.

4. Calidũ trahit & foras ſi admotum eſt, intrò ſi ſumptũ eſt euocat materiam à ſe tenuatam per meatus à ſe apertos.

Quapro

Quapropter admotum reſoluit ac digerit, ſumptum obſtructa reſerat, vacuat, purgat humorem omnem, ſed primum ſequi paratiorem, deinde alium: niſi etiam ſubſtantiæ totius ſimilitudine ac proprietate ſibi familiarē non calore ſolo trahat, qua ſola quædam etiam frigida trahunt ex corpore ſpicula. Dolores eadem ratione ſedat à materiæ qualitate vel quantitate factos, hac materia dolorifica per reſolutionē vacuata, ac proinde tumores diſsipat. Apophlegmatiſmis & errhinis eadem vi tractrice calidum eſt aptum, & quia concreta in cerebro, excrementa liquat. Sic ſuffitus aromatum muliebria ducit: ſic radix cyclamini, & alia non pauca vmbilico admota aluum ſubducunt: ventriculo autem ad vomitum trahunt. Sic trahendo calor immoderatior fluxionis vna eſt cauſa: ſic partes corporis omnes alimentum ſibi familiare trahunt, calore ſcilicet, ſed etiam ſubſtantiæ totius ſimilitudine. Sic ſuccinum attritu calfactum citius & potentius trahit paleam, papyrum, & alia leuia & minuta. Sic ſol, & alia corpora cœleſtia in mediam regionem aëris trahunt halitus, vapores, & alia quædam corpora. Sic partes noſtræ nimis tectæ ob calorem inde collectum immodicè replentur, & caput in æſtu cucurbitulæ ritu attrahit: vnde coryzæ, & catarrhi, & fomenta oculorum, & viſcerum partes replent. Quid quòd ſumpta calida non tantum trahunt, ſed etiam prorſus propellunt, vt quæ flatus diſsipant per ructus aut crepitus: quæ ſudores, vrinas, menſes, hæmorrhoidas promouent: quæ fœtus mortuos & ſecundas depellunt, quæ partes adiuuant. Id autem præſtant, quòd meatibus interclusa dum magno impetu ad dicta loca feruntur, vnà ſecum propellunt, aut ſi vis, rapiunt dictas prius materias: aut quomodò fortaſſe ignis in bellicarum machinarum meatu derepente excitatus puluere ignipotente, ac loco carens idoneo & capaci, aut fiſtulam æream frangit ac diſsipat, aut glandem metallicam longiſsimè iaculatur, ne corpora duo locum vnum occupent. Calore quoque cucurbitula corpori admota cum flamma multa, ſi magna eſt: pauca, ſi parua, è profundo potenter attrahit fuga vacui multum adiuuante, quando ſi aër vel ore parum probè commiſſo, vel exiguo foramine (quod attracti vaporis emiſſarium quædam magnæ habent) ingreditur, nihil aut minimum attrahunt. Et vitri fundum cucurbitu-

Lib.2.feb.cap.15.& lib.met.11.& 13.

Lib.11.meth. et Aph.33.li.6.

læ æmulum palmæ parum humectatæ paulatim & velut tra-nando, ſed firmiter affixum ſine flamma cucurbitulæ modo firmiter palmæ adhæret, & attrahit. Neque enim tam pauco tempore calor magnus à flammula excitatur: neq; calor alius multò maior tam validè attrahit quàm cucurbitula.

5 Calor natiuus coquit alimenta & humores coqui habiles, partiq; nutriendæ perfectè aſsimilat: impactos autem nec difflatos vertit in pus, aut puri reſpondentem ſubſtantiam, quæ in febrium coctarum vrinis apparet, niſi tam ſit praua, vt nullum à calore natiuo cultum recipere queat. Quò autem copioſior fuerit hic calor, eo valentius alimenta coquit: ob id pueri plurimo egent alimento, quia plurimum habent calidi innati, Aph.14. lib.1. Eadem ratione adoleſcentes & pueri præſertim viuidiores ieiunium non ferunt, Aph.eodem: & per hyemem pluribus alimentis opus eſt, quia ventres hyeme & vere natura calidiſsimi ſunt, Aph.13. lib.1. Idem calor lac ex ſanguine pituitoſo coquit, & ſemen ex ſanguine perficit, cap.16.lib.4.ſimplic.& cap.20.22.lib.5. ſimplic. Calor natiuus moderatus coquit quantum appetit: remiſsior autem plura appetit quàm poſsit coquere, niſi manus palma ventriculo admota, vel pueri carnoſi non facilè ſudantis venter, aut catellus pinguis, calorem illum foueat & augeat: at vehementior & acrior idem, & velut igneus ac febriculoſus coctu facilia, vt piſces ſaxatiles, corrumpit: coctu difficilia, vt bubulam, chondrum coquit. Idem calor natiuus ſi moderatus eſt, primum ac principaliſsimum eſt naturæ inſtrumentum ad generandum, augendum, nutriendum. Idem calor dulcorat: nam ſapor dulcis à calore fit moderato, vt in melle, chylo, ſanguine, fructibus apparet, & lacte, quod coquendo quantum ſibi de ſapore dulci deeſt, aſſequitur.

Lib.5.ſimpl. cap.5.& 8.

Cap.85.artis medi.

Cap 5.lib.5. ſimpl.

Lib.2.temp. et initio li.1. aliment.

Lib.4.c.10. ſimp.& lib. 2.fa.nat.

Lib.5.capit. 20.ſimpl.

6 Calor præter naturam & parti externus ac alienus corrumpit, vt victa partis natura à fluxione in magnis phlegmonis fit cancrena, aut etiam ſphacelos. Eius caloris externi cauſæ quinque docentur libro de cauſis morborum, & cap.4. lib.1.febrium. Hic corrumpit, minuit, emaciat, atrophiam inuehit, graueolentiam, ſubſtantiam alienam, odores, colores, ſapores in nobis præter naturam excitat, malorum nobis omnium & mortis eſt autor: vt natiuus ille per ſe etiam vitalis

talis eſt, ac quicquid in rebus ſubſiſtit, id augetur, roboratur, ſanum eſt, ac viuit dum proprio calore regitur. licet per accidens interitum tandem quoque afferat, ſumma ſcilicet in partibus ſiccitate excitata. *Lib. meth. 11.* Vterque tam natiuus ſcilicet quàm externus ſimul miſtus partim coquit, partim corrumpit olida putredine, vt in phlegmone ſuppurata, & febribus putridis ſalubribus, ſi æquè ambo pollent. Si verò inæqualiter, pro vincente calore fit alteratio, coctio quidem magis natiuo: putredo autem potius externo dominante. Idem vehementior tam internus quàm externus mordet, rodit, rubrificat, carnem deterit, vrit, eſcharam inducit, quod declarant herpetes exedentes, carbunculi, & cauſtica cuti & potius carni admota. His autem externis tam ſumptis quàm admotis, ſi ſubſtantiæ contrarietas cum noſtra acceſſerit, corpus noſtrum eo modo mutant, quo à corpore mutatur alimentum: ſunt enim deleteria nocentiſsima, præcipuè ſi ſumantur. *Lib. 3. temperament.*

7 Calidum internum & externum moderatum partibus natura frigidis, vt cerebro, ſpinali medullæ, oſsibus, dentibus eſt amicum vſu moderato, Aph. 18. lib. 5. non autem immoderato, Aph. 16. lib. 5. Nam pars omnis intemperata à ſimilibus ſuæ intemperaturæ cauſis promptè offenditur, iuuatur autem modico contrariorum vſu. *Cap. 23. artis medic.* Moderatum autem cuique intemperaturarum magnitudini ſuum eſt, vt ſi parum perfrigerata eſt, modicè calido opus eſt: ſi plurimum, ipſum elementum ignem requirit. Idem rebus ſplendorem inducit, oſtendit color viuidus adoleſcentium, ſanorum, potorum, iratorum, hilarium, & melancholia humor ob aduſtionem ſplendida, cùm humor melancholicus nigredinem habeat obſcuram, Aph. 21. lib. 4. vt ſanguis extincto calore natiuo nigricans. Externus autem calor nunc qui foris corpus tangit, intelligitur, interdum alienus ob vehementiam à noſtro & inſito, ſiue is ab aëre ſit ambiente, ſiue balneo, ſiue in corpore noſtro non tranſpirante, vel alia de cauſa excitatus ſæuiat.

8 Calor homogenea cogit, heterogenea ſeparat, paruus & parum diuturnus imperfectè, vehemens & diuturnus perfectè, vt Ariſt. cap. 4. lib. 4. Meteor. Quod an ſit propria & perfectiſsima caloris actio, vt frigoris, tam homogenea quàm heterogenea cogere, an potius caloris calfactio, frigoris refrigeratio, abundè docuimus noſtro commentario de tota qua-

 tuor

tuor elementorum natura.

9 Calor tam internus quàm externus per accidens refrigerat, vacuata ex corpore vel parte, materia calida. Ob id venus Hippocrati calfacit, humectat agitato corpore, & fuſis à calore humoribus, refrigerat ſiccat Galeno lib.3.ſanit.tuend. non modò ſemine calida & humida, & ſpiritu vitali plena, re excreta, ſed per cutim multo calore natiuo & ſpiritu cum humore & vapore excreto. Sudor item acceſsionibus ſuperueniens, aut febribus continuis & ardentibus, Aph.58.lib.4. Aut etiam ſolum exhalatio putrium ſuccorum aut vaporum per cutem inſenſilis, Gal.lib.8.9.methodi. Sic medicamenta quamuis poteſtate calida materiam febrium putrem vacuando refrigerāt, licet per ſe calfaciant: ſic phlegmone fotu miteſcit, quòd calore tepido tenuata ſanguinis eius parte, & per cutim ab eodem rarefactam vacuata tenſio minuatur, & aliquid calidæ materiæ foras trahatur, & ſanguis minus iam impactus, liberius tranſpiret. Sed ſi corpus eſt impurum, noua fluxione excitata dolor repetit vehementior, Aph.31.lib.6. Sic balneum aquæ dulcis fuliginoſa per cutem excrementa vacuans ſine febre, & in acceſsionum declinatione refrigerat, & laconicum calidum refrigerat, & ignis modicus refrigerat calfactos, quibus intus calida ſunt excrementa, & aër æſtiuus ſudantes, aut ſaltem vaporoſo halitu madidos refrigerat, & frictio mollis multa, & exercitatio, & cataplaſmata, linimenta, emplaſtra, & calida alia admota. Quæ omnia vacuantia ſi immodica ſint, etiam calore natiuo & noſtra triplici ſubſtantia calente multum vacuata, frigida & ſicca corpora noſtra relinquunt: vt mox audies, & prius leuiter attigimus.

10 Calor per accidens ſiccat reſoluta, & in vaporem verſa ſubſtantia vel excrementoſa, vt in dictis exemplis, vel etiam partis propria, ſi diu perſeueret fotus, balneum, aër calidus, præſertim ſi paulò valentior ſit calor: nam vehementiſsimus externus aduſta ſuperficie & denſata humidum intrò cogit, nec ſinit expirare, vt antè dictum eſt. Hinc animalibus omnibus, atque adeò plantis ipſis corruptelæ ac interitus eſt connata neceſsitas, immodicè videlicet ſiccatis à ſuo calore natiuo humidum ſubſtantificum depaſcente citius, ſi acrior & vehementior, & humiditas illa pauca, parum lenta & craſſa: tardius, ſi contraria adſint. Idem oſtendunt digerentia

Initio ſanit. tuend.

omnia,

omnia, exercitatio vehemens & diuturna: frictio multa non dura, febres ardentes & acutæ, venus immodica, intempeſtiua: hæc enim & ſudore, aut madore, & ſeminis vacuatione ſiccat: refrigerat, vt prius diximus, longa in ſole æſtiuo mora animalium, & rerũ aliarum humidarum. Siccat eadem ratione omnis immodica vacuatio, quacunque parte fiat, etiam ſi per accidẽs fiat, vt per inediam. Ob calorẽ etiam non ſolam ſiccitatẽ ſemen agni & rutæ, & quæ ſimiliter immodicè calent, virorũ genituram abſumunt: ſic & ignis ipſe res genitas non ſola ſiccitate per ſe, ſed etiam calore per accidens ſiccat.

11 Calor per accidens humectat fuſis his quæ à frigido concreuerunt: oſtendunt id catarrhi per febres ac ſolis æſtus, vti per frigus comprimens. Sic ſcirrhus concretione durus calorificis molleſcit & humeſcit, nix, grando, glacies, calore quouis humida & liquida fiunt, & butyrum, oleum, adeps, reſinæ, & quæ alia frigore concreuerunt, calore ſoluuntur. Sic venus calfacit & humectat Hippocrati, vt antè diximus, dum feruet ſcilicet ac exercetur, vti labore alio corpus ſudore madeſcit. Galeno autem refrigerat, ſiccat vacuata per virgam & poros calida & humida ſubſtantia. Sic panis durus modicè aſſatus tenereſcit, quòd humiditas aquoſa non modò à farina abſorpta ab igni extrahitur, ſed à frigido etiam concreta calore colliquatur.

1 Refrigerationem ſequuntur contraria. Nam frigus craſſat, & craſsiorem reddit ſubſtantiam, vt indicant ſapor acerbus & auſterus à frigido crudo in ſubſtantia craſſa & terrea: ſic terrea omnia ob frigiditatem ſunt ſubſtantiæ craſsioris: & quo frigiditas maior, & diuturnior adeſt, eo craſsiorem reddit materiam: quod oſtendunt lapides & metalla, pituita in nobis vitrea, humor melancholicus, oſſa & partes aliæ in nobis multum terrenæ fæcis habentes. Sic medicamenta & alimenta craſſæ eſſentiæ ægrè penetrantia, ſi liquida ſint, ægrè comminubilia, ſi ſicca ſint.

2 Frigidum gelat & glaciat, ac durum concretione facit, vt glaciem, niuem, grandinem, cryſtallum, ſuccinum, & gummi reliqua, ac reſinas, butyrum, adipem, ſanguinẽ extra vaſa præſertim (hinc à frigido liuores, Aph. 17. & 20. lib. 5.) pituitam, metalla, & cætera id genus. Sic ſcirrhum tam per ſe

Li.14.meth. natum ex affluxu aut congeſtione pituitæ, craſſæ aut humoris melancholici, quàm ſuccedentem phlegmonis, & eryſipelatibus immodicè refrigeratis coagulauit frigidum. Pigros facit ſpiritus, & tanquam congelat. Hinc ſenibus & moribundis ſenſus omnis & motus imbecillus & tardus, & actiones reliquæ animales, vt vitales, naturales, adiuuante tamen imbecillitatem hanc eorundem ſpirituum inopia. Ob id etiam frigus ſomnolentos facit, ſtupefacit ſpiritus à frigido congelatos, & ſpiraculis in neruoſa ſubſtantia contractis à frigido & denſatis, per quæ ſpiritui via erat ad partes ſentientes & motas: ſemen ſupprimit, & omnem hæmorrhagiam contractis etiam ab eodem meatibus, per quos & ſpiritus ferri & aliæ materiæ debent. Id oſtendunt frigore torpentes partes ac ſtupefactæ, aut narcoticorum contactu, animalia hyeme latentia mortuis ſimilia, hypnotica ſumpta, & fronti ac temporibus admota, noctes hybernæ ſomnificæ, *Libr.2.loc. affect.* Aph.15.lib.1. Vſus frequens caſei mollis, & lactucæ, & cæterorũ ſomnificorũ, quæ etiã ſemen gigni prohibent, & genitũ ſuppriment. Quod lamina plumbi lumbis admota etiã præſtat, & radix nympheæ, & alia omnia frigida. Pituita itẽ multa toto in corpore præſertim capite redundans, quo largior & frigidior, eò ſomnolentos magis & propè ſtupidos reddit. *Cap.22.* *Lib.5.ſimpl.*

Frigus etiam glaciando impinguat: nam à frigiditate partium neruoſarum ex aërea ſanguinis ſubſtantia per vaſorum tunicas exudante & exhalante fit adeps. Oſtendunt mulieres & caſtrata animalia ob frigus obeſiora. Tenſa & rigida durat & glaciat, maximè ſi erant humida, vt linea madefacta, & funes nautici ſub gelu hyberno declarant. Quid quòd vaſa ſamia, aſciæ, dolabræ, & alia id genus ferramenta in gelu mox rumpuntur: illa ſi liquorem habent, hæc ſi ligno adigas non prǫcalfacta. Hinc à frigido diſtẽtiones & conuulſiones, Aph. 17. & 20. lib. 5. *Lib.2.temp.*

3 Frigidum denſat poros cutis & meatus omnes corporis internos, tam occultos quàm manifeſtos: ob id calfacti, ſi derepentè refrigerentur ſiue potu largo frigidæ internis poris, ſiue relictis veſtibus, aut aliis calorificis, externis denſatis, omnino febricitant: ob id febricitantibus noxius eſt aëris frigidi ad cutim occurſus, & frigidæ potus, niſi dictæ ibi conditiones adſint. Mulieres item & ſpadones, quia viris *Lib.9.meth.*

frigid

frigidiores, meatibus his omnibus ſunt anguſtioribus. Adhæc hyberni aëris, & aliorum frigidorum contactu pori nobis contrahuntur: & venarum anguſtia, hepar: arteriarum, & ſæpe thoracis, cor frigidius declarant.

4 Frigidum repellit & intrò protrudit admotum: foras, ſumptum: ob id fluentibus materiis opponitur. In ventriculum enim fluente ſanguine refrigerantia & aſtringentia damus, ſed minus, quàm ſi ſanguinis in eo coagulationem non timeremus. Idem frigidum admotum, aut foris incidens ex alto, tum contrahendo meatum, tum materiam velut glaciando, & ſanguinis feruorem extinguendo fluxiones ſiſtit. Hinc ferrum, ebur, frigida alia contuſionibus recentibus applicamus, affluxurum ſanguinem repulſuri: & eadem interſcapulio è regione magnorum vaſorum, vertici, fronti, naribus applicamus fluente per eas ſanguine immoderatius. Sic in artus fluxiones incipientes regerimus: ſi *Aph.23.lib.5.* verò in partem penitiorem fluat materia, vt iſchion, tunicam coſtas ſuccingentem: aut ſi à parte principe fluat materia, vt in parotidibus à cerebro tranſmittente: aut ſi venenoſa, peſtilens, craſsior, impactior ſit materia, nec frigida nec aſtringentia adhibemus, ſed digerentia magis, minus pro variis indicationibus hanc in rem neceſſariis: fluxionem verò in hepar, ventriculum, lienem etiam admotis repellimus, in thoracem & pulmonem ſumptis, libro 11. methodi. Frigidum eadem ratione catarrhos excitat compreſſo cerebro, & contenta in eo materia ad partes ſubiectas compulſa: flante etiam Aquilone frigido & ſicco vento, alui duræ Hippocrati Aphoriſ. 5. libr. 3. Quòd autem vulgus veſpere nudis pedibus ſuper frigidam aream aliquantiſper ambulando aluum ſibi concitat, ſed etiam colicos dolores vehementiſsimos, vt in duobus vidi hoc menſe Maio: id accidit à frigido reſoluta vi retentrice ventriculi, ac inteſtinorum. Facilè enim penetrabile frigus, vt calidum, per continentes ſibi partes permeat, vt etiam cerebrum tandem attingat. Quod indicat torpor per calamum trementem, & lineam à torpedine piſce ad piſcatoris manus tranſiens, vt in libro loc. aff. docet Galenus. Eadem vi ſuccos bilioſos ventriculo innatantes abſinthium, aloë, rha barbarum, tamar Indi, prima ſubacerba deorſum pellunt, quos tria prima etiam clementer

Cap. vltimo Lib. 1. feb. & lib. 8. meth.

ex partibus vicinis attrahunt. Qui autem partibus affixi ſunt humores, aſtringenti ſua qualitate prædicta omnia tenacius affigunt, niſi amaro ſapore anteuertant tergere, vt lib. 11. method. de abſinthio: ſed vuæ paſſæ, præſertim noſtrates, acidæ magis, clibano ſiccatæ, bacculæ oxyacanthes, & ſimilia pituitam multam in os alliciũt ex cerebro, quòd partes oris ab his ſugentibus, ſiccantibus, contrahentibus inanitæ attrahunt, iuuante in id ſitu partis permittentis ſublimi & liquidioris pituitæ prompto ad inferiora decubitu.

5 Frigidum coctioni tum alimentorum tum humorum in tumoribus tam cum febribus quàm ſine febribus, & in venis, ac totius corporis habitu aduerſatur & reſiſtit. Nam vlcera & tumores omnes reddit inſuppurabiles, Aph. 20. libro 5.

Hinc frigidorum ventriculorum coctio tardiſsima, ſed appetentia plurima. Hinc etiam hydrops omnis fruſtrata & abolita ſanguificatione, hepatis actione, refrigerati per ſe aut conſenſu aliarum partium. Frigidum etiam rem coqui cœptam, vt ſic dicam, recrudat: ob id leguminibus coqui cœptis affuſa, deinde frigida percoqui prohibet. Eadem ratione aqua puteana coqui promptè nequeunt legumina, niſi hæc antè cocta ſit: nam ob craſsitiem glaciatam intrò permeare ad coquendum non poteſt, vti calore aliquo iam tenuata: qualis eſt fluuialis, pręſertim ſi longiuſculè abſit à fontibus, hique orientem potius quàm ſeptentrionem ſpectent. Sic fructus omnes ac ſemina autumni frigus intempeſtiuum & immoderatius percoqui prohibet. Quod verò frigori tribuimus, idem calori imbecillo (quem ferè frigus vocamus) tribuẽdum eſt plantarum & animalium interno, atque etiam externo.

6 Frigidum eſt inimicum cerebro, ſpinali medullæ, neruis, atque adeò neruoſis omnibus, & natura frigidis partibus, quibus calidum eſt amicum, Aph. 18. libro. 5. Nam pars omnis intemperata, ſed adhuc intra fines ſanitatis, à ſimilibus ſuæ intemperaturæ cauſis promptè offenditur, tranſitque in morboſam intemperiem. Modico autem contrariorum vſu ad mediocritatem tranſmutatur. Frigidum eadem ratione calidis partibus amicum oſtendit inſpiratio: & ſi febris eſt, aut citra febrem intemperies cordis calida, quo calor eſt maior, eo frigidiorem aërem expetit: ſic & arteriarũ diaſtole,

ſtole, expiratio quoque & ſyſtole dictas partes refrigerant, quanquam per accidens vacuantes calida & fuliginoſa excrementa, ſi tamen frigidior aër, nec antè fractus gargareone, & aliis oris partibus in cor trahitur, lædit, vt docet Gal. in vſu gargareonis. Item in vulneribus thoracis aut capitis penetrantibus chirurgiam exercere oportet in aëre calido.

Sic frigidum, qualis eſt nix, glacies, thoraci nocet, tuſſes mouet, à quarum violentia ruptis vaſis, ſcreatum ſanguinis excitat: cui niſi citò & tutò proſpiciatur, phthiſis, & hectica, & mors tandem ſuperuenit. Cerebro item per refrigerantia compreſſo, deſtillationes, vt paulò antè dixi, fiũt, Aph. 24. lib. 5. & ipſum à ſudore, pluuia, vel alio refrigeratum nec recalfactum, largam gignit pituitam, tum ex ſuo alimento, tum ex ſuſceptis à corpore toto vaporibus, quos craſſando promptè, affatim vertit in aquam: vt noſtra capitella terrea, plumbea, vel alia materia, ſi linteo aqua frigida merſo circundentur, largiorem aquam per capitellæ naſum mox profundũt. Mulieres refrigerato capite ab oleo Heræ ex nucibus viridibus facto in raucitatem, grauedinem, deſtillationem inciderunt, lib. 1. comp. ph. part. Multæ puellæ abluto ſæpe per lixiuium capillo, vt flaueſcat, nec ſiccato, in morbos à capite frigidos & graues ſæpe incidunt: præſertim quibus id erat frigidius vel natura, vel poſt natiuitatem.

7 Frigidum præter naturam & vehementius, tam internum quàm externum corrumpit, & enecat non animalia modo, ſed plantas quoque permultas, & (quod ſemel vidimus miſerabili hominum calamitate) inter ipſas triticum ipſum. Vites enim frequenter penetrabile frigus adurit, ſic vt quædam moriantur. Hinc multi iter agendo per niuoſa loca mortui riguerunt, & quibuſdam partes mortuæ deciderunt, extincto in his calore natiuo à frigore valentiore. Sic cor aut cerebrum frigere, mors eſt, vt paulò antè dicebamus. Cor enim caloris natiui fontem ſemper feruere oportet, cerebrum frigere nunquam oportet, vt lib. de vſu pulſuum & partium. Ob id Hippocrati lib. 1. prognoſticorum expiratio per morbos acutos frigida maximè eſt lethalis: minus lethale eſt in eiſdem morbis extremas partes frigere: magis genitalia, & nares, & aures, & partes alias capitis, quòd genitalia etiam inter principes partes referat Galenus cap. 9. artis me-

dicæ:hæ autem frigidum cerebrum declarant. Sic interna fri giditas eodem calore vel extincto (vt Aph.21.lib.5.) vel foras expulſo (vt cap.5.lib.4.meteororum Ariſt.) corrumpit.

Idem frigidum denigrat & obſcurat. Indicat ſanguis refrigeratus in parte aliqua per ecchymomata, aut aliter effuſus, vel extra corpus aperto vaſe emiſſus: oſtendit idem ſanguis melancholicus. Mortuis quoque, timidis, triſtibus, vigilibus, longo carcere clauſis, decolorationem quandam & pal lorem inducit, coloremq́; plumbeum, vt initio lib.12.meth.

Aph.21.lib.5. & lib.3.temp. Aph.15. & 18. lib.1. Lib.9.method.

Frigidum per accidens calefacit, carnoſum enim æſtate media, in meridie affuſa frigida calefacit calore primùm intrò compulſo, deinde eiuſdem intus aucti ad cutim reuocatione. Quæ reuocatio ſi non fiat, ſed paulatim calorem intus colligat, coctionem iuuat: ob id ventres hyeme & vere natura calidiſsimi: ſi verò imbecillus eſt calor, eum extinguit. Ob id cuti febricitantium occurrens frigus eamq́; denſans, calore febrili tranſpirare prohibito, & inde intus aucto febres auget. Hinc diariæ, & interdum putridæ à cute per frigus denſata, & prohibitis ob id excrementis difflari, vt in febribus, & 8. & 9. methodi abundè docet Gal.

Frigidum etiam ſiccat non ex prima facultate, ſed per accidens, humectante materia quæ fluit, & quadantenus quæ fluxit in vicinas partes per frigus admotum expulſa. ſiccat quoque per accidens, dum calorem expellit, quòd is multam ſimul humiditatem ſibi pabulum educit, Galenus libro 5. ſimpl.cap.4.& Ariſt.cap.5.lib.4. meteororum: & Gal.lib.1. comp.ph.gener.

Cap.4. libr.5. ſimpl.

Frigidum per accidens humectat, compreſſam à ſe humiditatem in vicinas partes regerens: eandem à cerebro in partes ſubiectas deprimens, ac in corpore denſato humiditatem intus multã concludens. Quo fit, vt nobis hyeme interna non modo calidiora ſint, ſed etiã humidiora ab aëris nos ambien tis frigus, effluuium noſtræ ſubſtantiæ largius prohibens.

Frigidum etiam per accidens nos humectat, non conſumpta ab eo humiditate ſuperflua aut etiam naturali. Quæ res quoſdam impulit, vt negarent temperamentum frigidum ſimul & ſiccum poſſe conſiſtere: quod tamen reuera aliquandiu conſiſtit, ſemper non conſiſtit, vt libro primo temp. docet Galenus.

Has

Has calidi & frigidi actiones ferè auget eſſentiæ tenuitas, moratur craſsities: vtrũq; enim cum tenui eſſentia promptius in profundum ſubit, citius mordet ac vlcerat, in minima friatur, niſi lentor aut durities iuncta repugnet, cùm craſſa contra: hinc cauſtica craſſæ eſſentiæ ſunt dolorifica magis.

Horum effectuum calidi & frigidi ſingulorũ teſtimonia adſcribere potui, ſed non viſum eſt, quòd illa nimis multa eſſent, & quòd ſint teſtibus fidẽ faciẽtibus, etiã puero perſpicua. Ex problematis omnibus, & libris Hippocratis & Galeni proferre non fuerit difficile: cùm in has qualitates primas & reliquas duas omnium propè effectorum cauſæ reducantur vel primo vel ſecundo & aliarum qualitatum interuentu.

Siccitas & humiditas magis materiales ſunt qualitates, minusq; efficaces, ob id earum actiones minus latè patẽt, quàm calidi frigidi: tamen ocioſæ non ſunt, ſed aliquid etiam agunt (vt in quatuor elementorum actionibus primariis & ſecundis probauimus) & actiones aliæ quædam primas has ſiccationem ſcilicet & humectationem ſequuntur. *Lib.7.meth.*

Siccatio enim durat: quandoquidẽ omne ſiccum ſi modicè calens ſiccum permanet, durum eſt. Id oſtendit lutum æſtiuo ſole duratum, lateres etiam igne ſiccati. Oſſa item, cartilagines, ligamenta, & reliquæ corporis noſtri partes ſolidæ, id eſt, craſſæ & duræ, & animalium cæterorum, atq; adeò plantarum omnium: maioris tamen & minoris ratione in ſingulis horum generibus latiſsimè fuſa: ac etiã in vno alicuius corpore, in quo ſunt oſſa ſicciſsima, ob id duriſsima, & quo ſicciora ſunt, eo etiam ſunt duriora caro & adeps & nerui ſenſifici minimum ſicca & dura: in medio horum reliqua eſt latitudo magis & minus ſiccarum partium. Omnes verò tandẽ adeò ſiccãtur, vt rigidæ ac inflexiles duræq; fiant à calore noſtro humidũ depaſcente, & à ſiccitate in nobis ignea, ſed multo largiore terrea. Vnde ſanitatis tuendæ ſcopus eſt non mediocris, ſiccitatem illam præproperã frangere, ac ne tam citò fiat prohibere humectante victu. Idem oſtendit conuulſio ex inanitione omnis ſeu ſiccitate, qualis plurima & periculoſiſſima morbis acutis ſuperuenit. Item lapides, metalla, terrea denique omnia ob id dura, quòd ſint ſicca, & quanto duriora, tanto ſicciora, & contra: dum vt dixi, modice calentia talem retineant duritiem, cùm terra ipſa elementum ſi vſquam inueniat *Lib.2.temperament.* *Li.1. prognoſt. Hippo. Gal. in lib. de nat. hu.*

ueniatur, ſit adamante durior ob ſiccitatem ſummam.

Cap.4.lib.5. ſimp. Siccum autem quia bifariam ſiccat, duobus etiam modis durat. Primo, humorē in poris & ſpatiis contentum ebibendo. Deinde alterando & ſicciorem reddendo partium eſſentiam, conſumendo ſcilicet ipſarum humiditatem. Poſsis alias ſiccationes duas addere dictas lib.7.methodi, ſed remotiores ſunt, & quæ poſsint ſub harum priore cōtineri. *Ibidem.* Quod autem ſiccans ſecundo loco diximus, id eſt, quod etiam propriè durum efficit. *Lib.1.c.ph.g.* Nam durum repletione eſt renitens: durum concretione eſt congelatum & coagulatū. Siccantia enim propriè & primariò nominantur, quę digerunt, & temperamentum ad ſicciorem ſtatum perducunt, qualia ſunt omnia vacuantia præſertim inſigniter, ſiue per ſe vacuent, ac noſtram ſubſtantiam diſsipent, vt medicamēta purgantia, hæmorrhagiæ omnes tam ſpontinæ quàm medicæ, vrinæ largiores, vt in diabete: ſudor profuſior, vt in cardiaca affectione: ſemen largius, in venere: ſiue per accidens, vt inedia, aut victus tenuior, & quę calorem acriorem reddunt, vt labores immodici, vſus acrium, ſalſorum, & reliquorum immodicè calidorum. Adde omnes animi affectus, aërem calidum, ſiccum, & cætera, quæ corpus per ſe aut per accidens quouis modo vacuant.

Humectationem ſequitur mollitio. Omnia enim humida ſunt mollia, ſi cum calore tantum modico humida perſeuerent. *Lib.11.ſimp.* Ob id ſanguis, pituita, & reliqui humores, quia liquidi conſiſtentia ſunt (licet horum quidam ſiccent) etiam molles ſunt, & adeps mollis, magis quidē humidiorum animalium, qui propriè pinguedo dicitur: minùs verò mollis & craſsior terroſiorum, qui propriè adeps vocatur. Caro item mollis eunuchorum, puerorum, mulierum, vtpote humidiorum: duriuſcula, foſſorum, nautarum, agricolarum. Sic lutum & terra imbre irrigata molleſcit, rubigo ferramentorum, oleo: rubigo dentium, aqua diacalciteos: adamas & calculus in nobis, ſanguine hirci calido: vnio & teſta oui, aceto: ebur zytho vel oxycrato, id eſt, poſca mollitū fit tractabile: metalla quoq; ſingula ſuum habent emolliendi genus, quod tractabilia magis ea ſine igne reddat: quanquam ea etiam tum humida verè non ſint.

Humectatio & ab ea mollitio fit vel penitiſsimè in totam

partem

partem noſtram, idque per ſolam nutritionem, vel ſuperficie tenus & per ſpatia rerum humectatarum inania, non autem per totum, qualis ea quæ fit à balneo vel fotu aquæ dulcis, vel olei maturi. Hæc enim ſpatia quidem inania humore ſuo replent, & madorem quẽdam ſolidis partibus addunt: earum autem ſubſtantiam totam non reddunt humidiorem, ſeu humidum earum ſubſtantificũ non verè inſtaurant. Quanquàm eſt credibile, tenuiore eius madoris parte humidum ipſum quadantenus recreari. Vera autem partium humectatio per ſolam fit nutritionem, hoc eſt, vacuatæ triplicis noſtræ ſubſtantiæ repletionem, lib. 4. ſimpl. cap. 9.

Harum autem facultatum quaſdam ratione prima & ſola inuenimus, alias ſenſu interdum vnico: eſt quando etiã duobus & tribus & quatuor. Neque enim calcem & niuem, quòd candida ſint, roſam quòd rubra, vt calidam aut frigidam dicas, ſufficit: ſed tactus viſui additus calcem calore cauſticam, niuem frigore glaciantem inuenit, & nobis id firmiter perſuadet: ac inde ſaporem aliũ eſſe ſalſum, alium acrem, alium amarum, aut dulcem guſtatus iudicat, vt calidum frigidum humidum ſiccum tactus. Multorum item probationem ex odore molimur, & facultatis eorum robur ex vehementi exhalatione deprehendimus, vt virtutis imbecillitatem ex odore remiſſo. Propterea quæ in odoratorum genere ſunt odoratiſsima, illa in eodem præſtantiſsima putantur, vt pòſt audies. Alia calidi, frigidi, humidi, ſicci ſignificata, & ſingulorum exempla non protuli fuga ſermonis prolixioris. *Gal. in theriaca ad Piſonẽ.*

Coniugatas inuicem actiones primas calfactionem aut refrigerationem cum humectatione vel ſiccatiõe, quæ ſequantur ſecundæ vel tertiæ actiones, ex prædictis ſimplicibus colligere non erit difficile. Sunt autem facultates & actiões tertiæ, quæ vlteriùs procedendo propè particulatim appellantur: vt ſarcotica, colletica, epulotica, vretica, vomitoria, eccoprotica, errhinos, apophlegmatica, menſes ciendi aut ſiſtendi facultas, ſeminis generatrix, extinctrix, prouocandi, reprimendi. Quales magna ex parte primas ſimul & ſecundas ſequuntur: vt ſarcoticum ſiccum ad primum gradum: detergens, colleticum ſiccans & aſtringens: epuloticum ſiccans, ad ſecundum gradum valenter aſtringens. *Lib. 3. method.*

Eſt

Eſt quando in neutram poſsis apertè reiicere hãc tertiam: vomitorium enim eſt hoc, illud vt bulbus vomitorius, nux vomica, agaricus, elleborus albus, non ob aliquam qualitatem primam vel ſecundam, ſed quia vel ſubſtantiæ ſuæ raritate innatant, vel ſtomacho ſua ſubſtantia ſunt contraria.

Sed quæ ex ſecundis deſiderari poſſunt, & quæ ad tertias pertinent tum facultates tum actiones, ſic accipe ex libro 5. ſimpl. Gale. quorum exempla ex libris ſimplicium ſequentibus collocupletare poſsis.

Tenuantia ſunt calida, tenuium partium, vt cinnamomũ, piper, zingiber, caſia, ariſtolochia.

Plato in Timæo, & lib. 1. vſus part. Cap. 3. lib. 5. ſimpl.

Craſſantia frigida, craſſarum partium, vt malicorium, balauſtium, galla.

Durum eſt, cui caro noſtra temperata cedit.

Molle, quod cedit carni eidem, id eſt, cuti.

Corpus durum molle:
- Abſolutè ſeu in ſummo, terra dura, aër, & aqua mollis.
- In victoria ſeu exceſſu, os durum, caro mollis.
- In collatione ad ſymmetrũ, vel quoduis obuium, vel ſeipſum dum habebat ſecundũ naturam, id eſt, durius mollius: quo ſignificato hîc audiendum eſt.

Corpus durũ, id eſt ſeipſo dum ſanum erat, durius	Siccitate, qđ propriè ſiccum dicitur, à	Valido & longo motu, ſolis æſtu, medicamẽtis ſiccãtibus, ſumptis vel admotis, inedia per accidens ſiccante, febre ardente aut longa, affectibus animi, vigilia, etc. cauſis ſiccantibus.	Humectatione	Fit molle.
	Cõcretione, quod ꝓpriè durũ dicitur, à	Vehementer frigido humore in partẽ affluẽte, vel in ea ob frigidã intẽperiẽ nato, vel à frigidis admotis in ea congelato.	Calfactione	
	Repletiõe, qđ propriè renitens dicitur, à	Largi & ſupflui humoris aut vaporis in partem aliquam affluxu	Vacuatiõe per frigida, calida, ſicca	

Tenſio

Tēſio articu li vel alteri⁹ { Siccati pluſculum, humectatione
Refrigerati immodicè, calfactione
Inflammati, vacuatione humoris
Scirrhum patientis, emollientium vt œſypi vſu } Laxatur.

Cutis etiam tenditur à ſubiectis ei muſculis tumentibus, vel à carnis copia. Partes etiã aliæ tenduntur repletione quauis, laxantur à cauſis contrariis. Articuli verò ferè laxantur humectatis ipſos ambientibus ligamentis & tendonibus. *Cap.10.*

Rarefaciens eſt, quod poros cutis dilatat, calidum modicè, ſiccum minimum, tenuium partium: vt chamæmelum, althæa, oleum vetus, chamæmelinum, ricininum. *Cap.13.*

Denſans huic contrarium, poros contrahit, frigidum aqueum non terreum, non aëreum, non aſtringens: vt aqua frigida, ſemperuiuum, portulaca, tribulus viridis, lens paluſtris.

Anaſtomoticum, id eſt, ora venarum & arteriarum aperiens, eſt calidum, acre, mordax, craſſarum partium, & terrenum: vt cyclaminus, allium, porrum, cæpa, fel taurinum. *Cap.23.*

Stenoticum, id eſt, eadem ora conſtipans & contrahens, eſt frigidum, aſtringens, craſſarum partium, non acre: vt bolus Armenia, & terrenorum corporum magna portio.

Attrahens, ſuccos ex alto vehementiùs euocat, calidum, tenuium partium: vt dictamnus, thapſia, ſagapenum, fermentum, fimus columborum & anſerum, fæx vini vſta, calx viua, ſandaracha, quæ etiam incidunt, digerunt, rodunt: attrahens ſimilitudine totius ſubſtantiæ medicamentum purgans & alexiterium pòſt dicetur. *Cap.16.*

Repercutiens, ſuccos occurrentes in altum repellit, frigidum eſt, craſſarum partium: quod ſi etiam aſtringit, multò magis repellit, vt acerba, auſtera.

Modicè repellunt roſarum folia, flores, ſuccus, ericæ fructus, palmulæ, capreoli vitis, germina & folia rubi, canirubi, aſpalathi, cyperus, malobathri folium, radix ſpicæ nardi, crocus, lycium, hypociſthis: magis acacia, omphacium: maximè malicorium, balauſtium, galla omphacitis, rhus vterque, fructus myricæ, ſpina Aegyptia. Succus tamen ex nucum vigentium corticibus expreſſus maximè aſtringẽs, tenuiſsimæ eſſe ſubſtantiæ oſtenditur, quòd lanarum ſubſtantiam totam & manus contractantium penitus tingat & contumaciſsimè, ita *Initio lib.4. c.ph.p.& lib.6.* *Lib.6.c.ph.p.*

vt ge

vt generoſiſsimis abſterſionibus elui nequeat. Aſtrictionem enim ſubſtantię tenuitas iuuat maximè, quòd aſtringentia ob ſubſtantiæ craſsitiem in altū corpus penetrare non poſſunt, & denſata aſtrictaque ab his ſuperficie corporis cui admouentur, viam ſibi ad interiora præcludūt, ob id partes inflammatas minùs iuuant.

Cap.10. Emplaſticum, id eſt, illinens, quòd poris corporis illitum tenaciter hæret, eſt glutinoſum, terrenum non acre, vt butyrum, adipes, oleum, reſinæ, gummi: ſic aloë, bolus Armenia, gypſum, farinæ addito liquore emplaſtica euadunt. Eadem ſunt emphractica, id eſt, obſtruentia poros ſuo lentore, quos tamen aloë ſumpta amarore terget & aperit.

Cap.11. Eccatharticum, id eſt, poros omnes expurgans, eſt acre, partium per aduſtionem tenuium, nō glutinoſum, vt nitrum, aphronitrum, abrotanum, orobus, lupini amari, amygdalæ amaræ, & cætera nitroſa & amara, etiam ſi parum aſtringant, vt abſinthium: ſed hæc & ſimilia poros cutis non purgant, internos latiores purgant.

Hæc eadem ſunt ecphractica, id eſt, obſtructionem tollentia pororum, tum internorum, vt hepatis, lienis, venarū: tum cutis. Præter ea (vt nuper dixi) quę etiam aſtringunt. Hæc etiam ſunt rhyptica generatim dicta.

Rhyptica ſpeciatim ſordem à cute & vlceribus tantùm tergent, non etiam obſtructa liberant, quia ſunt amaris imbecilliora, ſalſa ſcilicet & dulcia: vt ſal, mel, hordeum, faba, amygdala dulcia.

His contraria ſunt emphractica, id eſt, obſtruentia multitudine, craſsitie, lentore. Dulcia quoque hepar & lienem promptè obſtruunt, quia ceu iucunda citò ab his rapiuntur ante coctionem.

Lib.1.c.ph.p. Tergentia etiam pilos tenuant, vt nitrum vſtum, nitri ſpuma, fictiles teſtæ, pumex, buccinorum & purpurarum & cæterorum oſtreorum teſtæ vſtæ, tritæ, tenui cribro cretæ: ſic oſſa ſepiæ etiam non vſta, alcyonium, ſtruthij, bryoniæ, dracontij, ariſtolochiæ radix, veratra, furfur, beta, lixiuium.

Initio lib.7. c.ph.par. Lib.2.c.ph.g. Tergent modicè, farina fabarum, hordei, ciceris, ſemen lini torrefactum: magis terebinthina, thus, mel deſpumatum, amygdalæ amaræ: valentiùs erui farina, ſemen hormini, radix ireos, & panacis. Valenter tergentia omnino etiam digerunt,

runt, ob id valde ſiccant.

Anodynum, id eſt ſedans dolorem, vacuata doloris cauſa, calidum primo gradu, tenuium partium: vt chamæmelum, panis calidus, lac, adeps anſeris, gallinæ, ſuillus, 1. lib. pharm. g. Narcoticum autem frigidum, craſſum, vt opium, mandragora, papauer, hyoſcyamus nomine tantum abuſiuè anodynum dicitur, quia tactum ſtupefacit, ſine quo non eſt dolor. *Cap. 18. lib. 5. ſimpl.*

Odyneron verò, id eſt dolorificum, quicquid affatim alterat, aut continuum ſoluit.

Suppurantia in pus vertunt humorem tumefacientem & carnem contuſam: ſunt calida quantum pars ſuppuranda, ita vt eſſentiam caloris augeant, qualitatem non intendant, nec obtundant. Sunt & humida, ſic tamen vt nec augeant, nec minuant humiditatem partis naturalem, quod ſaltem ſit manifeſtum & ſentiri queat, ſed aliquid excrementi in ſpaciis vacuis contenti per halitum digerant. Sunt denique emplaſtica, poriſq; obſtructis eſſentiam caloris augent: vt hydrelæum, panis cum oleo, pix, adipes, medullæ, gummi, radix altheæ. Agunt igitur caloris quantitate: emollientia autem caloris qualitate: ſunt enim calidiora nobis, & humiditatem excrementitiam, & naturalem partium humorem modicè deſiccant, phlegmonas & alias diſpoſitiones coquit myrrha, crocus, caſtorium, thus, fœnigræci cocti ſuccus, quæ & digerunt, præſertim myrrha. *Cap. 2. 5. 6. 7. 8. lib. 5. ſimpl.*

Eſcharoticum, id eſt cruſtificum, ignis modo & cauterii corpus colliquat, & ſæpe eſcharam facit, eſt calidum ſiccum quarto gradu, craſſæ eſſentiæ, dolorificum: vt calx viua, fæx vini vſta: quamuis enim vrendo tenuiora ſeipſis euaſerint, craſſa tamen adhuc ſunt eſſentia. *Cap. 14. In fine lib. 5.*

Septicum, id eſt putrefaciens, etiam cauſticum & vrens, ſed parum vehementer, eſt calidum ſiccum minus, eſſentiæ tamen tenuioris, exiguo morſu, & dolore aut nullo: vt arſenicum, ſandaracha, chryſocolla, aconitum. *Cap. 14. lib. 5. ſimpl.*

Cathæreticum, id eſt ſuperficiem ſolam detrahens, & hyperſarcoſin abſumens, vnde & ſarcophagon quoque dicitur, eſt calidum ſiccum minus quàm ſepticum: vt flos Aſiæ petræ, æris ſquamma, æs vſtum non lotum. *Ibidem.*

Sarcoticum, id eſt carnem gignens in vlcere cauo, eſt ſiccum ad primum gradum, detergens modicè & ſine morſu, *Cap. 15. lib. 5. ſimpl. & lib. 3. meth.*

non aſtringens: vt hordei farina, thus, & quæ plurima lib. 3. methodi deſcribuntur.

Ibidem. Colleticum, id eſt glutinans carnem in vlcere, eſt ſiccius ſarcotico, aſtringit, non terget: vt omnia acerba & auſtera.

Ibidem. Epuloticum vel ſynuloticum, id eſt cicatricem vlceri inducens, ſiccat & aſtringit magis quàm colleticum, non terget, vt æs vſtum in dura carne: in molli autē lotum, malicorium ſiccum largius inſperſum, & puluis tenuiſsimus cathæreticorum paucus, vlceri inſperſus cuſpide ſpecilli.

Cap. 21. Vreticum ſeu diureticum, id eſt vrinas mouens, mediocres quidem eccatharticum, plurimas verò acrius, calidius, ſiccius medicamentum: vt ſemen apii, petroſelini, fœniculi, dauci, & quæ lac augent, ac menſes cient.

Cap. 20. & 22. Lac gignunt ex ſanguine
- Pauco, victus calidus, humidus, plenior.
- Pituitoſo, calida primo vel ſecundo gradu, nō ſiccātia, vt eruca, anethū, fœnicul⁹, virētia.
- Bilioſo, purgātia bilē, vict⁹ calidus, humidus.

Menſes mouentia calida ſunt magis, quàm lac gignentia, & ſicca modicè: vt ſabina, calaminthe, pulegium, daucus, & alia permulta: quorū catalogus exprimetur in ſyrupo arthemiſiæ.

Semen gignentia & prouocantia calida flatuoſa, bene nutrientia, vt bulbi, fabæ, ſcincus, ſatyrion, eruca.

Semen extinguentia & corrumpentia, refrigerantia, deſiccantia, totis ſubſtantiis contraria: vt nymphæa. Sic ruta, agnus, ſuo calore ſeminis ſubſtantiam conſumunt.

Semen ſupprimunt frigida alimēta, & medicamenta ſumpta & admota: vt lactuca, blitum, atriplex, cucurbita: quæ ipſum cogunt, incraſſant, ſtabile reddunt.

Cap. 19. lib. 5. & 23. 24. & ſequētibus lib. 3. ſimpl. Cathartica, id eſt purgatoria, vel communiter quæ excrementa quouis modo vacuant (vt bechica, errhina, apophlegmatiſmata, vretica, menſes mouentia) vel per excellentiam, quæ vomitu aut ventris deiectione humorē ſibi familiarem trahunt, non ſolo calore ſed qualitatū quæ in ſubſtantiis ſunt, proprietate, ſeu totius ſubſtantiæ ſimilitudine, & ſimili elementorum quatuor miſtione. Quæ res ſola experientia cognoſcitur, quamuis in quibuſdam color aliquid eius inſinuet, id tamen non certò, vt aloë, rhabarbarum, flaua & amara bilem flauam & amaram trahunt: & myrobalanus, citrina. Cnicus autem & elleborus albus, & turbith album, & agaricus

cus albus,pituitam : elleborus niger,myrobalanus Inda & nigra, humorem melancholicum. Trahit autem medicamentum humorem,non trahitur ab humore:quia ob calorẽ ſuum eſt potentius in attrahendo : ſunt enim omnia ſic purgantia poteſtate calida. Eadem ſi non purgant, cocta in humorem tranſeunt,qualem attrahunt:niſi quòd horum quædam in nobis corrupta in venenum abeunt. *Aph.24.lib.1.*

Hypercathartica, id eſt ſuperpurgantia,ſunt ex his valentiora viribus aut quantitate, & quæ vacuato humore ſibi familiari,eum deinde trahunt, qui ob tenuitatem,calorẽ, liquiditatem, eſt ad ſequendum paratior:poſtremò ſanguinem naturæ maximè familiarem.Morſu enim ſuo venarum ad ventrem pertinentium ora laxãt & aperiunt, vaſaq; ipſa reddunt imbecilla ob fatigationem & intemperiem. Hæc aliis ſunt vacuanda vel obtundenda,vt ceſſet hypercatharſis. *Cap.26.27.lib. 3.ſimpl.*

Bechica ſunt tam quæ tuſsim excitãt,vt cap.17.lib.2.quàm quæ eam ſedant, vt cap.1.lib.5.& bechicæ hypoglottides in compoſitione med.part.

Ecſtatica, id eſt mentem alienantia, vt croci magna copia, ſolanum manicum.

Euchyma ſanguinem bonum gignentia,hoc eſt,rubentem, craſsi & tenuis medium.

Cacochyma, quæ bilioſum, vel pituitoſum,vel melancholicum,vel aquoſum gignunt.

Epiceraſtica, quæ paulatim bonum ſuccum ſufficiunt in locum mali paulatim vacuati,vnde epicraſis, Gal.lib.9.meth. Sunt etiam quæ obtundunt aliorum malignitatem vel morſum,vt vua paſſa mordentes mediocriter ſtomachum humores obtundit,lib.2.alimentorum.

Exaſperantia,quòd lenius vel mediocre in cauitatibus fuit, & excrementis,vt acerba,auſtera,cruditatem parientia.

Lenientia aſperatas cauitates,vt oua mollia & recẽtia:item dulcia aſperam arteriam læuem faciunt, & cancani herbæ radix,gummi,tragacantha,glycyrrhiza,vina dulcia. *Gal.in ſimp.et lib.7.c.ph.p.*

Quæ ex dictis facultatibus qualitates primas, vel ſimplices, vel coniugatas nullius alterius interuentu ſequuntur, vt molliens caliditatem, humiditatem : durans frigiditatem, humiditatem : laxans,humiditatem:tendens,ſiccitatem : hypnotica frigiditatem, ſecundæ ſunt : etiam ſi adſit ſubſtantiæ tenuitas

k 2 vel

vel craſsities adiutrix, vt craſſans, repellens, aſtringẽs, ſtipans, frigidam, craſſam: rarefaciens, digerens, attrahens, anodyna, hydrotica, vretica, calidam, tenuem ſubſtantiam ſequuntur: aperiens, detergẽs, expurgans, cauſtica, calidam craſſam. Præter quæ multis etiam adeſt ſubſtantiæ ſimilitudo, vt in purgantibus, lac & ſemen generantibus facultatibus, quæ rectius in tertias reiiciuntur, vt quæ primas ſimul & ſecũdas ſequuntur: qualis etiam ſarcotica calida attrahens, detergẽs, ſiccans: epulotica ſiccans, aſtringẽs: colletica ſiccans, cogẽs, & cætera, quæ ſuprà retulimus. In quibus exempla plura ſi requiris, ex libris ſimplicium ſequentibus quintum ſufficere poſsis.

Facultates quartæ. Cap. 1. & 12. lib. 5. ſimp. & lib. 10. ſimpl.

Magis etiam procedendo, ad particulares peruenitur facultates, quæ à partibus vocantur cephalica, cardiaca, ſtomatica, ſtomachica, hepatica, ſplenica: vel à morbis partium, iſchiadica, nephritica, podagrica, colica, pleuritica: vel ab effectis, bechica, λίθων τρυπτικὴ, id eſt, calculos comminuens, ſarcotica, colletica, epulotica, cathæretica, cathartica, carnem ſuper oſſa nuda creans, fœtum corrumpens, fœtum extrahens, ad chœradas diſcutiendas, ad epilepſiam, ſpaſmum, & alia propè infinita ſimiliter dicuntur. Tamen ſarcotica, colletica, epulotica, tertiæ dicuntur, lib. 6. comp. ph. gen. & aliæ ex tertiis inter quartas recenſeri eadem ratione poſſunt: vt lac, ſemen, menſes, vrinas, ſudores reſpicientia. Reuerà enim quædam horum ambigunt, & vtrique generi vicina ſunt. Ob id Auerrois. v. col. cap. vltimo tertiam & quartam in vnam miſcet. Alii quatuor hæc facultatum genera aliter diſtinguũt, vt primæ ſint calfactrix, refrigeratrix, humectatrix, ſiccatrix: ſecundæ, quæ primos effectus primarũ ſequuntur, vt vis aperiendi, claudendi, erodens, glutinatoria: tertiæ, quibus medicamenta vnam partem magis, quàm aliam reſpiciunt: quartæ ſunt à virtute & forma occulta ſeu ſpecifica, vt purgatrix, venena expellens. Quibus vreticam & hydroticam mirum eſt per hos adiungi. In quorũ multis ſufficit dicere hoc hactenus calidum, frigidum, humidum, ſiccũ, tenuium partium, vel craſſarum, amarum, vel alio ſapore præditum. Hic enim certius medicamentorum temperiem & facultatem declarat.

Sapor enim acerbus terreus, ob id frigidus, craſſæ ſubſtantiæ, refrigerat, craſſat, denſat, conſtringit, repellit in ſuperficie potius.

Auſterus

Auſterus illi temperamento & facultate in ipſo ſita, proximus eſt & inſipidus.

Acidus, aquoſus, frigidus, tenuis citra calorem, incîdit, tenuat, mordet, obſtructiones liberat, repurgat.

Dulcis, calidus modicè, coquit, maturat, laxat, rarefacit.

Oleoſus, aqueus & aëreus, humectat, laxat, mollit.

Salſus, terreus, calidus, hinc digerit, terget, illinc cogit, contrahit, denſat: vtroque ſiccat, & ſalſa à putredine vindicat.

Amarus, terreus, per aduſtionem tenuatus, calfacit, ſiccat, tenuat, terget, incîdit, expurgat, menſes mouet, craſſa expectorat, epilepticis prodeſt.

Acer, igneus, calidus, tenuis, calfacit, tenuat, incîdit, trahit, digerit, purgat menſes, vrinas, ſudores mouet, vrit, exedit, liquat, cruſtam facit.

Facultates autem à partibus nominatæ ſunt, non quòd omnibus partis, quam nomine deſignant, affectibus conueniãt, nec quòd ita vni parti conducant, vt nihil aliis partibus proſint, ſed quia frequentiſsimè & magno cum fructu ac potiſſimum partem iuuant, à qua nomen ſunt mutuatæ: vt cephalicæ caput, oticæ aures, ophthalmicæ oculos, odonticæ dentes, ſtomaticæ os, ſtomachicæ ſtomachum, pleuriticæ coſtas, hepaticæ hepar, ſplenicæ ſplenem, nephriticæ renes, arthriticæ articulos, iſchiadicæ coxam, podagricæ pedes: & aliæ ſimili ratione.

Adhæc quæ medicamenta humores vel alterant, vel totius ſubſtantiæ ſimilitudine vacuant, id æqualiter in toto corpore præſtant. Ob hæc illis facultates illæ à partibus nominatæ ſunt miſcendæ, cùm in ipſis partibus humorem coquere, vel ab his vacuare volumus: vt oxymeli pituitam coquit, incîdit, tenuat, vacuat ex æquo in omnibus corporis partibus: cum pæonia verò aut bethonica coctum id valentius in capite præſtat: cum capparibus aut tamarice in liene: cum eupatorio in hepate. Quæ igitur capiti tota ſua ſubſtantia ſunt familiaria, vſu maiorum probata, & practicorum quos vocant, ſunt ferè hæc.

CEPHALICA.

CALIDA SIMPLICIA.

Bethonica

Maiorana

Saluia vtraque

Ruta vtraque
Calaminthe vtraque
Satureia
Hyſſopus
Pulegium
Melilotus
Chamæmelum
Stœchas vtraque
Lauri folia & baccæ
Acorus verus
Pæonia vtraque: ſed mas potior fœmina
Ariſtolochia omnis
Cubebæ
Nux moſchata
Moſchus
Ambra
Colocynthis
Caſtorium.

FRIGIDA SIMPLICIA.

Roſa
Viola
Myrthi folia, flores, baccæ
Salicis folia, flores
Nymphææ vtriuſque flores
Caphura
Quæ verò his ſunt frigidiora & narcotica, ſunt vſu periculoſa.
Hyoſcyami folia, & flores & ſemen
Mandragoræ radicis cortex
Cicuta, præſertim maior & cruda
Papauer, præſertim nigrum, & ex eo opium
Nymphææ folia recentia.

~~FRIGIDA~~ COMPOSITA.

Electarium de gemmis
Aurea Alexandrina
Elect. Δὶ ἀρωμάτων
Dia caſtoriu
Diambra
Pliris duplex
Aromaticum, roſatum
Tinnitui aurium oleum balaninum, philoſophorum, euphorbii, laurinum proſunt.
Saccharum & mel
Roſatum,
Violatum,
Nymphæatum.
Dia morωn verò, & dia caryωn Phlegmonis oris conueniunt.

PNEVMONICA, THORACICA, PLEVRITICA.

CALIDA SIMPLICIA.

Glycyrrhiza
Vuæ paſſæ
Amygdalæ dulces, & ex his oleum
Strobyli, id eſt, nuclei pinei
Piſtacia recentia
Dactyli
Auellanæ
Saccharum & mel
Hyſſopus, Praſium
Iris, Calaminthe
Origanum, Braſsica
Enula, Squilla
Radix maluæ & althææ
Crocus, Myrrha

Spica,

Spica, Pulmo vulpis.
Agaricus.

FRIGIDA SIMPLICIA.

Hordeum
Lac vaccinum
Amylum
Semen bombacis & papaueris
Viola
Iuiubæ
Sebeſten
Pſyllium
Adiantum omne
Mora
Santala
Gummi acaciæ
Tragacantha.

CALIDA COMPOSITA.

Dia penidion
Dia hyſſopi
Dia praſii
Dia θείων
Dia calaminthe
Dia iris
Linctus de pino, de ſquilla, de braſsica.

FRIGIDA COMPOSITA.

Dia penidion ſine ſpeciebus
Saccarum violatum
Dia tragachantum frigidum
Electarium reſumptiuum.

CARDIACA.

CALIDA SIMPLICIA.

Amomum
Cardamomum
Cinnamomum
Xylaloë
Cubebæ
Caryophyllum
Doronicum
Enula Campana
Bugloſſum vrunque
Ozimum
Polium
Roſmaris
Mentha
Meliſſophyllon
Cortex citri
Crocus
Moſchus
Ambra

FRIGIDA SIMPLICIA.

Roſa
Viola
Nymphæa
Aurum
Argentum
Sapphirus
Hyacinthus
Smaragdus
Vniones
Corallium
Ebur
Santala
Succinum, Caphura
Terra ſigillata
Belletzicæ myrob.
Os à corde cerui
Semen oxalidis
Sericum crudum

CALIDA COMPOSITA.

Diambra
Dia margariton calidum
Exhilarans Galeno adſcriptũ

Electarium de gemmis
Confectio alkermes
Aromaticum roſatum

FRIGIDA COMPOSITA.

Diarhodon ſine ſpeciebus
Saccharũ roſatum & violatũ
Syrupus roſatus & violatus
Dia margariton frigidum
Electarium trium ſantal.
Frigidi fructus condíti
Trochiſci de bolo
Trochiſci de caphura.

STOMACHICA, GASTRICA.

CALIDA SIMPLICIA.

Amomum
Cardamomum
Cinnamomum
Zingiber
Piper omne
Nux moſchata
Macis
Caryophyllum
Xylaloë
Spica, Caſia
Cortex citri
Saluia
Mentha
Abſinthium
Maiorana
Aniſum
Cuminum
Maſtiche.

FRIGIDA SIMPLICIA.

Roſa, Viola
Malum granatum triplex
Cucumer
Cucurbita
Melones
Pyra
Cydonia & cæteri auſteri fructus
Portulaca
Lactuca.

CALIDA COMPOSITA.

Diacydonium Gal.
Diagalanga
Diacuminum
Dianiſum
Dia trion peperon
Oleum cnici & piperum
Zingiber condîtum
Cepulæ myrob. condítæ
Cortex citri condîtus
Aromaticum roſatum
Elect. ſtomachicum.

FRIGIDA COMPOSITA.

Saccharum & ſyrup. roſatus, violatus
Cydonia, aut perſica, aut fructus alii auſteri condíti
Diaſantalon.

HEPATICA.

CALIDA SIMPLICIA.

Abſinthium, præcipuè Ponticum
Schœnu anthos
Spica nardi
Cinnamomum
Calamus Aromaticus
Malabathrum
Aſarum, Apium
Fœniculus, Aniſum

Ammi,

Ammi, Daucus
Squilla
Cicerum decoctum
Eupatorium, id eſt, agrimonia
Chamædrys
Fumaria
Caſſutha
Amygdalæ amaræ & dulces, & cætera propè amara & dulcia, quæ ipſum tamen promptè obſtruunt præter ſaccharum & vuas paſſas.

FRIGIDA SIMPLICIA.

Lichen, id eſt, hepatica
Intybus vterque
Cichorium omne, vt ſcariola, cicerbita, hieracium, chondrilla
Oxyacantha
Portulaca
Lactuca
Viola
Solanum
Semina quatuor frigida, maiora & minora quæ vocāt.
Santala
Caphura
Ebur
Adiantum omne
Ruſcus & aſparagus media eſſe poſſunt: tenuitate tamen eſſentiæ obſtructiones liberant.

CALIDA COMPOSITA.

Roſata nouella
Antid. de aromatibus
Diarhodon abb. cū ſpeciebus
Dianiſum
Diacyminum
Diacalaminthe
Dioſpoliticum
Trochiſci de rha barbaro.

FRIGIDA COMPOSITA.

Diaſantalon
Ceratum ſantalinum
Diarhodū abb. ſine ſpeciebus
Saccharū roſatū & violatum
Trochiſci de caphura.

SPLENICA.

CALIDA SIMPLICIA.

Thymus, Epithymus Græcorum & Arabum.
Geniſtæ flos
Cortex radicis eiuſdem & capparis
Cortex medius fraxini, & Sambuci
Scordium,
Chamædrys
Chamæpitys
Buglossum vtrunque
Rubia, Naſturtium
Aſarum, Calaminthe
Acorus
Agnus
Hammoniacum
Bdellium
Caſtorium, & ferè quæ hehar reſpiciunt.

FRIGIDA SIMPLICIA.

Cortex radicis Tamaricis, & folia & fructus
Aſplenum, id eſt, ceterach

Adiantum omne
Intyba & Serides
Semina quatuor frigida, magna & parua.
Lacryma vitis & folia.

CALIDA COMPOSITA.

Diacalaminthe
Diacyminum
Acetum ſcillites
Dia hammoniacu emplaſtrum.

FRIGIDA COMPOSITA.

Diaſantalon
Ceratum ſantalinum
Acetum, præſertim album, atque adeò deſtillatum, ſed id calidius eſt.
Oleũ balaninũ, id eſt, deben, & de hammoniaco, & ſimilibus: ad ſcirrhos lienis, vt ipſa balanus myrepſica, apta. calidis addi poteſt.

NEPHRITICA, CYSTICA.

CALIDA SIMPLICIA.

Abrotanum
Eryngium
Eruca
Vrtica
Sarxiphagum
Lithoſpermum
Iuniperi baccæ
Radix Apii, Ruſci
Aſparagi, Fœniculi
Dauci,& horum ſemina
Cubebæ,& propè quæ hepati & lieni calida conducũt, & vretica.

FRIGIDA SIMPLICIA.

Plantago vtraque
Nymphæa vtraque
Hordeum
Semen pſyllii
Lactucæ, Portulacæ
Intyborum & Seridum
Papaueris albi,
Frigida ſemina magna, id eſt, Peponum, & Melopeponũ,Cucumeris,Cucurbitæ,Citreoli quem vocant.

CALIDA COMPOSITA.

Zingiber condîtum
Oleum ſcorpionum
Emplaſtrum de baccis lauri.
Syrup. de duabus & quinque radicibus.
Oxymeli ſcillites.

FRIGIDA COMPOSITA.

Ceratum ſantalinum
Syrup. nymphææ,violarum, & cætera propè quę hepar & lienem refrigerant.

HYSTERICA.

CALIDA SIMPLICIA.

Arthemeſia
Sabina
Calaminthe
Origanum
Pulegium
Parthenium
Meliſſophyllum
Ariſtolochia vtraque
Gentiana

Valer

Valeriana
Rubia
Ruta
Cinnamomum
Calamus Aromaticus
Schœnu anthos
Spica
Myrrha
Opopanax
Moſchus
Ambra, & cætera propè renes calfacientia, & menſes mouentia.

FRIGIDA SIMPLICIA.

Corallium vtrunque
Nymphæa vtraque
Balauſtium
Galla
Polygonium vtrunque
Semperuiuum vtrunque
Portulaca, & propè alia, quæ renes refrigerant, & menſes ſuppriment.

CALIDA COMPOSITA.

Diacalaminthe
Dianiſum
Diambræ
Diaſatyrion
Tryphera magna ſine opio.
Oleum amygdalinum vtrunque, nardinum
Aromaticum moſchatum
Oleum rutæ, croci, philoſophorum.

FRIGIDA COMPOSITA.

Diaſantalon
Ceratum ſantalinum.

ARTHRITICA.

CALIDA SIMPLICIA.

Naſturtium, Sinapi
Chamædrys
Chamæpitys
Hermodactylus
Herba paralyſis phlomidum ſpecies
Scilla
Rhaphanus
Enula Campana
Origanum
Pulegium
Calaminthe
Porrum, Aſarum
Ruta, Acorus
Terebinthina
Myrrha
Opopanax
Bdellium, Hammoniacum
Sagapenum
Styrax, Galbanum
Euphorbium
Caſtorium
Caſsia nigra
Stercus vaccinũ
Panis calidus
Sapa
Oeſypus
} admota, enim ſunt, anodyna.

FRIGIDA SIMPLICIA.

Acetum
Aqua roſarum
Myrti partes
Pſyllium
Bolus Armenia
Intyba & Serides
Lactuca

Semp

Semperuiuum vtrunq;
Solanum
Opium
Hordei cremor
Folia hyoſcyami parum calfacta.
Folia cicutæ paruæ torrefacta.

CALIDA COMPOSITA.

Oleum auellanarum & ſeminis aranciorum
Oleum vulpinum
Oleum balaninum.i.de ben
Oleum ex lapide gagate, & ſtyrace,& euphorbio.
Oleum laurinũ, & ex nucleis ceraſorum.
Oleum Philoſophorum
Oxycroceum
Ceroneum
Diachylon
Diameliloton
Oxymeli ſcillites, & cætera quæ cerebrum & neruoſas partes calfaciunt.

FRIGIDA COMPOSITA.

Oleum roſatum & de ranis.
Vnguentum populeum
Syrup.limonum,& cętera renes refrigerantia.
Oxycratum,id eſt,poſca.

Quoniam purgatrix facultas inter quartas quoque continetur, vt dictum eſt,pauca de purgationis ratione,& ſingulos humores purgantibus medicamentis etiam hîc adſcribenda ſunt.

Gal.Aph.2. lib.1. Purgatio eſt humorum ſua qualitate moleſtorum vacuatio:ſiue enim hi calidiores,frigidiores,humidiores,ſicciores, aut per coniugationem harũ qualitatum à ſibi mediocri temperamento receſſerint idoneo ad ſanguinis probi conſtitutionem , ſiue aucti immodicè iuſtam ſibi proportionem ſanguini inculpato componendo neceſſariam ſupergreſsi ſint, ſemper qualitate ipſa moleſti videntur, ergo vacuandi : ſed *Aph.9.lib.2.* prius ad expulſionem apparati. Corpora enim cùm quiſpiam purgare volet,oportet fluida facere, hoc eſt, humores craſſos *Gal.ibidem* tenuare, lentos incidere, & tergere, & fluxiles reddere, ac *Aph.22.lib.1.* meatus aperire, per quos facienda eſt vacuatio. Tunc autem concocta medicari, atque mouere oportet non cruda : quanquàm verò hæc propriè coctionem à natura in morbis ſalubribus factam loquantur:abuſiuè tamen humorum expellendorum apparationem prædictam Medici etiam coctionem appellant, fortè quòd craſſum dum eſt tenuatum, habile magis eſt,vt à natura coquente vertatur in alimentum,ſi quid in eo relictum erat benignũ,reliquum ad expulſionẽ promptiorem

rem ſecernatur. ſimiliter dũ lentũ eſt inciſum, & deterſum, & fluxile. Eadem ratione practici addunt bilem flauam eſſe coquendam, vt quanuis ad vacuandum ſit maximè habilis ob caliditatem, tenuitatem, leuitatem: tamen ne eius vis tam furioſa partibus noceat continentibus, aut in quas trahitur, aut per quas excernitur refrigerantibus obtundenda eis videtur: quòd etiam hoc modo ſi quid in ea benignum ſuperſit, à natura ſeparetur feliciùs, ac coquatur, ac minùs putrendo, quod prauum eſt miteſcat: ſuam fortè ſententiam ex his Galeni atque Hippoc. locis ruentes. *Aph.59.lib.*

Tertiana exquiſita quæ lógiſsima eſt, ſeptenis circuitibus finitur, & ardentes die ſeptimo per criſes finiri ſolent, cocta à natura materia bilioſa, & expulſa.

Chamæmelum ſanat febres bilioſas, & ex cutis denſitate natas, easque percoctas. *Li.3.ſimp.c.10*

Signa coctionis prauorum humorũ in pleuritide per ſputum, in affectibus ventris inferioris per deiectiones, in febribus putridis & affectibus venoſi generis per vrinas colligit Hipp. Galenus, in Aph. progno. criſibus, libris therapeuticis.

Humorem craſſum & lentum & flatulentum, & ſaniem acrem & mordacem in oculum affluentem, & fluxionem à capite in pulmones, & laſsitudinem tẽſiuam, & phlegmonôde, in libris de compoſitione pharmac. particular. coquit Galenus. Crocus & Myrrha ibidem coquere dicuntur humores prauos & præter naturã in pulmone & ſtomacho. Ergo morbi omnes, & materiæ omnes prauæ coqui à Medicis interdũ dicuntur abuſiuè. nam propriè à calore moderato in benignũ rei coquentis alimentum verſio eſt coctio: quę etiam in morbis ſanguineis fieri videtur, dũ pus ex ſanguine in phlegmone fit à calore etiã natiuo, & hypoſtaſis in vrinis per febres: ſed ea eſt imperfecta, cùm à ſolo calore natiuo non fiat, verumetiam ab eo qui præter naturam eſt, putrefactio addatur.

Quid quòd bilis flaua ſeipſa interdum multò craſsior efficitur, dum vitellina, æruginoſa, iſatôdes euadit? An non tunc apparãda expulſioni eſt? Aut cur Galenus extenuandis & tergendis humoribus bilioſis anchuſam onocleam ſubamaram ſufficere affirmat? Afferrem Actuarium bilem coquere zulapiis quibuſdam in purgantibus bilem, niſi fæcem Arabicam reſipere ipſum vellem mox audire. *Lib.6.ſimp. in anchuſa.*

Medica

Medicamenta igitur purgantia humorem ſibi familiarem tota ſua ſubſtantia trahunt ſumpta, & quod magis mireris, admota horum quædam. Bilem enim flauam vacuant.

CHOLAGOGA.

Aloë
Abſinthium
Scammonium
Fumaria Dioſcorid.
Thlaſpis ſemen
Seſamoides vtrunque
Cucumer agreſtis
Pepli & Peplidos ſemen
Sambuci & Ebuli folia, & ſemina
Colocynthidis fructus ſiccus
Empetrum & Polypodium eidem.
Addunt cum Arabibus recentiores,
Mannam, ſeu Mel aërium
Tamar Indos
Myrobalanos, præſertim flauas
Caſsiam fiſtulam
Rha barbarum
Roſas, præcipuè dictas vulgò incarnatas
Violas nigras ſeu purpureas.

BILEM ATRAM.

Epithymum
Pulegium
Tragoriganum
Parthenium
Armenius lapis
Centaurium minus
Elleborus niger, ſed hic deiectione, vt albus vomitu. *Cap.5. Lib.2.ſimp.*
Addunt iidem,
Lapidem Armenium lotum Alex. Trall.
Lapidem ſtellatum ſeu Cyaneum, vulgò lapidem laxuli
Sennam
Eſulam.

PHLEGMAGOGA. PITVITAM.

Cnici ſemen
Coccum gnidium
Hypophaes, Galenus libro 1. fac.nat.
Lathyris & Tithymallus omnis
Cucumeris ſylueſtris radicis cortex
Styrax pinguis & flauus
Daphnoides,
Ricinus
Scammonium,
Chamælæa
Thimelæa,
Sambucus
Ebulus,
Colocynthis
Elleborus vterque
Polypodium Dioſcorid.
Addunt cum Arabibus recen-

centiores,
Turbith
Hermodactylos
Sarcocollam
Sagapenum
Opopanax
Euphorbium.

HYDRAGOGA. AQVAS DVCENTIA.

Granum gnidium, etiã phlegmagωgum Galeno
Aes vſtum,& lotum,æris flos, æris ſquama,
Chamædrys, Chamæleon, Galen.lib.1.facul.natur.
Ricinus, Lactuca ſylueſtris
Tripolij,& Hemerocallis radix *Lib. the. ad Piſon.*
Sambucus,
Ebulus
Tithymallorum genera.

PITVITAM ET AQVAS.

Squama æris
Euphorbium
Chamælæa,etiam bilem.

Ex his patet, quædam etiam plures humores trahere, vel ob actionis vehementiam, vel ob diuerſas in toto ipſo ſubſtantias diuerſas. Nam trahunt

FLAVAM ET ATRAM BILEM

Veratrum nigrũ,quod etiam phlegmagωgũ quibuſdam eſt.
Fumaria.

BILEM VTRANQVE ET PITVITAM.

Peplium
Polypodium.

BILEM ET PITVITAM,

Colocynthis
Elleborus albus
Tithymallus
Elaterium
Agaricus
Ariſtolochię,Clematidis fructus ſiccus
Thymus
Ciclamini radix
Chamæpitys
Empetron eadem, & præter hæc aquas Dioſc. & Galen.

Sanguinem purgari tradunt porrorum capitatorum ſucco mercuriali, viola alba, ſylueſtri malua, ſaluia, veratro albo, quod & bilem vacuat: non quòd illa ſanguinem foras trahant, ſed quòd vel ipſum ab humoribus corruptis expurgant (qua ratione omnia propè purgantia medicamenta dici queunt ſanguinem purgare) vel quòd actionis vehementia ipſum trahunt

trahunt in hypercatharſi: vel quòd ipſum tenuatũ calfactum ad venarum exitus promoueant: qualia quæ ſumpta hæmorrhoidas promouent, menſes cient, vrinas cruentas excitant: hæmagogum inde dictum medicamentum, vt cicer, præſertim agreſte, & alia multa Galeno in ſimplicibus.

Quæ enim herba corpori admota per poros ſanguine educto homines necabat, cognoſci deſiit magno mortalium commodo.

Lib.1.fac.nat. & lib.theriaces ad Piſon.et li.de nat.hu.

Recipimus ergo medicamenta facultate quadam natiua conuenientem ſibi ſuccum trahere, quomodo partes tam animalium quàm plantarum ſingulæ alimentum tota ſubſtantia ſibi familiare, & amicum, & conueniens trahunt: & magnes ferrum, & electrum, id eſt, ſuccinum, paleam, & alia huiuſmodi à natiua quadam facultate conuenientis attractrice.

Admiratiõe eadem dignum eſt, feras venenoſas cùm corporibus ſuis noſtro ſint inimicæ, & tam ſubitò nos perimant, morſibus à ſe factis ſuccurrere & ſolas hominem à tali periculo vindicare: quòd ſcilicet ſimile retrahat ad ſe ſibi ſimile, ſuamque ſubſtantiam in ſe reuocet. Quapropter à crocodilo læſis, ipſius adeps vulneri impoſitus ſummo eſt præſidio.

Gal.in theriaca ad Piſonẽ.

Morſus muris aranei etiam lethalis ſanatio, citra dolorem fit mure ipſo trito & impoſito. Morſus viperæ ipſa vipera trita & impoſita ſanat: & theriaca ipſa impoſita, atque etiam ſumpta, aliarum etiam ferarum omnium venenatorum morſibus efficax.

Huc pertinet nonnullorum natiua quędam totius ſubſtantiæ ſocietas, ex qua ſi iungantur, & iuncta ſeruentur, vis quædam mira conſurget: id quod maiorũ experientia longa probatum pro experto & certo recipimus. Ob id cõpoſita medicamenta vſurpamus, quæ à prioribus Medicis iiſque inſignibus vehementer commẽdata fuerunt: neque negligimus, quæ recentiores experientia longa comprobarunt.

Lib.5.c.ph.p.

Quid quòd alexipharmaca quædam ſic venena trahunt ſumpta, ſi ſumantur, aut admoueantur ictui vel morſui venenoſo, vt venenum ipſis inſidens videas.

Nec ſolùm venena trahunt, ſed plurima etiam aculeos & ſpicula indolenter è corporibus noſtris extrahunt, quæ nulla vi noſtra educere antè licebat.

Vt autem rebus quibuſdam magna inter ſe eſt cognatio

natura

naturarúmque ſimilitudo (quod præter dicta generationes quoque animalium, & inſitiones plantarum oſtendunt, vt Hippocrates docet lib. de natura hominis) ob quam hoc illud trahit, hoc illud non lædit: vt euphorbium ventrem ouium ſolùm non erodit, vt in eo ſeruari poſsit, qualiter in folliculo ſuo bilis: ita aliis odium eſt manifeſtum non modo animalibus inter ſe, ſed etiam plantis inter ſe, & plantis & animalibus in homines, & in certas quaſdam hominum partes, aut partium affectus. *Lib. 9. c. ph. p.*

Braſsica & hedera viti & ebrietati aduerſantur.

Allium magneti affrictum, & oleum ſuccino, attractionem horum peruertunt, & ille ferrum abigit, hoc paleas etiam oleo imbutas.

Cantharides veſicam peculiariter & ſolam afficiunt.

Lepus marinus pulmones ſolos ex omnibus animalis partibus vlcerat. *Lib. the. ad Piſon. et initio c. ph. g.*

Cicuta homines occidit, ſturnos nutrit, nec vim lethalem in his exercet.

Veratrum homines corrumpit, coturnicum cibus eſt.

Amphisbænam animal biceps ſi grauida fuerit ſupergreſſa malè abortit.

Stellio ſcorpiones viſos ſubſtringit, & ita perimit.

Baſiliſcus belua ſubflaua triplici frontis apice munita, viſus etiam ſolum, aut ſibilo auditus, homines necat: ipſam autem beluam mortuam ſi quod animal attigerit, ſubitò moritur. Ob id omne aliorum animalium genus propinquitatem ipſius deuitat.

Vſta murium capita, & ex melle illita alopeciam curare poſſunt. Capita apum & muſcarũ vſta alii ſimiliter adhibẽt eodẽ ſucceſſu. Stercus muriũ cum aceto illitũ idem poteſt. *Lib. the. ad Piſonem.* *Ibidem.*

Viperæ pellis in puluerem redacta, impoſita alopeciis, pilos mirificè regenerat. *Ibidem.*

Caput leporis vſtum cum adipe vrſino illitum. *Lib. 11. ſimpl.*

Hedera, braſsica, rhaphanus naturali facultate ebrietati reſiſtunt, & vitibus, vt dixi, ſunt inimica, vt ſi circum ſe ferantur, diffugiant. *Lib. 1. c. ph. p. & Plin.* *Ibidem.*

Palmulæ proprietate quadam capitis dolorem faciunt. *Lib. 6. ſimpl.*

Pæoniæ præſertim maris radix recens collo appenſa, contactu carnis calfacta, olfacta, continuò epilepſiam ſanat: huius

tamen rationem reddit Gal.ibidem.

Lib.th.ad Piſ. Cameli aut muſtellæ cerebrum ſiccum ex aceto potum epilepticis medetur.

Ibidem. Caſtoris teſticuli poti,conuulſioni remedio ſunt.

Lib.th.ad Piſ. Hirundinis cerebrum ex melle illitum ad ſuffuſiones facit.

Ibidem. Fel hyænæ illitum ſuffuſionem diſcutit,viſum acuit.

Ibidem. Aſpidis exuuium tritum & illitum ex melle viſum facit acutiſsimum.

Ibidem. Accipiter in vnguēto ſuſino coctus hebeti viſui medetur.

Ibidem. Cantharus, id eſt, ſcarabeus oleo incoctus, auri inſtillatus eius dolores ſanat.

Lib.10.ſimpl. Stercus canum ſolis oſsibus biduo paſtorum,ob id durum, album, neque grauiter olens, optimum eſt in cruſtis oris, & anginis: ſtrenuè enim iuuat, nec vllam habet inſuauitatem. Eoq; ſiccato, læuigato per cribrum medicinale creto, Muſa Medicus plurimum vſus eſt, cuius teſtimonium maximi facit Galenus: additq; hoc medicamento ſe nullum nouiſſe valentius,neque in anginis, neque in pariſthmiorum phlegmone, aut tonſillarum magna adeò, vt ſuffocationis ſit periculum. Item in dyſenteriis,& ſummè inueteratis vlceribus & ſummè malignis. Idem digerit & deſiccat alios affectus. Quod experientia longa & ipſe,& eo priores Medici probauerunt ad anginam quidem miſtum aliis huic affectui conueniētibus: ad dyſenterias verò cum lacte probè cocto poſtea per calculos ignitos vel ferrum candens vſtulato.

Lib.10.ſimpl. Stercus pueri triduo nutriti lupinis dulcibus, aut gallinis, perdicibus ex aqua,aut tenui iure probè coctis,pane bene cocto cum ſale pauco, & fermento, & vino vetere tanto, quantum perfectè poſsit coquere, ipſo die tertio primum acceptū, ſiccatum, læuigatum cum melle attico illitum (inſufflatum Gatinaria) ſtatim ſanat gutturis phlegmonas ſine venæ ſectione: cuius experientiam certiſsimam ſæpe vidit Gal.

Alexāder Aph. initio probl. Hæmodiam, id eſt, dentium ſtuporem ab acidis & acerbis & auſteris natum, vt lib.de optima ſecta, portulaca eſu ſanat, cauſa eius effecti nobis incognita: huius tamen cauſam reddit Gal.lib.6.ſimpl.& Ariſt.prob.38.ſect.primæ.

Lib.th.ad Piſ. Ceruinum cornu,aut bouis aſtragalus vſta,cum vino trita, denti vacillanti circumlita eum confirmant.

Ibidem. Veruecis cerebrum ex melle illitum,infantium dentitioni

vtiliſs

vtiliſsimum. Idem præſtat mel & butyrum, gingiuas tamen tenuando, Gal.lib.10.ſimpl. Item & cerebrum leporis cum capite toto elixum, lib.11.ſimpl.

Coctionem ventriculi iuuare, & ſtomachicum eſſe ventrem mergi, vel elixum, vel ſiccatum & ſumptum, & tunicam interiorem ventriculi gallinarum ſiccatam & potam, falſum eſt expertus Galenus: tamen in ea promiſsione vana etiam hodie perſeuerant, qui principes Medici habentur. *Lib.11.ſimpl.*

Iaſpis virens os ventriculi adhæſu re vera iuuat proprietate quadam. *Lib.9.ſimpl.*

Aſtragalus bouis vſtus cum lacte potus lumbricos rotundos educit. *Lib.th.ad Piſ.*

Vaccini lactis potus dyſentericos iuuat. *Ibidem.*

Hepar lupi hepaticos tota ſubſtantia iuuare ſufficienter ſe expertum dicit Gal.lib.8.comp.ph.part. & hodie hepatis eius ſiccati puluerem cum vino albo dant hydropicis, tanquàm ſecretum aliquod remedium. Id tamen hepar lupi miſtũ medicamento hepatico (quod ex eupatorio fit) minimo id efficacius reddidit. Dabat autem Galenus læuigati hepatis lupini drachmam vnam cum vino dulci, vt thereo Cretico, vel mulſo protropo, id eſt, quod defluit antequàm vuæ calcentur. Nam id gratum hepati, quia ipſum nutrire poteſt, ac medium eſt inter calidum & frigidum. Si verò febris adſit, datur cum aqua calida, aut ſucco ſereos, vel ſimili. *Lib.11.ſimpl.* *Lib.8.c.ph.p.*

Caro trium κοχλίων, id eſt, cochlearum, multum tuſa cum vini nigri cyathis tribus calfacta, pota, hydropicos tota ſubſtantia non vna aut altera qualitate iuuat. *Aſclepi apud Gal.lib.8.c.ph.p.*

Affecto iecori eupatorios herba ſtrenuè auxiliatur: id autem quia aſtringendo hepar roborat, & tenuitate eſſentiæ, ac incidendo & tergendo citra calorem manifeſtum obſtructiones eius liberat. Piſtacia hepati obſtructo conferunt. *Lib.th.ad Piſ.*

Vua paſſa tota ſubſtantia eſt familiaris hepati, vt alimenta omnia cum nutriendo corpore habent proprietatem quandam ſecundum totam ipſorum ſubſtantiam. *Lib.2.alim.* *Lib.2.c.ph.p.*

Stercus bubulum aridum vſtum tribus cochlearibus potum hydropicos iuuat. *Lib.th.ad Piſ.*

Lumbrici terræ, quæ γῆς ἔντερα, id eſt, terræ inteſtina vocat Gal. ex melicrato poti icterum purgatione mox liberant. *Ibidem.*

COLICA.

Lib.10.ſimpl. Stercus lupi oſsibus paſti, ob id albidius, ſupra frutices, vepres, herbas altiores prima æſtate repertum non in terra: potum cum pauco ſale aut pipere, aut alio ſimili, ex vino albo tenui, vel aqua, & (quod mireris) ad λαγῶνας, id eſt, ilia appenſum dolores colicos citra phlegmonem perſanat, aut ſaltem plurimum mulcet, & his ita præcauet, vt non redeant: vel ſi redeant, tardius & mitiores multò redeunt, etiam ſi ipſum ſtercus teratur cum oſsibus deuorati animalis non præmanſis nec concoctis. Appendendum verò vinculo & cingulo ex lana ouis à lupo mactatæ, vel ex pelle ceruina, vel quauis alia materia. Vmbilico infantis inter telas conſuto & appenſo ventri idem hodie tribuitur, & certiſsimum affirmari audio.

Gal. in ther. ad Piſo. & lib. 11. ſimpl. κορύδαλλος vel κόρυδος ὀπτός, id eſt, galerita aſſata vel elixa, ſi aſsiduè edatur cum iure, colicos ſæpe plurimum iuuare expertus eſt Gal. Hæc auis puſilla, in capite gerit ceu galerum ex pilis erectis natum, nobis ob iter plerunque obuia. Marcellus Empiricus hupupam accipit, quòd apicem in capite gerat, pauonum modo, vt Dioſcorides ait in corydalo, cui κοιλιακοὺς opinor mendoſè pro κωλικοὺς iuuare ſcribitur: ſed hupupa οὐκ ἔστιν ὀρνίθιον μικρὸν, id eſt, auicula parua, quantam Dioſcor. & Galenus corydalon affirmant. Vires eaſdem ad colicos dolores & nephriticos tribuunt periti, & probatiſsimas pulueri auiculæ nobis frequentis (quam vulgus meſenguam vocat.)

Lib.10.ſimpl. Stercus gallinæ cum œnomelite vel aceto, vel vino aqua diluto colicum dolorem diuturnum ſanat.

SPLENICA.

Lib. th. ad Piſ. Aſtragalus bouis vſtus ex oxymelite potus lienẽ abſumit.

Ibidem. Myrobalanus ipſa ſplenem iuuat.

Aſplenium, capparis, tamarix tota ſubſtantia familiares lieni plantæ ipſum iuuant, & liquant, & abſumunt tumentem: quin vſu multo aſplenium ipſum conſumit omnino.

NEPHRITICA.

Ibidem. Sarxiphagon & betonica renes iuuant, vt alia aliarũ partium propria medicamenta.

CYSTICA.

Ibidem. Scorpius aſſus cum pane comeſtus, veſicæ calculos cõterit: & lumbrici terræ ex vino ſumpti, & murium ſtercus potum.

Veſica

Veſica caprina aut ouilla cremata, ex poſca pota: aut leporis teſticulus ex vino odoro coctus, potus his qui vrinam inuiti reddunt, benefacit. *Ibidem.* *Lib.9.c.ph.p. in fine.*

VENEREA.

Renes ſcincorum poti, pudenda intendere creduntur. *Lib.th.ad Piſ.*

Bouis aſtralag⁹ vſtus, trit⁹, potus mediocriter venereus eſt. *Lib.11.ſimpl.*

ARTHRITICA.

Caput milui ſine plumis vſtum cum aqua, quantum tribus digitis capi poteſt, podagricis auxiliatur. *Lib.th.ad Piſ.*

Lumbrici terræ cum roſaceo cerato illiti podagricorum inflammationibus conueniunt.

Erinacei terreſtris caro ſiccata, pota elephanticis, cachectis, conuulſioni obnoxiis, nephriticis, anaſarcicis auxiliatur, quia valenter digerit, & ſiccat. *Lib.11.ſimpl.*

Muſtelæ caro ſiccata, pota, epilepticos iuuat eadē ratione. *Ibidem.*

Elurorum ſalitorum caro trita palos & ſpicula extrahit, tanquam trahendi vim habeat.

Myacum, id eſt mutulorum caro morſibus canũ medetur.

Cochlearum caro pertrita valenter ſiccat etiam hydropicos: & muccus ex ipſis haud ita pridem captis ſtylo confixis emanans cum thure vel myrrha, vel aloë, vel quibuſdam horum, vel omnibus ad cerati craſsitiem coactus aures purulentas deſiccat: & fronti affixus, oculorum fluxiones.

Cochleæ cum teſtis tuſæ palos extrahunt, & menſes ſiſtunt. Caro ipſius ſola vulneri etiam neruorum impoſita ſola pulchrè glutinat, & ſine phlegmone in homine etiam duro & agreſti addita farina volatili, & ſi vis, thure, myrrha, reſina fricta: hæc initio libri vndecimi ſimplicium. Horum tamen cauſa quædam reddi poteſt, quòd ſcilicet digerant, ſiccent, trahant calore.

Lignum Gaiaci (quod vocant) ſcabiem Hiſpanam tota ſua ſubſtantia ſanare quibuſdam videtur, cùm tamen in eo ſapor ſit amarus & acer, non inualidus: vnde vim habet incidendi, tenuandi, tergendi, & purgandi, per quas facultates vacuat vrinis, ſudore, vomitu, deiectione, inſenſili, tranſpiratu, putrem ex contagione materiam: ſæpe tantum ſpirituoſam, cùm recens eſt contagio, nec vehemens, & ſpiritus affici contumaces: ſæpe ſimul etiam humidam, cùm in vaſa ipſa &

corpus mali labes iam graſſatur. Cui corruptelæ niſi occurratur per alterantia & vacuantia, etiam in partes ſolidas impetus fit, easq́; putredo occupat, ferro ſæpe & cauterio tantùm curabilis: quomodo ex diariis in affici promptis trãſitus fit in putridas, ac interdum in hecticas febres, nunquam ſi abſolutæ ſint, curabiles. Neque victus tenuis & tenuans, catapotia Aegidiana, aut illitus ex argento viuo, ſuffitus ex cinnabari factitia, vel hærbarum digerentium & tenuantium decocto (quæ ſunt alia hodie conſuetiſsima mali huius remedia) ratione alia quàm corruptæ huius materiæ totius vacuatione, luem iſtam perſanant.

Li.the.ad Piſ. Taurini cornu raſura cum aqua pota ſanguinis eruptio-
Ibidem. nem cohibet.

Ibidem. μηροὶ, id eſt, femora vſta idem præſtant, & aluum ſolutam
Ibidem. ſæpe ſiſtunt.

Lib.11.ſimpl. Hippopotami cutis vſta, læuigata, ex aqua corpori admota panos digerit.

Adeps anſeris & ceruí medulla ex roſaceo phlegmonæ medetur, & dolorem mitigat.

Cinis cancri fluuiatilis ſubſtantiæ proprietate mirabilis in morſu canis rabidi: & alyſſon herba antè dicta, lib. 6. ſimplicium.

Ex his patet à partibus animalium quibuſdam morbos quoſdam curari: quin ipſa etiam tota eorum corpora affectibus quibuſdam auxiliantur. Cancer enim fluuiatilis tritus illitusq́; ſpicula & ſurculos extrahit, quod etiam carni ſiluri piſcis ſaliti tribuit Dioſc. & capiti ſaurarum trito Gal. lib. 11. ſimpl. & aliis præterea multis hanc trahendi faculta-
Lib.1.c.ph.g. tem vterque certam adſcribit. Sunt enim medicamenta par-
Li.the.ad Piſ. tibus quibuſdam amica, alia iiſdem inimica, alia his atque illis affectibus idonea, vt abundè docuimus. Ne mireris igitur, partes viperæ medias theriacæ impoſitas, vim illi efficacem tribuere ad reſiſtendum morſibus viperæ, & elephantiæ, & aliis permultis affectibus. Adde quòd quædam ſimplicia medicamenta ex tota ipſorum ſubſtantia vnam quandam & ſimplicem habent virtutẽ, cuiuſmodi ferè ſunt prædicta. Alia mixtam in tota ſua ſubſtantia facultatem habent, & duplici actione funguntur, tam manifeſtè ſæpe, vt etiam quàm maximè contraria ab eis in corpore fieri videamus: atque

atque id miraculum eſſe videntibus apparet, & inopinabile quibuſdam audientibus ac impoſsibile putatur, niſi viderint.

Lapathi enim folia ventrē cient, ſemen aſſumptū ſtringit. *Ibidem.*

Braſsicæ, lentium, oſtreorum, oſtracodermorū omnium, *Ibidē. & lib.* & gallorum vetulorū ius & decoctum ſumptum, aluum ſol- *1. aliment.* uit: ipſum autem ſingulorū corpus ſumptū ventrē cōprimit. *Lib. 11. ſimpl.*

Gallinarum ius ſimplex aluum ſiſtit: gallorum ius cum ſa- *Lib. the. ad Pi-* le prolixiſsimè coctorum ſubducit. *ſon.*

Aloë & ſquama æris ſupercreſcentes vlcerū carnes aſtrin *Lib. 3. tempera-* gunt, & humores ſub his notos ſubinde ſiccant: aſſumpta au- *ment.* tem per os corpus totum purgant: quia nihil eſt, quod ſumptum & admotum vires habeat eaſdem.

Serū lactis potū aluū ſoluit, caſeus ſumptus ipſam cohibet.

Proximum autem miraculo eſt trifolium herba hyacintho ſimilis, quando vere flores emittit, & ſemen habet κνίκῳ ἀγρίῳ ſimile, hæc enim decocta multum, & morſibus phalangii aut viperæ ex aquæ fotu admota ipſis medetur, & dolores ſtatim ſedat. Eodem verò fotu in alio non morſo parti ſanæ ſenſum ſimilem, & dolores ſimiles his quos morſus inuehit, omnes excitat: morſus itaque ſanat, & ferarum modo partem affligit.

Quis omnia hæc non modò cognoſcenda Medico, ſed etiam admiranda non iudicat? Neque ſolum animalibus ipſis inter ſe, & ipſorum partibus quibuſdam & plantis & metallitis quibuſdam ſecum, aut cum aliis magna eſt naturæ ſocietas aut contrarietas: ſed quod etiam ſaxeus admiretur, ſonis ipſis aut corporibus ſonoris inter ſe tanta eſt cognatio, vt ſibi ſimilibus delectari videātur: fide enim teſtudinis quauis, quo voles modo attemperata, ſi correſpondentem ei in teſtitudine altera ipſe attemperas, intendendo & remittendo, cùm ſonum edet ſimilem ſono alterius tibi antea non audito, altera illa velut exultans concutitur, tanquam ſimili ſuæ attemperaturæ ſono gaudens harmoniaq;. Eam verò ipſius concuſsionem feſtuca tenuis illi antè impoſita apertè declarabit. Multò maiora his miracula Deus optimus maximus etiam in hac rerum mūdanarum fæce excitauit, quorum fidem certiſsimam experientia quotidiana perficit, qua ſola percipiuntur, quæ totius ſubſtantiæ ſimilitudine aliquid per- *Lib. 6. ſimpl. in* ficiunt, nullaq; methodo planè conſtant, nec ratione actio illa *alyſſo et alibi.*

inueſtigari poteſt, quanuis in quibuſdam reddere conetur Galenus: vt in pæonia & alyſſo vim ſiccandi & digerendi inſignem tribuit, quibus ad curandam ſpumam opus eſt, ſed ſumptum alyſſum etiam agit & ſanat rubidum ipſum canem & hominem.

Hæc fuſius tractare poteram, & collocupletare remediis propè infinitis tota ſubſtantia operantibus, quæ partim ab aliis ſcribuntur veteribus, partim à neotericis & practicis, partim hodie in vſu ſunt frequentiſsimo ruſticorum, niſi libri magnitudinem immodicam fuiſſem veritus. Adde quòd non ſtatueram librum ſubſtituere de his quæ proprietate ſubſtantiæ totius quid agunt, quem Galenus aliquoties eſt pollicitus: an verò eum præſtiterit, ignoratur: nondum tamen inter eius opera comparet. Id aliquando aut mihi aut alteri latius fundere licebit & elegantius maximo mortalium emolumẽto. Nam illa & celerius & multò certius quod poſſunt præſtant, quàm quæ qualitatibus manifeſtis agunt, neque tanta egent aliorum ſimplicium miſtione, per quæ melius agant, aut ſine quibus non agant, aut per quæ conſeruentur. Licet eorum quædam aliqua ex his poſtulent, vt cancrorum fluuialium cinis morſum canis rabidi cum thure & gentiana præſtantius multò curat, quàm per ſe & ſolus: ne putes cum quibuſdam ea ſi miſcentur, vim ſuam perdere.

Lib. 11. ſimp. in cancro fluuiali.

Lib. 11. ſimpl.

Medicamenta hæc, quæ ſecundum aliquam totius ſubſtantiæ proprietatem agunt aliquid, ſiue ſumpta, ſiue admota, ſiue etiam appenſa, experientia ſola ſunt inuenta, & eadem probanda, an id præſtent, quod ipſis tribuitur.

Horum tamen non paucorum ratio quædam reddi poſsit, vt quòd omnia facultate incidenti prædita olfactu vel potu iuuant epilepticos: qua ratione pæonia his ſalubris, quæ tota ſubſtantia id facere aliis dicitur: item portulacæ hæmodiam ab acidis, acerbis, auſteris natam curantis, cauſa incognita Aphrodiſeo initio problematum, declaratur Ariſtoteli, ſect. 1. probl. 38. & Galeno, lib. 6. ſimpl. & lib. de opt. ſecta. His probatis fides eſt habenda: non autẽ incantationibus verboſis, nec vocibus barbaris quas præſtigiatores vſurpare conſueuerunt.

Lib. 10. ſimpl. in ſang. veſpertilionis.

Lib. 1. ſimpl.

MET

METHODVS COMPONENDI IN QVATVOR CONSISTIT.

PArtem operis hoc libro ſecundo inſtituti tertiam aggrediamur,& doceamus in quibus cõponendi medicamenta ratio conſiſtit. Ea verò vt reliquorum componendorum in tribus potiſsimum verſatur, rerum ſcilicet miſcendarum delectu, earundem quantitate, & forma compoſiti futura. Quæ tria etiam in quouis medicamẽto tam compoſito quàm ſimplici ſumendo, aut admouendo obſeruanda ſunt. Deligitur enim hoc vel illud medicamentum, verbi gratia, purgatorium, & datur hac vel illa quantitate, & forma vel catapotiorum, vel potionis, vel alia, quæ ægro gratior, & fini propoſito aptior fuerit.

Qualitas, quãtitas, tẽpus cauſarũ ſalubriũ, cap. 85. artis medicæ, & alibi paſſim.

Porrò miſcendæ res compoſito medicamento deligendæ ſunt, quæ plurimæ quatuor. Hæ quæ affectum præter naturam, hoc eſt morbum, morbi cauſam, ſymptomata abigant: aliæ, ſine quibus priores affectum abigere nequeant: aliæ tertiò, per quas melius primæ affectum tollant: poſtremo etiam miſcendæ, quæ dictas tres miſcendorum differentias foueant, & diu integras ſeruent. Ad hæc quatuor referendi ſunt ſcopi omnes componendorum medicamentorum, ſiue ipſa vnicum habent effectum, ſiue multiplex, vt theriaca, in qua multæ ſunt particulares compoſitiones, ſingulæ affectibus quibuſdam peculiariter efficaces. Quæ quatuor, omnibus inſunt aliquid efficientibus: ob id in ſingulis corporis inſtrumentis, id eſt, partibus actionem aliquam edentibus, à Galeno inquiruntur in lib. de vſu partium, vt in oculo viſionis inſtrumento, humor cryſtallinus eſt primaria viſionis cauſa, cæteræ oculi particulæ ſunt, aut ſine quibus viſio non fiat, aut per quas melius fiat, aut à quibus cæteræ conſeruentur. Pretioſiora verò diuitibus, viliora pauperibus deligenda, vt pòſt multis ex Galeno exemplis cognoſces.

Veruntamen vt in noſtri corporis inſtrumentis particulæ multæ vſum eundem ſæpe præbẽt generalem, vt oculum vena, arteria, neruus, & quæ ipſum ambiunt oſſa, conſeruant alia tamen atque alia ratione: (Nam vena ipſum nutrit ſanguine, quem defert, arteria etiam caloris in eo natiui temperiem ſeruat: neruus motum dat voluntarium muſculis, & tactus ſenſum, etiam oculi tunicis ad dignotionem

triſtantium : oſſa ipſa ſuperciliorum, pomorum, zygomatis, naſi à foris occurſantibus tuentur.) vt lib. de vſu partium docetur. Sic in medicamentis compoſitis multa ſæpe ſimplicia idem, vt videri poteſt cuipiam, pollentia miſcentur : ſed tamen quæ particulatim nonnihil differant viribus, vel ſaltem maioris & minoris ratione diuerſa ſunt. Adhæc vt idem polleant, hoc vni parti eſt familiare, illud alteri. Sed de his poſtea fuſius. Contrà in noſtris organis pars vna interdum ſubit vſuum duorum, vel trium, vel etiam quatuor ſimul rationẽ, vt linguæ tunica per ſe ſapores diſcernit, ſenſus in ea guſtatorius, aut potius animalis in ea ſpiritus eſt, ſine quo non diſcerneret, niſi etiam ab ipſo potiſsimum diſcerni contendas.

Eius tunicæ raritas eſt, per quam melius humores ſapore præditi in ipſam tunicam recipiuntur. Eodem pertinet tunicæ huius puritas, vt nec bile, nec pituita multa craſſa, nec alio humore præſertim ſaporem aliquẽ inſignem (qualis eſt ſalſus, amarus) ſortito imbuta & tecta occurſum & penetrationem rei guſtandæ prohibeat. Senſus autem guſtatus & tactus eadem tunica ſeruatur, quo vitat calidiora, frigidiora, & cætera noxia, excipit dulcia & ſibi familiaria.

Eodem plerunque modo in medicamẽto vno ſimplici hi quatuor ſcopi inueniuntur, vt in caſia per ſe data : interdum in duobus, vt in rha barbaro cum terebinthina: nonnunquàm in tribus, vt cùm prædicto panis azymus additur: eſt quando in quatuor ſimul miſtis, verbi gratia, in tetrapharmaco, vt ſingula vnicum habeant ſcopum.

Gal. initio lib. de antid.

Cùm igitur medicamenta compoſita fiant omnino præſtantiſsima, tum ob ſimplicium quæ iniiciuntur probitatem, tum ob miſtorum virtutis proportionem, magna vtriuſque habenda eſt ratio : non neglecta interim forma compoſiti, quæ quantam vim habeat, poſtea dicemus. Vnumquodque autem eſt præſtantiſsimum, quod proprium generis ſui odorem & ſaporem habet valentiſsimum, vt de croco, caſia, cinnamomo, ſtyrace, & cæteris in theriace, & paſsim in aliis compoſitis obiter admonebimus. Proinde optima quæque à medicinalis materiæ peritis vno cõſenſu commendata, ſæpe & diu tibi ſpectanda ſunt, vt noſcas, & ab aliis deterioribus ſecernas, odore præſertim ac ſapore: quãuis & color in nonnullis rectè deligẽdis non parũ conferat Dioſcoridi & Galeno,

no,ſed etiam & locus. Ob id poſtquàm traditas ab vtroque in ſingulis ſimplicibus notas obſeruaris, maximum eſt inſpicere,in qua regione vnumquodque ipſorum gignatur præſtantiſsimum, in eamq; tibi eſt proficiſcendum, vbi optima ſunt ſingula: vt Galenus in Cyprum vectus,cadmiam largam,diphryges,ſpodium,pompholygem,chalcitin, miſy,ſory,chalcanthum retulit: ex Syria verò Palæſtina,opobalſamum: ex Lemno,terram ſeu ſphragidem Lemniam (cuius ſolius gratia in Lemnum nauigarat) tanta copia attulit, vt tota vita illi ſufficerent. *Lib.9. ſimp. et de antidot.* Quòd ſi ad regiones eas proficiſci vel nauigare non detur,ſaltem per amicos fideles indidem accipe, vti Galeno ex omni natione, præſtantiſsima quotannis afferebantur amicorum fideliũ cura & induſtria. *Lib. 2.c.ph.g.* Nam perditi horum coëmptores omnia vitiant,& variis modis contaminant.

Quæ autem in ſingulis regionibus præſtãtiſsima gignantur,Dioſcorides libris 5.& alij celebres viri deſcripſerunt: vt,

Irim, Ami	Illyricam.	Chamædrin, Chamæpityn, Hypericum, Daucum, Gentianam, Aniſum, Thymum, Thlapſi, Ariſtolochiã, Veratrũ nigrũ, Glycyrrhizã, & ſuccũ ei⁹	Creticũ.
Phu, Caſtorium, Agaricum	Ponticum.		
Bitumen, Opobalſamũ	Iudaicum.		
Petroſelinum, Meũ Hiſpanũ &	Macedonicũ.		
Cuminum,	Aethiopicum.		
Elenium, Elleborum & ꝓpè cætera calida, tenuium partium	Ex editis & ſiccis locis.	Sordium,& alia permulta, de quibus paulò pòſt,& lib.3.& 4. in theriace dicam.	
Hyſſopum, Calaminthe, Amomum	Mõtana hortẽſi et cãpeſ. melior. Scythicũ,ibidem.	Hyſſopũ Ciliciũ, Dioſc. Creticum Archigenes, lib.8.comp. ph.part.	

Sic medicamentum purgans bonum decernit Meſues tota ſua ſubſtantia per lõgam experientiam cognita: quæ etiam mala quædam iudicauit,aut toto genere,qualia ſunt daphnoides,lathyris,euphorbium,ſagapenum,& alia violentiora: aut ſpecie

ſpecie accidentali, vt turbith nigrum, agaricum nigrum, colocynthidem vnicam in planta, ſcammoniũ de regione Scenitarum. Bonum quoque deligit ſapore nobis iucundo & odore familiari, & colore non ingrato. Contrarium reiicit, ceu naturæ noſtræ aduerſum, aut parum propitium, vel miſtis aliis corrigit. Item in propriè purgatoriis attrahendo ſcilicet ea præfert, quæ rariora, leuiora, & igni propiora: vt agaricum, ſcammonium, colocynthidem, aloën, turbith, polypodium, præter pauca quædam, vt caſsiam fiſtuloſam, cnicum, ricinum, irim, hermodactylos, lapidem cyaneum & Armenium, quorum bonitas præcipua in grauitate ſpectatur, eorum plenitudinem aut naturalem ſubſtantię compactionem declarante. Quæ dos rha barbaro, abſinthio, myrobalanis comprimendo etiam purgantibus adeſt. Nec parum illi ad delectum conducunt tempus collectiõis & cuſtodiæ, ac locus natalis, & conſeruationis.

Dulcia, inſipida, ſtyptica, vomitoria, rara, virtutem nacta aut ſuperficiariam, aut imbecillam, vt violas, roſas, fumariam, adiantum, lupinos, recentia præfert veteratis. Contrà autem acria, denſa, virtutẽ validam aut penitiorem ſortita, quò vetuſtiora eò valentiora putat, modò ætate longa non ſint exanimata. Dulcia verò & ſalſa ætatis mediæ commendat.

Sic cœlum pluuium plantis calidis ſiccis vires minuit, frigidis humidis auget: calidũ verò ſiccum contrà. Quapropter & Galenus in antidotis plãtas Creticas plurimas cęteris præfert, vt paulò antè dixi: quibus tamen, inquit, non cedant Italicæ, præſertim ex locis æditis, & dum cœli conſtitutio humida non fuit. Ob hæc plantæ humidiores in locis humidioribus humidiſsimæ euadunt: in ſiccioribus temperatiores, vti & animalia. Quod Hippocrates dicebat, naturarum hæ quidem ad æſtatem, hæ verò ad hyemem bene maléve ſe habent. Sub cœlo regionem & flatum ventorum comprehendimus. Neque omittenda eſt alimenti cuiuſque proprietas, quam plerunque vitiat ſoli natura, aut cœli, aut aliarum rerum, vt fimi, ſtercoris, plantarum odio diſsidentium: vt contrà quædam perficiunt: ſic rhaphanus aut ſcilla hermodactylum meliorem facit, & hyſſopus epithymum, & quercus polypodium: contrà, lathyris ſcammonium vitiat, & braſsica vitem.

Aph. 2. lib. 3.
Lib. 9 metho.

Purgan

Purgantia cum his reponãtur & vſurpentur, quæ vim eorum meliorem & tutiorem efficiunt, non augent verò acrimoniam. Ne iunge igitur ſcammonio lathyrin, vel tithymalli genus aliquod, ſed maſtichin & ſpicam, quæ omnia acria medicamenta corrigunt. Purgantia ex herbis ante triennium ferè languent, præter vtrunque elleborum. Virtus igitur ſimplicium à regione proficiſcens non eſt negligenda: quanuis calidæ tenues ex Creta plantæ ſi ſint, Italicæ aut ſimiles ſunt, aut non multò Creticis inferiores, ſi ver totum æſtatis modo ſiccum fuerit, nec plantæ ipſæ multo imbre irroratæ.

Medicamenta item deligantur omnia in ſuo vigore, & eadem bene habita: fugienda autem ceu ignobiliora quæ in ſuo genere ſunt tenuiora & graciliora, aut enormiter procera: quòd illa viribus, alimenti penuria careant: hæc verò vires alimẽti copia obrutas habeant. In quolibet enim genere præſtant, quæ nec rugoſa, nec exilia, neque modum excedentia, ſed quæ bene nutritam & conſtrictam habent ſubſtantiam. Ob id nec crocum, nec ſcillas, nec viperas vel emaciatas vel immodicè magnas ad theriacen Galenus expetit, ſed mediocres. Eadem verò proprium generis ſui odorem habebunt valentiſsimum, & in guſtus qualitate proprietas cuiq; generi ſua, ſi præpolleat, optimum declarat medicamentum, præſertim ex plantis ſumptum, nec his omnibus, cùm quædam ſint, quas citra periculum guſtare non liceat. Viperæ verò & alia quædam medicamentorum genera notis aliis ſuo loco partim dictis, partim dicendis præſtantiſsima deligentur. *Lib. 1. antidot.*

Sic primæ notæ virtutis propriæ mellis ex ſapore dulci & acri ſumuntur, quem vtrunque ſi habet valentiſsimum, quatenus melli datum eſt, optimum eſt mel, modò adſint aliæ quoque notæ ab odore, colore, conſiſtentia, & partium coalitu: vt videlicet ſit etiam pallidum, aut ſubflauum, odore iucundo in thymum inclinante, non improbè thymum referente, quia id thymo minutim inciſo adulteratum eſt: ſubſtantia item neque craſſum ſit & grumoſum, neque nimis liquidum, ſitque vnitum per totum & glutinoſum, vt ſi digito attollatur, viſci modo longiſsimè continuitatem ſeruet, nec abruptum à ſe diuellatur. Hæc enim mellis optimi ex peculiari eius natura ſunt perpetua accidentia. Sic cætera compoſitio *Lib. the. ad Piſonem.*

poſitionem facientia medicamēta ſingulatim & accuratè explora, quia vnius cuiuſdam vitium ſæpe omnia corrumpit.

Ob id in cæteris ſimplicibus medicamentis saporē & qualitates cæteras ſenſibiles re ipſa nō lectione ſola explora: nam experientia longa cuiuſque medicamenti facultatem indicat. Sic mellis quoddam genus eſt inuētum, quod largiùs coctum & deſpumatum, aut etiam citra hanc coctionem ſola vetuſtate in vinoſam qualitatem tranſit, à quo theriaca vinum odore & ſapore mentitur, quæ minùs proba eſt: quemadmodùm etiam improbatur, quę acido eſt ſapore, aut ex vino nec optimo nec vetere, aut ex pane malè confecto & largiore copia miſto cum carnibus viperinis. Sed de his ſuo loco.

Lib.1.antidot. Fructus item plantarū deligantur non modò, vt diximus, bene habiti, fœcundiores, ampliores, ſubſtantia compactiore, ex regione legitima, & lecti in ſuo vigore, ſed qui ſurculis adhuc hæreant, ex quibus alimenti adhuc nonnihil trahentes aliquandiu minùs minuuntur, & ob continuitatem cum ſurculis, calor illorum natiuus in aërem ambientem minùs exspirat. Ob id nec rugoſi immodicè ſunt, quales ſunt fugiendi, vt leues, rari, exucti, tempore lōgo rabidi. Quando nanque in compoſitis medicamentis ſcribitur euphorbium, thapſia, ſuccus aliquis aut liquor, flores, folia, fructus, radices, ſemina, vigentia ſemper accipe, fuge vetuſtate langueſcentia. Vetuſtas autem cuique ſua eſt. Thapſia enim recens vehementior, annua mediocris, bima minùs efficax, trima inutilis.

Metallicorum facultates diu vigent, tamen longo temporis ſpatio etiam langueſcunt: quædam nanque ex his anno viceſimo aut triceſimo adhuc ſunt vtilia, quia non elanguerūt, nec omnino declinauerunt. Cuique enim ſuus vigor eſt & ſua declinatio, atque ſenium. Vigor odore & ſapore, interim colore & conſiſtentiæ craſſamento his qui ſæpe viderunt noſcitur.

Cortices item radicum in totum multò ſunt vtiliores ipſis earum medullis, lib. 1. antid.

Chamæpitys & chamædrys campeſtris eſt generoſior: aliæ tamen herbæ plurimæ in campis genitæ ſunt imbecilliores: in montibus & locis æditis valentiores.

Lib.4.ſanit. tuenda. Rutæ folia modicè ſiccata dioſpolitico miſcenda: nā pluſculum ſiccata, acria, amara, iuſto calidiora redduntur: nō ſiccata

cata

cata excrementoſum quędam humorem retinent, nondum ex toto concoctum, cuius vitio flatū diſcutere minus poſſunt.

Thymum ſit Atticum, aut planè ex editis locis & ſiccis: coma autem eius cum floribus eſt miſcenda medicamentis: lignoſum verò quicquid eſt, abiiciatur. *Ibidem.*

Piper longum & zingiber, ambo integra & minimè perforata: nam ambo perforari ob humiditatem excremētoſam celerrimè ſolent. Piper longum qualitatem piperis planè habeat, nec maceratum ſoluatur, nec ſit foraminulentum. *Ibidem.* *Lib. 4. ſanit. tuendæ in diatrion. pip.*

Piper nigrum nec ſit exile, nec rugoſum, nec craſsi corticis, ſed graue, maximum, pleniſsimum. Album maximum ſit, ſimiliter & pleniſsimum.

Seſeli ſit Maſsilienſe. Petroſelinum Macedonicum, & præcipuè Eſtreaticum.

Calaminthe, Thymum, Pulegium potiſsimùm ex Creta: ſin minùs, certè ex regionibus editis & ſiccis. *Ibidem in dia calaminthe.*

Ex herbis abiecto lignoſo & duro ad medicamenta accipiantur folia, & ea maximè, quæ ſubtiliſsima & virentiſsima, & in ſummis herbis nata, adhæc flores, & cum his feſtucæ minutiſsimę tenuiſsimæ. Hęc mediocriter ſiccata tunduntur, cribrantur tenui vel craſſo cribro pro vario ſcopo, vt dicitur in his quæ melius reddunt compoſitum. *Ibidem.*

Sidera etiam quorundam vigorem augere nonnullis eſt perſuaſum, ob id Aeſchrion cancros fluuiatiles ad morſum canis rabidi per cynocaumata frequentiſsimi, vrebat poſt ortum canis, quandò ſol in Leonem tranſiiſſet, non niſi luna decimaoctaua. *Lib. 11. ſimp. in cancris.*

Alyſſos ad morſum canis rabidi efficaciſsima herba, ex totius ſubſtantiæ ſimilitudine, legenda ſub æſtu Caniculæ: & ſiccata contundi, cribrari, ſeruarique debet, ne diffletur. *Lib. 3. antidot.*

Scalpturas, vt draconis radios habentis in iaſpide viridi damnat Gal. lib. 9. ſimpl.

Efficaciſsima item ſunt remedia, quæ affectui partis vt intemperiei medentur, & ſimul partem ipſam nutriunt ſubſtantiæ totius ſimilitudine, vt vua paſſa in affectibus hepatis & vinum ſaluberrimum, ſi ægrotent ſine phlegmone, eryſipelate, abſceſſu, calida intemperie ipſius vel aliarum partium principum, vel totius. Nam alit, coquit, roborat, putredinibus reſiſtit, intemperiem frigidam humidam, ſi qua adſit, tutò perſa-

nat.

nat. Eadem melli adſunt, niſi quòd ſubſtantiam nõ cogit corporum, quibus adhibetur: ob id nec ea roborat, ſed eius loco terget, orificia aperit, tranſitus purgat, vrinas mouet, ac nutrit: illa nõ deſpumatum, hoc deſpumatum potentius præſtat. His verò nutritoriis medicamentis ſi affectus non cedit, ad ea quæ ſolùm ſunt medicamenta, tranſeundum eſt.

Lib. the. ad Piſonem.

Medicamenta probatiſsima & vigẽtia deliguntur ad compoſitionem, à natura morbi, & ægri, & medicamenti: vt enim curatoria indicatio prima eſt à natura morbi, ſecunda à natura totius vel partis: ſic medicamenti componendi ratio additur & natura medicamenti: vt ſanguini ex pulmone educto per vas apertum conueniunt aſtringentia, vt acacia, roſa, balauſtium, malicorium: per vas ruptum, etiam aſtringentia, ſed ſimul glutinantia, & ſine morſu ſiccantia, vt gummi hederæ. Sed cùm tam aſtringentia quàm glutinoſa & emplaſtica vias ſibi præcludant, calida & tenuium partium: vt cinnamomum, caſia, amomum, coſtus, piper, myrrha, eis ſunt miſcenda, quæ illis vias præparent, & ea in corpus deducant: licet alioqui vaſorum apertioni & rupturæ, & præterea eroſioni curandæ maximè aduerſentur. Ob id ea non miſcentur ſanguinis reiectioni ex gula, ventriculo, inteſtinis, vti nec frigida, & narcotica, ſputo ſanguinis maximè ſalubria, dum frigiditate ſiſtunt ſanguinem ad vas affectum ruentem, propter dictam priùs cauſam, quòd ſcilicet viam ſibi præcludant.

Initio lib. c. ph. part. Libro 7. c. ph. part.

Scopi compoſitionis medicamenti in ſputo ſanguinis.

Li. 4. method.

Præterea omnium internarum partium communis deligendorum medicamentorum indicatio eſt, vt ea eligantur, quæ animalis naturæ ſunt maximè familiaria: fugiantur & reſpuantur contraria, vt ærugo, æris ſquama, æs vſtum, cadmia, pompholyx, lithargyros, ceruſſa, vlceribus quidem externis ſunt innoxia, interioribus verò non adhibenda.

QVOMODO BASIS DELIGATVR.

Lib. 5. ſanit. tuendæ. in fine: quod præceptũ omnibus cauſis ſalubribus eſt commune.

Medicamentum itaque primum eſt deligendum, quod facultatem habeat curando affectui contrariam: vt in frigido affectu calfaciens: in calido refrigerans: intenſo laxans, & contrà: in raro denſans, & contrà: & in cæteris ſimiliter deliges. Neque tamen ſufficit inueniſſe & delegiſſe facultatem affectui contrariam, ſed æquipollentem etiam, & quæ à medio in diuerſum æquè recedat, vt in morbo calido, id eſt, per quem

pars

pars eſt calidior ſuo temperamento ordinibus, verbi gratia, duobus, refrigerans duobus gradibus inueniendum. Eadem ratione in multum tenſo, valenter laxans: in parum denſo, modicè rarefaciẽs: & in cæteris ad portionem. Affectus curandi ob id tota natura tibi notiſsima, tibi ob oculos ſæpe ponenda, vt remediũ inuenias illi profligando idoneum, & quod nec eius reliquias in corpore dimittat: nec etiam vltrà quàm opus eſt agendo affectũ in corpus inuehat priori contrarium: quod accidet, ſi affectui, verbi gratia, calido numeris duobus adhibeas refrigerans medicamentum numeris tribus. Nam victa caliditate, frigiditatis vnum gradũ in corpus imprimet. *Lib.9.meth. ad finem.*

Id verò medicamentum à quibuſdam & radix & baſis totius compoſiti vocatur, ſicq; clarioris doctrinæ gratia paſsim appellabimus. Eſt autem id, à quo primaria & præcipua medicamẽti totius actio proficiſcitur, & cuius cauſa cætera adhibentur, per quæ ſcilicet hoc melius agat, vel ſine quibus hoc non agat, vel quæ etiam totum conſeruant. Vt enim fundamenti firmitas reliquum probè ſuſtinet ædificiũ, & linea cui appictæ aliæ figuram conſtituunt, eandem velut erigit, ſic baſis hæc: ob id fundamentorum & baſium in architectura eſt ſemper habita magna ratio: vti radicum in agricultura, quòd ab his tota plantæ vita procedat, & in componendis medicamentis baſium, & in corporis noſtri inſtrumentis anxiè quærenda pars eſt actionis cauſa, princeps & primaria. Cùm igitur tantarum ſit virium ea baſis & radix componendi medicamenti, multa cura, præcipuumq; ſtudium in ea probè deligenda ponendum eſt. Quam in rem noſſe omnino debes, vt prædiximus, omnium ſimpliciũ facultates, & totam morborum omnium eſſentiam: deinde inire tecum rationẽ, an cum hoc vel illo medicamento his viribus prædito, talis & tantus affectus poterit exactè profligari, & pars ad naturalem habitum reſtitui. Cùm autem plerunque ad manum nobis non ſint ſimplicia ſic affectui contraria, vt eius naturam attingant & æquent, ſed magna ex parte vel ſupergrediantur, vel ſint multò inferiora: tunc ex multis ſimplicibus in vnum miſtis baſim molimur, vt ex calido ad tertium gradum & altero calido ad primum gradum æquali portione miſtis, medicamenti baſim calidam ſecundo gradu efficimus, ſi talem medicamenti ſcopus, & curandus ab eo affectus requirit: quomodo

ſi columna hæc abacum ex lapide ſimplici & tam craſſo & tam lato requirit, hic autem deſideratur: ex multis in vnum glutinatis abacum idoneum molior. Quomodo item ſi columna baſim quadratam poſtulet, habeo autē tantum lapides duos exactè triangulos & æquilateros, quorum neuter per ſe columnam tutò ſuſtinere poſsit: iis duobus lithocolla idonea tanquàm ferruminatis baſim efficio quadratam, compoſitam quidem, ſed nihil aut minimum ſimplici inferiorem. Sic plerunque vſu venit, vt ſimplicia habeamus duo aut inter ſe contraria ſolum, aut etiam quorum vtrunque per ſe, & ſeorſum eſt affectui curando aduerſiſsimum & nocentiſsimum: ambobus tamen certa quantitate miſtis efficitur medicamentum longè præſtantiſsimū, eaq; cōponendi ex cōtrariis ratio in tota medicina frequētiſsima eſt, & methodo cōſtat exactiſsima.

In omnibus enim affectibus generoſa medicamēta ex contrariis componuntur. vt ſtomaticum, diamoron & diacaryon, & alia permulta ſucco mororum aut viridium corticum nucum, & interdum galla, aceto, rhoë & ſimiliter aſtringentibus, & vehementer repellentibus conſtant: adhæc myrrha, melle, & aliis permultis digerentibus, & prætereà lenientibus, coquētibus. Quædam autē non modò ex contrariis inter ſe cōſtant, vt digerētibus repellentibus, vt diabeſaſa Andromachi, ſed validis vtriſque: alia valentioribus digerentibus quàm aſtringentibus: alia contrà, aucto ſcilicet alterutro aut diminuto, pro affectus præſentis natura, & ægri, & aëris.

In fine lib. 6. c. ph. p. & lib. 1. c. ph. p. & initio lib. 3. meth. Ex contrariis autē non modò inter ſe, verùm etiā ipſi affectui per ſe nocētibus efficaciſsima fiunt medicamēta, vt oleū per ſe omni vlceri eſt nocentiſsimum, quia humectat, & ſordes parit: omne autem vlcus ſiccantia & tergentia requirit. *Ibidem.* Chalcitis autem quia vehementer rodit, & ærugo, vlceribus maximè nocent: ex ambobus autē miſtum optimum fit remediū: ſic ceratū & ærugo per ſe carni generādæ in vlcere cauo ſunt cōtraria: miſta verò idonea menſura (quæ cuique vlceri & naturæ ſua eſſe debet) ſarcoticum efficiūt laudatiſsimum.

Contraria autem hic intellige non modò propriè dicta, vt calidum frigidum, tenſum laxū, repellens attrahens: ſed etiam quæ eiuſdē ſunt ſpeciei, ſed maioris & minoris ratione ſunt diuerſiſsima, vt ſummè & minimū aſtringens: item ſummè & minimum laxans, vel digerēs, vel calfaciens. Compoſita

igitur

igitur ex contrariis tam congeneribus quàm diuerſi generis ſunt multiplicia. (Contraria autem congeneria voco, vt ſummè aſtringens, minimum aſtringens, & ſimilia. Contraria autem diuerſi generis, vt aſtringens ſeu denſans & laxans, frigidum calidum.) Primò, cùm in congeneribus vehementi miſceo mite alterũ quòd medio indigeam, vt roſarum florem, vel roſas ipſas, vel aliud ex clemẽter aſtringentibus cum galla, vel alumine, vel alio valenti: ſic cum calido frigidũ miſceo, ſi amborum medio egeo, quod nec refrigerat, nec calfacit: ſi autem portione inæquali ambo miſcueris, ex hac variatione compoſitorũ medicamentorũ numerus erit maximus: quinetiam duobus quibuſdã diuerſo pondere miſtis, magna compoſitorum multitudo efficitur: vt ſi roſarum flos & alumen æquali portione miſcentur, tunc medium erit extremorum medicamẽtum vel flos duplus, triplus, quadruplus ad alumen, tunc mitiſsimum fuerit medicamentum: aut contrà, alumen duplum, triplum, quadruplum ad florem roſarum, tunc vehementiſsimum fuerit medicamentum, ratione maioris & minoris in vtroque diuerſiſsima pro portione alterutrius maiori aut minori. In quibus ne quære quod præſtantiſsimum, omnia enim reſpectu ad aliquid iuuant vel nocent. Iuuant enim, cùm tempeſtiuè talia & tanta corpori adhibẽtur, quando talia & tanta corporis affectus præter naturam poſtulat: nocent, ſi quid horum deſit. Quod ſæpe accidit vires remediorum & naturas affectuum ignorãtibus, ob id ſæpe coactis ſine methodo ad alia atque alia remedia tranſire. Lib. 8. c. ph. p.

Sic ſi in pulmonibus apertũ eſt vas, remedia tibi inuenienda aſtringentia, quæ contrahant: ſi ruptum, quæ ſiccent ſine morſu, aſtringant & glutinent: ſi exeſum ſarcotica, additis boni ſucci alimẽtis & renutrientibus. Neq; ſolum baſim facimus miſtis pluribus contrariis, ſed etiã ſæpe idem pollentibus: quia vnius larga ſatis quãtitas nobis nõ ſuppetit: vt ſi anodynon volo, id decocto chamæmeli paro: quod quia parcius mihi adeſt, quàm opus eſt, quod deeſt, reſarcio per melilotum.

Miſcentur ergo medicamẽta vel cõgeneria, id eſt, eiuſdem generis & facultatis, vt aſtringentia omnia, ſed alterũ ſummè, alterũ minimum, vel diuerſi generis. Congeneria quidem, vt multa horum extremorũ media habeamus maioris & minoris ratione diuerſa ex mẽſura miſtionis huius vel illius extre-

mi,quod in omni affectu eſt optimum,& ad remediorum copiam præſtantiſsimum. Quæ larga remediorum ſupellex etiam nobis adeſt, ſi duo affectui per ſe noxia miſcemus: vt oleum & æruginem, vel chalcitim in medicamento ſarcotico, vt aliquoties diximus.

Diuerſi verò generis medicamenta miſcemus non ad ipſorum copiam ſolum, ſed quia rari ſunt affectus, qui ſola vel aſtringētia vel digerētia requirāt. Si enim paruus eſt affectus, per ſe deſinit. ſi maior eſt futurus,per ſola repellētia non perſanatur, præſertim corpore multis humoribus pleno: aut ſi pars affecta natura eſt imbecilla. Ob id cogimur ſæpe vel ſtatim ab initio vel paulò pòſt aliquid digerens miſcere,& ſi dolor vehemens vnà affligit,etiam mitigatorium. Si cõplicati ſunt multi affectus, ſcopi plures erunt inuentionis & compoſitionis remediorũ: vt ſi ſimplex vulnus eſt cum contuſione, vnus à vulnere eſt medicamentorũ glutinantiũ,alter à contuſione digerentiũ aut coquentium,tertius à dolore vel in parte icta,vel etiam illi continua,& is ſcopus anodynorũ:vel ſi hæc non ſufficiunt,narcoticorũ: vbi videlicet victis omnibus,horum maxima eſt neceſsitas. His enim temerè non vtendum eſt,ob noxam corpori & ſæpe affectui ab his impendentem.

Baſibus prætereà diuerſis ſæpe opus eſt,quòd medicamentum ſit polychreſtum,id eſt,multis ſimul affectibus ſalubre,vt theriace,mithridatios,& alia permulta: tuncq; tot baſes deligere oportet,quot actiones à medicamēto exigimus, niſi fortè in vno ſimplici plurium vſuum vis claudatur:vt in rhabarbaro,aloë,abſinthio,facultas cholagωga ineſt, & ſtyptica,quibus duabus virtutibus ſi affectus eget, vt cùm bilis flaua os ventriculi obſidet, ſimplicia hæc duarũ baſium loco fuerint. Eadem ratione ſi ex pulmone craſſum & lentum humorē ſim educturus,miſcenda ſunt incidentia, tenuantia, tergentia,expulſioni parantia,purgantia,& lenientia,ne exaſperatio dolorifica his ſuccedat: ſic omni vlceri conueniunt ſiccantia, tergentia,quia ei perpetuò adſunt ſanies & ſordes, maior vtraq; valentioribus, minor mitioribus remediis ſiccantibus & tergentibus indigens. Eodem habet modo in affectibus omnibus complicatis,niſi qui naturā habent eandem: vt ſi tertiana febris eſt, ipſa enim affectus calidus ſiccus à bile flaua calida ſicca, quo caſu refrigerantia & humectantia intendere ſolum

opus,

opus, quia febris ipſa & eius cauſa bilis flaua putrens eadem genere remedia poſtulant: ſic ladanum per ſe capilli defluuium ſiſtit, quia raritatem cutis aſtrictione ſua denſat, & ſanguinem benignum per caliditatem ſuam attrahendo, ſubſtantiæ pilos generantis inopiam corrigit. Quæ raritas cutis & alimēti penuria duæ ſunt pilorum fluentium cauſæ, quarum priorem aſtringentia tantum corrigūt quidem: poſteriorem verò augent, nam ſanguinem à parte repellunt, & ob id etiam pilorum defluuium augent, ſi ambæ hæ cauſæ illos deturbēt: ſed calore ladani vehementia repulſionis lenitur. *Lib.1.c.ph.p.*

Quòd ſi medicamētum ipſum ſimplex eſt imbecillum, eius duplum eſt miſcendum, vt in hemicrania veteri ponendum eſt duplum euphorbii bimi aut trimi loco recentis. Sic epithymo ad purgādam melancholiam imbecillo adduntur elleborus niger, ſenna: cneco phlegmagωgo, ſcammonium, agaricus, turbith: rhabarbaro cholagωgo ſcammoniatū aliquid, niſi ſimplicium horum quantitatem multum augere mauis. Ratione eadem pro cinnamomo duplum optimæ caſiæ vel carpeſii, & in aliis ſimiliter. *Lib.2.c.ph.p.*

Si verò eſt valentius, vires eius aliis ſunt remittendæ, vt in alopecia euphorbii & thapſiæ vim valentē frangit Gal. oleo, cera, thure, melle, adipe, vel humiditate quauis oleoſa. Sic pſilothrorum, id eſt, pilos auferentium medicamentorum ex ſandaracha, arſenico, calce viua, virtus vehemēs miſtura imbecillorum medicamentorum: vel liquidorum, vt vini, mellis: vel aridorum, vt amyli, terræ ſelenuſiæ, frangenda. Sic ſcammonium quarto ordine calidum, eſſentiæ tenuis, virium omnium ſubſtantiam maximè diſsipans frangitur per contraria tota ſubſtantia, & qualitate: & vires roborantia, vt per dactylos in diaphœnico, per pruna in diapruno, per ſuccum roſarum in cathartico diarhodo, per carnem cydoniorum in diacydonio purgatorio, cuius meminit Gal. lib. 1. alimentorū. Quæ frigida ſunt, craſſæ eſſentiæ, aſtringentia partium ſubſtantiam & cogentia. Quibus alia adduntur, vel his adminiculantia, vel partes principes iuuantia totius ſubſtantiæ proprietate, vt poſt in compoſitorum enarratione patebit. *Lib.1.c.ph.p.* *Ibidem.*

Item ſiqua in eo eſt ſubſtantia aut qualitas corpori vel affectui nocitura, aut etiam medicamenti actioni, ea antè vſtione, lotione, vel alia quauis ratione tollatur, aut miſtis aliis corri-

gatur & frangatur. Ob id metallica ſæpe vrimus, vt tenuiora fiant: & lauamus, vt mordacem acrimoniam vlceribus noxiam tollamus. (Nam mordacia in vlceribus vitamus, vt exaſperantia in phlegmonis, præſertim dolorificis) ſcammonii & aliorum valentium vires corrigimus & obtundimus aliorum miſtione, vt in antidotis catharticis patebit. Sic errhina valentia mitigat Galenus lacte muliebri, vel aqua, vel alio.

Sic ſuccus ireos per ſe calidus eſt, cum aceto autem non calfacit, lib. 2. comp. ph. part.

Lib. 4. meth. *Lib. 13. meth.* Eadẽ ratione in vlcere gulæ medicamẽta deligit Galenus non modo vlceri curando idonea, ſed quæ nullam vlceribus propinquis, vel deglutiẽdo contactis, noxã inferãt. Ob id etiã ſtomaticis non vult miſceri chalcanthũ, ſori, miſy, chalcitim, diphryges, æs vſtũ, ſquamã ęris, ęris florẽ, quia noxia hęc ſunt deuorata gulæ, vẽtriculo, & cæteris partibꝰ vẽtris inferioris.

Ab effectibus pręterea magnitudine variatur medicamẽti non genus ſed vehemẽtia, vt achoribus paruis & adhuc incipientibus ſufficiũt mediocria digerẽtia vino merſa: diuturnioribus autẽ & maioribus valida debẽtur: curatu verò difficillimis & longiſsimis valentiſsima. *Lib. 1. c. ph. p.* Sic alopeciæ incipienti ſufficiũt purgationes, vna quidẽ per catapotia ex aloë, duæ verò ex hiera diacolocynthidos, prior ex drach. eius. 4. poſterior ex drach. 5. ſine errhinis & apophlegmatiſmis & topicis remediis, quę veteratis ſunt neceſſaria pręſidia. Validis enim medicamentis initio affectuum non eſt vtendũ, niſi ſint extremi: ſed mitiganda ſunt eorũ miſtura, quæ vim illorũ validã diſſoluant, quod paulò antè docuimus. Sic imbecilla medicamenta ſuperficiariis affectibus & genitis ab humore pauco, nec craſſo, nec lento, nec impacto adhibẽda ſunt. Valenter autem digerẽtibus eſt opus, ſi affectus eſt profundior, & ab humore multo, craſſo, lento, valẽter impacto. *Lib. 1. c. ph. p.* *Lib. 4. c. ph. p.* *Lib. 2. ad Glaucon.* Sic in alopecia contumaci & inueterata validis medicamẽtis miſcet Galenus ceratum liquidũ, in parua & incipiẽte imbecillis medicamẽtis, oleum laurinũ. Sic medicamẽtis phlegmones ſcirrhodis quędam ex liquoribus acribus miſcẽtur, & medicamẽtis ad pterygiũ & ſycoſin quiddam ex medicamẽtis excedentibus. Sic maligna & putrida vlcera poſtulant medicamenta acriora, & quæ ignis vires habent, quale eſt miſy, ſori, calx, ſandaracha, arſenicum, cùm cætera vlcera requirant medicamentum ſiccans

cans & tergens ſine morſu & vehementi irritatione.

Ab affectus verò tẽporibus, etiã ſæpe medicamẽti genus mutatur, vt incipientibus achoribus, ſine totius cacochymia ſaltẽ multa, aſtringens & repellens remedium eſt parandum: increſcentibus verò repellens quod influit,& coquens ac diſcutiens, quod iam influxit. Sic phlegmonæ incipienti,ſi moderata eſt,ſufficiũt repellentia mediocria, qualia ſunt omnia frigida: ſi verò violẽtior fit affluxus,valentioribus repellenlendũ,auſteris ſcilicet, ac interdũ etiam acerbis. In augmẽto aſtringẽtibus digerens aliquid miſcendũ, in ſtatu digerentiũ vis intendenda, in declinatione his propè ſolis vtendum,niſi prope partem principẽ ſit,& in collo,alis,inguinibus:aut materia ſit peſtillens,aut craſſa,& valẽtius impacta.Nã in omni humorũ in aliam partẽ affluxu cõmunis auxiliorũ ſcopus eſt repellendi & repercutiendi: vbi verò nihil amplius influit, quod impactũ eſt,digerẽdi.Sic gargareonis phlegmonæ initio adhibenda,quæ materiæ affluxũ repellant,mediocrẽ quidem,mediocriter aſtringentia ſcilicet auſtera,vt roſa,flos roſarũ,& cætera prius dicta: vehementẽ verò valentius aſtringẽtia,ſcilicet acerba,vt balauſtia,malicoriũ: ſi verò iam cõſtitit fluxio, digerẽtia miſcemus. Nam quouſq; aliquid influit, repellendũ:vbi conſtitit,coquendum: deinde digerendũ. Sic diamoro nunc cum repellentibus,nunc cũ coquentibus,nunc cum digerentibus rectè quis vtetur in phlegmonis oris, ſi eius vſum pro generalibus illis ſcopis mutauerit. *Lib. 10. c. ph. p.* *Lib. 6. c. ph. p.*

Initio fluxionum,vt in phlegmone,quod influit, eſt repellendũ,cæteris temporibus digerentia repellentibus miſcenda ſunt, vt in incremento repellentia præpolleant in declinatione digerentia: in ſtatu amborum æqualis portio. Si verò reliquiæ quędam inflammationis,velut in ſcirrhum induratæ ſuperſint, ſolis digerentibus agendum eſt corpore puro. Qua methodo qui vtetur, & ſimplicium medicamentorum vires nouerit, nunquàm auxiliis idoneis deſtituetur, vbi vbi fuerit.Nam priuſquam toti corpori ſit proſpectum,ſi afflictę parti medicamentum acre & calidum admoueas,trahit more cucurbitulæ ex toto corpore in afflictam partem ſuperuacua, & ei grauatæ ſic affigit,vt ægrè auelli queat. *Ibidem.* *Lib. 4. meth.*

Cùm ab affectu præter naturã indicationẽ primam deligendi medicamenti ad compoſitionem idonei diximus, non

à morbo tantum ipſo, ſed etiã à cauſa adhuc præſente & interna, cuius propriè eſt præcautio, intelligimus & à ſymptomatis, licet hæc primò & per ſe nihil curatorium indicent.

Lib.12.meth.

A cauſa enim ſumitur indicatio componendi remedia, vt pityriaſeos, id eſt, furfurationis in capite à prauis ichoribus & ſaniebus naſcentis remedia ſunt, quæ hos ichoras digerũt & tergent, vacuato prius corpore toto, ſi vacuationis egere vi debitur. Addunt quidam roborantia partem aſtringentia, vt ne affluentem ſibi ſaniem recipiat. Sic phthiriaſeos, id eſt, morbi pedicularis in alta cute excitati à colluuie humorum calidorum putreſcentium ſiccantia & valenter ex alto trahentia ſunt idonea auxilia, quorum materia vſu probata eſt ſumenda (nam omnibus quæ experientia commendauit, fidendum) vt ſtaphis agria, ſinapi, cardamum. Sic achoras ex ſanie tenui & mordaci ac ſimul ex humore craſſo & lento natos curant, quæ hunc humorem incidunt & digerũt, & neceſſariò reprimũt humoris influxum, vt in alopecia, quæ omnia acetum acerrimum præſtat cum metallicis, vt cimolia, pompholyge, cadmia, vel charta vſta, ſubactũ, vacuato prius corpore toto & capite, niſi affectus ſit exiguus: tunc enim ſufficiunt topica ſeu merica auxilia. Sic in putridis febribus humoris, qui putrendo febrem gignit, fouet, auget, rationem habendam docet Galenus per alterantia, quæ putrediné finiant: & per vacuantia, quæ materiam putrem aut putredini paratam de corpore pellant.

Lib.1.c.ph.p.

Libr.9. & 11. meth.

Lib.8.method.

Eadem ratione in diariis febribus, quanuis externa cauſa deſierit (à qua vt quæ non amplius ſit, nihil curatoriũ indicatur) tamen quia in corpore diſpoſitioné remanentem excitauit, quæ cauſa continens fuit febris, & eius acceſsionem prorogauit, diſpoſitioni illi proſpicit. Si enim diaria eſt ab æſtu, per totum acceſsionis tempus irrigat caput partem primam, & immodicè à ſole calfactam. Irrigat autem oleo roſaceo, refrigerato, ex alto effuſo. In diaria à denſata cute balneo refrigerante vel denſante, magna illi cura eſt rarefaciendi corporis, frictione molli multa, cum oleo tenui & laxante. In diaria à mœrore præter dicta remedia lætitiam: ab ira, animi tranquillitatem, & cætera contraria diſpoſitioni in corpore relictæ à cauſis illis externis iam deſitis. Sic in fluxionibus à calore vel dolore, ſymptomata hæc fluxionis cauſas primũ opprim

opprimenda docet. In fluxionibus verò à tranſmiſsione, partis tranſmittẽtis primam & maximam rationem habendam cenſet. Nullus enim affectus percurari poteſt, manẽte in corpore cauſa quæ ipſum excitauit.

Eam indicationẽ à cauſa morbi ad rectè baſim inueniendam, pluribus docerem magnarum eſſe virium, niſi prolixior eſſe metuerem. Ob id mihi ſatis eſt viſum, ipſos velut fontes quoſdam rei indicaſſe in methodo medendi. Ex quibus diligens lector haurire plura poſsit, ſi hæc illi non ſatisfaciant: ſatis enim nobis eſt componendi methodum indicaſſe, nec omnia afferre particularia conamur: quando id infiniti fuerit operis, & parum neceſſarii. Pauca tamen in ſingulis particularia afferimus, ceu ſenſui notiora, per quæ methodos ipſas vniuerſalia maximè prodentes, & rationi notiores lector poſsit intelligere.

A ſymptomatibus quoq; indicatio eſt deligendorũ remediorũ, quæ ipſa vel tollant, vel mitigent, vel ſaltẽ non exacerbent. Vitabis enim in capitis dolore ab ebrietate palmulas & myrrham: nam illæ proprietate quadã dolorem capitis faciunt. Hæc etiam ſanis vapore multo & calido caput replens: multò magis iam dolentibus auget. Eadem ratione vitabis mentham, crocum, & alia omnia, quę vapore calido caput replentia dolorem geminant. Vſurpabis autem in eodem hederam & braſsicam, quæ naturali virtute ebrietati reſiſtunt.

Stupefaciẽtia adduntur quibuſdã, quæ dolorẽ leniunt, non quòd diſpoſitionibus opitulẽtur, ſed quia vim ſenſoriã ſtupefaciunt, ſine qua nõ fit dolor. Vbi enim dolor inuictus vrget, ſenſum ſtupefacientibus vtendũ eſt in auribus, cœlo, renibus, & in qualibet alia parte vehemẽter dolente. Auribus autẽ inflammatione dolẽtibus opiũ lacti muliebri, vel albumini oui, vel caſtorio æquali miſtũ iniicitur: ſed ſi vehemẽtiſsimus eſt dolor, duplicatum. Nec ſolum vt oppoſitũ opio miſcetur caſtorium in auribus purulentis, ſed etiã quia coquit & ſiccat. *Lib.3.c.ph.p.* *Lib.3.c.ph.p.*

Narcotica autem per ſe diſpoſitiones ipſas dolorificas non iuuant, imò lædunt, & crudiores ac contumaciores reddunt: per accidens verò ſæpe iuuant. Vbi enim dolor per ea ceſſarit, & ſomnus ſit obortus, natura diſpoſitiones dolorificas concoquit. Narcoticis verò huiuſmodi vtimur, quando à nullo anodyno poteſt dolor mitigari. Ob id ipſius vſum *Ibidem.* *Ibidem.*

Ibidem. ſemper vitauit Galenus,niſi magna eum neceſsitas ad vtendum cogeret. Eadem omnino ratione, quia meconium *& Aph.31. lib.6.* inſigniter ſtupefacit, vt tutior eſſet eius vſus, Apollonius, & *Ibidem.* alii quidam inſignes viri ipſum toſtum caſtorio miſcuerunt, quòd nō toſto nonnullos offendi viderint, vt dies multos poſt vſum caliginosè viderint, & capitis grauitatem ſenſerint, & cibos malè coxerint. Sed inter torrefaciendum omnem eius efficaciam tolli ſæpe expertus eſt Galenus: propterea melius duxit, non toſtum caſtorio miſcere, quòd refrigeratoriæ facultatis eius vehementiam obtunderet. Poſtea verò eius malignitate temporis ſpatio obtuſa vtendum eſt, quando ſciiicet adhuc abundè efficax manet: quod in Philonis antidoto libro quarto audies.

Medicamento verò ex opio & lacryma papaueris tantum vtimur,cùm ex doloris vehemētia, à morbis periculum imminet: quãuis horum vſu noxa quædã ſolidis partibus accidat,pòſt corrigenda: collyria tamē ex opio multorū oculos ſic imbecilles reddiderunt, vt hebes viſio euaderet: & aures aliis ſic infirmarunt,vt auditum grauaret. Ob id in his rariſſimè eo vtendū,in capitis dolore nunquam,quia nemini tam vehemens accidit, vt animi deliquio mortuus ſit aliquis, aut ſeipſum occiderit, vt colicorū nonnulli. Quantūcunq; enim quis capite doleat, minus dolet, quàm cui oculus, auris,dens, *Lib.3.c.ph.p.* cælum. Nec tamen ſoli tactui ſtupefaciendo narcotica iſta adhibentur,ſed etiam auditui,vbi ob eius acrimoniam ſit auriū tinnitus: & oculis,quando ob videndi acrimoniam ſuffuſorū imagines à vapore ex ore ventriculi exhalante adſunt.

Lib.9.c.ph.p. Optimus autem compoſitionis narcoticorum ſcopus eſt, vt ad tria, qui ea componit, reſpiciat: primùm,vt ſenſum tactus obtundat: ſecundò,vt nihil noxæ ex hac ſtupefactione in particula relinquatur: poſtremò (quod eſt maximū) vt diſpoſitioni auxilientur. Quæ tria Philo in ſua antidoto ſeruauit. Nam hyoſcyamus & omnium valētiſsimè opium facultatis ſenſoriæ, ſtuporem & ſomnum torpidum frigiditate ſumma molitur. Vt autem horum vehementia obtundatur, nec adeò noceant, ſed imminens ab eis noxa potius inhibeatur: vtq; citius diſtribuātur ſtupefacientia (nam per ſe admodum tardè permeant) & penetrent interiorum affectarum partiū ſubſtantiam: calfacientia adiecit coſtum,pyrethrum,euphorbium,

bium, piper, quæ etiam noxios & dolorificos humores coquere, craſſos tenuare, lentos incidere, & tergere, & flatulentos item ſpiritus tenuare, & vtroſque per halitum digerere & vacuare poſſunt. Ob hæc Philonium, & quæ ſimilia ſunt, doloribus colicis implacabilibus ſalubre eſt: ac in vomitu, ſingultu, eroſione ſtomachi aut vẽtriculi ab humoribus acribus, & in æſtu ventriculi.

Eadem ratione medicamentis vt ſtomachicis ſic hepaticis opium, altercum, & ſimiliter refrigerantia interdum miſcentur, quæ calidas illarum partium intemperies mitigent: ea tamen menſura, vt totum compoſitum dictis partibus non ſit vehementer refrigeratorium. Si enim refrigerantia in miſtione præpolleant, ſenſus partium affectarum magis obtundetur, & calor partis totius magis extinguetur: ſi calida vincunt, frigiditatis effecta minus apparebũt, ſed innoxium magis fuerit medicamentum. Nam viuis corporibus ſimile quid mortificationi accidit ex opio, & ſimiliter frigidis: dum partes horum vſu cauſas dolorificas ſentire deſinunt, & crebro vſu frigiditatem partibus immedicabilem excitant. *Lib.8.c.ph.p.*

Vt igitur in refrigerantium & calfacientium oppoſitione quantitas alterutrorum, præpollentẽ medicamenti actionem oſtendit, ſic in aliis contraria recipientibus, denſantia rarefacientia, cogentia fundentia, digerentia repellentia, humectantia ſiccantia, vel ſolum diuerſa aſtringentia, erodentia, tenuantia, tergentia mitigantia, digerentia, hypnotica, id eſt, torporem & ſomnum inducentia. Sic Andromachus ſuis confectionibus bechicis & hypnoticis ad tenues humorum influxus incraſſandos, ſiccandos, refrigerãdos, opium miſcet, & mandragoræ ſuccum, & radicis eius corticem, & alterci ſemen. Quædam enim eius compoſitiones duo ex his, quædam tria, quædam omnia continent. Opium ſoli ſapæ miſtum lana exceptum, ſedi, fronti, naribus, aut alteri parti vehementer dolenti impoſitum abundè ſtupefacit: vt tamen id medicamentum frigidas diſpoſitiones valenter coquat, additur crocus, nardus Indica, myrrha, caſtorium. Addi etiam poſſunt ſemina aniſi, ameos, apii, petroſelini, ſeſeleos, cumini, dauci, ad amari medicamenti inſuauitatem corrigendam, & vt citius penetret, vrinasq; moueat, & ſuccos craſſos, ſi qui ſunt, magis tenuet. Eadem ratione vigilias *Lib.7.c.ph.p.*

gilias in morbis per refrigerantia & humectantia expugnamus: ſyncopen quoque magna cura præcipuoque ſtudio tum præcauet,tum præſentem abigit,lib.1. ad Glauconem,& lib. methodi 12. Et ſi qua ſunt alia ſymptomata præſertim inſignia.& quæ cauſæ morbum fouentis vel augentis, tunc rationem obtineant,ab illis aliqua componendi medicamenti ſumitur indicatio.

Quædam autem medicamenta interdum componimus contra nullum morbum,ſed vt quod ſecundum naturam eſt ſeruemus, qualia multa ſunt coſmetica,id eſt,corpus ornantia & expolientia:& commotica,id eſt fucatoria: de quibus multa lib.1.compoſit.phar.part.

Inflammatam igitur,aut aliter ægrotantem particulam aliquam curaturis, communis omnium inflammationum alteriúſve cuiuſuis morborum generis,ſub quo ſit morbus partis, ſcopus primus occurrit,& indicatio ab affectu ipſo, qua primum medicamentorum genus,quibus vtendum ſit, inuenias.Deinde indicatio ex partis natura ſumitur,ex qua particulares medicamentorum differentias eligimus:de qua dicere tempeſtiuum iam fuerit.

A partis natura & vſu indicatio ſumitur deligendi medicamenti,quod parti ſit blandum & innoxium,indolens, temperamentum eius non vitians,ſed ſeruans aut reſtituens, ſi per morbum ſit mutatum.Nam curationis genus etiam affectuum eorundem in qualibet parte materijs variat.

Vt ophthalmia.i.phlegmone oculi tunicæ adnatæ,quanuis omnium phlegmonarum curationi per vacuantia ſubijcitur, tamen quia ea tunica pluſquàm cutis reliqua ſentit ob ſenſus promptitudinem & ſubſtantiæ raritatem, repellentia poſtulat,quæ non exaſperent,ſed elementer adſtringant miſta liquoribus mitigatorijs oui albumini,fœnigræci decocto,lacti mulieris iuuenculæ,& euchymæ è mamilla ſupra cotem medicam expreſſo,in qua collyrium teritur, vt tepidum adhuc oculo infundatur,præſertim cùm magna eſt ophthalmia,aut humorum affluentium acrimania:quando amylum,aſter Samius,ſpodium lotum,pompholyx lota,ceruſſa lota, plumbũ vſtum & lotum,& id genus alia ἄποια.i.exiguam aut nullam qualitatem guſtui aut olfactui repræſentãtia,qualis aqua,ſunt ſalubria.Hæc enim quia roſionis omnino ſunt expertia,& ſo

la terre

la terreſtri parte ſubſtantiæ, mediocriter ſiccant, his miſcentur medicamentis, & alijs contra vlcera vel ſola, vel cum eroſione, & ſanie mordaciſſima effluente. Qualia multa in cornea & rhagoide tunica naſcuntur. Quòd ſi hęc primis diebus nihil iuuare videantur, longiore tamen ſpatio auxilium ſenſibile præbent, ſolaque his vlceribus conueniunt. Nam adſtringentia ſaniem effluentem retinent, & hac ratione dolorem ex saniei morſu natum intendunt: acria verò diſpoſitionem mordacem augent, & quod affluit, corrumpunt, ſiue benignũ erat, ſiue iam cœptum corrumpi à malo oculi habitu, vel capitis, vel totius corporis vitio.

Vlcera item oculorum eadem ſecundum genus curatione ſanantur, qua cætera ſcilicet ſiccantibus & tergentibus ſine morſu, & poſtremò adſtringentibus: tamen propter partis naturam ſint omnino morſus expertia & læuiſsimè trita, vt ex pompholyge lota, tenuiſsimè trita collyrium factum miſto interdum mandragorę ſucco, ad vehementiſſimos dolores leniendos ſufficit: alij ſuccum roſarum vel polygonij, vel albumen oui addunt paulò antè vſum, quia citò illa aceſcunt. Omniũ enim vlcerum non modò oculorum materia huc ſpectat, vt vlcus ipſum ſit purum, natura verò partium ipſum replet, ac cicatrice tegit. Quæ verò vlcera recipiant, & requirant mordicantia, priùs dictum eſt.

Sic oris totius tunica cùm ſit cute totius corporis multò rarior & mollior, ad hæc ea ſola medicamenti inſuauitate infeſtetur, cumque faucibus ſubiecti ſint duo meatus, guttur in pulmonem, gula in ventriculum, per quos aliqua portio medicamẽti ſtomatici in dictas partes poteſt defluere, ſtomatico miſcere nõ audemus valentia, & inſuauia, & quæ his partibus obeſſe poſſunt. Ob id emplaſtro dia chalciteos & alijs quibuſdam validis, & vim quandam lethalem habentibus in vlceribus cutis vti poſsimus: in oris verò affectibus nemo vtatur tutò, etiam ſi vlcus ea poſtulet, niſi magna eorum vſus ſit neceſſitas, quia eorũ aliquid in fauces, & inde in guttur, aut gulam delapſum vehementer partes recepturas lædit. Cõtrà in reliquarum partium affectibus, ſaporum ſuauitatem, vel inſuauitatem non ſpectamus.

Sic phlegmone ſtomachi & ventriculi & hepatis non ſolis laxantibus eſt curanda ob harum partium actionem corpori toti

toti neceſſariam ad viuendum, ſed miſcentur etiam aſtringentia harum partium robur ſeruantia, vt abſinthium, aloë, maſtiche, nardus, cydonium. Sic in ſcirrho hepatis calfacientia & tenuantia præpolleant magis, quàm in ſcirrho aliarum partium, ſed mollientibus admodùm moderatis vtendum, quia iecoris corpus velut ex humoribus concretum eſt: ob id Herophilo parenchyma dicitur.

Lib.8.c.ph.p. Item in ſcirrho hepatis ſemen cucumeris & baccæ iuniperi miſcentur, quæ mitigent, & aliorum vehementiam obtundant: & mel, & eryngium, vel ſimilia ſumendis adduntur, vt excretionis viam præſternant per vrinas his quæ ex ſcirrho iam terſa & fuſa per ſumpta & admota fuerint. Scirrhus enim omnis cùm fiat à frigido craſſo & lento humore in partes ſolidas tranſmiſſo, calidis, incidentibus, tenuantibus, & tergentibus, & digerentibus eſt curandus.

Lib.2.c.ph.p. In dolore capitis ab æſtu initio refrigerandum, maximè per ſinciput: quòd ibi os ſit tenue, rarum, & ſutura coronalis: non per occiput, quia id ægrè vritur, nec citra noxam refrigerantia ſuſtinet ob ſpinalis medullæ exortum tot neruorũ principium. Per ſinciput etiam eſt calfaciendum in capitis dolore à perfrictione: ſic vitia ſedis requirunt refrigerantia & ſiccantia, ſine morſu tamen & roſione, vt metallica non acria, nec omnino acerba, ſed lota. Quia pars hæc calida humida quodammodò præter naturam ob excrementorum calidorũ contactum perpetuum, & quia ægrè tranſpirat. Adhæc quia ſenſu exacto eſt prædita ab acribus & acerbis, quia rodunt vel diuellunt, irritatur.

Sic laſſitudinem motoriam etiã phlegmonωde crurum, brachiorum, ſpinæ, oleo infricantes partem curamus, vt eius facultate per cutim ad muſculos ipſi connexos perueniente ipſam diſcutiamus. Si autem ſimilis laſsitudo in tunica interna aſperæ arteriæ, & muſculis laryngis, poſt vociferationem multam, & præcipuè acutam fiat, oleum & alia emollientia & digerentia per cartilagines ad partem laſſatam non peruenient, ſed paulatim deglutitis eſt opus lenientibus: tamen balneum dulce omnibus his commune eſt auxilium.

Lib. 4. ſanit. tuendæ. Sic aquam mulſam, oxymeli, & alia, omnibus non eadem miſtione coquimus: quidam enim ea libentiùs bibunt aquoſiora, alij dulciora, vt quidam vinum dilutius amant, & ſi meracius bibe

eius biberint, ijs caput feritur: alij meraciore gaudent, qui ſi dilutius biberint, his ventriculus euertitur. Sic diamoron hi dulcius volunt, quibus plus mellis miſcendum: alij auſterius, quibus minus. Cùm igitur alicui medicamentum ſumendum imperas, conijce aut interroga, quibus præcipuè ſaporibus ſecundum naturam delectatur, & ſingulis quod iucundum eſt, para, modò ne medicamẽti facultas inſigniter exoluatur. Ob hæc Medici ſumenda medicamenta faciunt media, quę pluribus naturis conueniunt, & ab alijs minimùm recedunt. ob id facilè ad propriam cuiuſque naturam paucis quibuſdam additis accommodantur.

Sic phlegmone initio repellentia materiam affluentem poſtulat: quæ verò eſt in parotidibus, trahentia, niſi interdum & rarò paucum aſtringentium multo digerenti miſcendum ſit, quando ſcilicet parotis cum paruo dolore erumpit. *Lib.3.c.ph.p.*

Remedijs item hemicranicis tam calidis quàm frigidis iubet Galenus miſceri corroborans aliquid, aſtrictoria ſcilicet facultate præditum. Quod pręceptum in partibus actionem aut vſum toti corpori communem & neceſſarium habentibus eſt perpetuum, ventriculo inquam, & hepate, liene ſæpe. Pręterea indicatio curatrix & medicamentorum vt aliorum quoque remediorum inuentrix ſumitur à viribus, ætate, conſuetudine, non primò ſed ratione temperamenti, quod hęc ambo immutant, & nouum ſępe faciunt: illę temperamentum in quo conſiſtunt, ſequuntur. Item non à partis temperie ſolùm, ſed ab ipſius ſitu, connexione, figura, magnitudine, ſenſu exacto & obtuſo, aëre, id eſt anni parte, regione, cœli ſtatu. Quorum ſingulorum exempla tantũ ſingula prolixitatis fuga adſcribemus.

Imbecilla debentur remedia omnia imbecillibus, niſi vires copia grauatę falſam imbecillitatis ſuſpicionem præbeant: tunc enim valentiora ferre poſſunt, vti & robuſtę nec grauatę inſigniter.

Pueri & ſenes valentia remedia non ferunt, pręſertim vacuantia. Illi enim calidi humidi plurimùm per inſenſilem tranſpirationem vacuantur: his infirmum & frigidum corpus viribus ſcilicet omnibus imbecillis. Conſueta remedia minùs moleſtare ſolent, ſed etiam minùs ſunt efficacia.

Pars ab ore & ſtomacho remotior ſumenda medicamenta

valen

valentiora indicat, quòd priuſquàm affectui occurrant, vires eorum obtundantur alteratione,aliorum miſtione. Eadem ratione quæ ſunt profundæ partes, admouenda medicamẽta poſtulant valentiora, & quibus tenue aliquid additum ad penetrandum paret, vt acetum,euphorbium: vel etiam aſtringens à tergo impellat. Contra verò cùm parti affectæ remedium viribus integris aut parum fractis occurrit.

Quia connexio lieni eſt per vas venoſum cum venis meſaraicis, lienis vacuatoria remedia ſumpta aut iniecta facio valentiora,quàm ſi ex initio meſarei,vel etiam toto meſareo eſſet vacuandum.

Cauæ intus partes, medicamenta intro recipere poſſunt: foris,foras:intus & foris,vtroque verſus:nec intus nec foris, nuſquam. Magna verò cauitas largius medicamentum capit, vt vomitoria ſint larga quantitate, quæ veſicam vel vterum vacuant iniectiones,parcæ: quæ inteſtina lata & parum plena aut preſſa, largæ: quæ anguſta, quæ ſtercore aut flatibus plena,aut fœtu,vel aſcitæ,aut tympania preſſa,parcæ.

Lib.3.meth. Quæ corpora ſenſu tactus exquiſito ſunt prædita & mollia, valentia & acria & mordacia medicamenta non ferunt: quæ obtuſo,ea ferunt.

Aër ſi temperiem habet morbo ſimilem,quia cauſa eſt inſalubris,medicamenta debent habere qualitatem aëri & morbo repugnantem,inſigniorẽ, quàm ſi aër ipſe morbo contrariam haberet intemperiẽ. Horum omnium exempla propè infinita ſunt tota methodo,lib.ſanit.tuendæ,& lib.2.ad Glauconem.Quapropter nõ eſt,cur in his pluribus immoremur.

Lib.9.c.ph.p. Ab affectu ſimul & partis natura plurima, vt in dyſenteria opium,galla,malicorium,cortex pini,ſemen alterci,myrta ſicca,acacia,roſę ſiccę,pyra,ſicca omnia torrefacta dantur, vt dolorem obtundant, & partem aduerſus cauſas dolorificas roborent.

Lib.1.c ph.p. Sic alopecię difficili nec cedenti tribus aut pluribus totius purgationibus dictis à Galeno,topicũ debetur medicamentũ calidum,quod digerendo vacuet,non tamen adeò calidum,vt vrat,aut etiam cutim citra vſtionem immodicè ſiccet:nec tamen mediocriter calidum, vt non vacuet quod volumus, ſed tenuium ſit partium, vt in altum penetret ad originẽ radicis pilorũ: quia cutis capitis craſsior & durior,ob id efficaciore opus

opus eſt medicamento, quòd & prauos ſuccos digerat,& ſanguinem probum trahat, qualis eſt thapſia. Quæ cùm multò ſit calidior quàm affectui & parti conueniat, ſolam ne applica: nam cutim vlcerat, & tumores in ea excitat inflammatorios: ob id quædam eius vehementiam mitigantia miſce, vt ceratum ex oleo tenuium partium (quale eſt ſabinum vetus, vel ricininum recẽs: non Hiſpanum,vel omotribes,vel aliud aſtringens) vel aqua miſta thapſiæ recenti: nam annuæ vis diſſoluitur: bimæ magis,trima eſt inutilis.

Sub natura partis comprehende naturam totius, & expende, an quod medicamenti genus pars affecta idem corpus totum inſinuet,an diuerſum. Id quod ſimile vel diſsimile partis & totius temperamẽtum tibi planè oſtendent,vt lib.3.methodi fuſius leges. Præſidia etiam alia ciuilibus corporibus ſcribenda ſunt, alia foſſoribus & meſſoribus, vt acetum feruens,aut muria acetoſa in parotide. *Lib.3.c.ph.p.*

Ad totius naturam,ægri quoque & Medici facultates referas. Pauperes enim medici ſumptuoſa & diuitũ remedia parare nequeant, quòd illis ſit res domi anguſtior. Pauperibus etiam pauperem ex viliore materia apparatum, diuitibus dignum ipſorũ diuitiis ex opulentiore præparare oportet. Ob id dentrificium ſuum diuitibus cinnamomo, pauperibus caſia vel amomo aromatizat & iucundius odore & ſapore reddit Galenus, & in opulentorum ozæna medicamentis miſcebat odoris gratia aliquid hedychroi in falerno veteri merſi, lib.3.comp.ph.p. Neque tamen ob id putes,ſumptu ſuperfluo aut parum neceſſario diuites onerandos,vt magna pecunia & longis itineribus conquiras remedia, quibus ſimilia tibi ſint in promptu. Nam cùm ad manum ſunt remedia paratu facilia affectui curando idonea, ſuperfluum eſt vel exotica vel rara vſu diſquirere: vt cùm parotidas curare poſsis trahentibus & digerentibus remediis propè infinitis, quorſum attinet in id muſtelæ ſanguinem quærere? citra quem ſi nequit curari parotis, remediorum planè inops fuerit medicina, cùm præter hunc aliis permultis parotidũ auxiliis ſit fœcundiſsima. In paratu tamen facilibus delectus quoque eſt habendus. Nam aſini vrinam & ſimilia potui dare in affectibus oris & gargareonis cum Apollonio, extremæ eſt dementiæ, cùm alia ſint permulta paratu facilia æquè efficacia: adde *Lib.5.c.ph.p.* *Lib.6.c.ph.p.*

quòd permulti ſint, qui mori malint,quàm illam bibere. Abſurdiſsimum etiam eſt,in oris phlegmonis potiones alias medicas quàm purgatorias dare.

Lib.6.c.ph.p. Sic diamoron & diacaryon & ſimilia pauperibus parare potes ſine vllo ſumptu aut cum minimo:diuitibus verò ſumptuoſiora fiunt cum caſiæ cortice vel nardo Indica , vel folio malabathri,vel omnibus ſimul. Inde etiã ſumptuoſa diuitum *Ibidem.* mulierum Romanarũ vnguenta ſpicatum & foliatum. Item ad potenter digerendum phlegmonas indureſcẽtes, diuitum compoſitis ſtomaticis additur coſtus, amomum, macer, opus Cyrenaicus vel Medus,aut alius: pauperum verò ſtomaticis digerẽtibus additur acorus,meon, cardamomum,dictamnus, ſinapi,loco illorum ſumptuoſiorum digerentium.

Gal.in ther.ad Piſ.ex li.2.epidemiõn Hipp. Philopharmaci. Miſopharmaci. Lib.3.method. & 1.alim. Eorum etiam qui aſſumunt medicamenta naturæ proprietas eſt inſpiciẽda:ſunt enim nonnulli tam facilè medicamenta capientes,vt etiam ſæpe ea concoquant, & nutrimẽtum ab his aliquando ſentiant,nullum autẽ incommodum. Alii contrà tam ſunt inepti ad medicamenta aſſumenda , vt iis vti nequeant, quia ſtomachus ea auerſatur, & ante vſum facilè diſſoluitur. Vnde veterum præſtantiſsimi optimas medicamentorum compoſitiones effecerunt,ex ſingulorum natura compoſitionis rationẽ inuenientes, & quæ intenſa erant viribus, aliorum miſtura remittentes,& ſimili ratione acria hebetantes , reliquaq; pro affectuum & naturarum differentia obſeruantes,quæ ſcilicet medicamẽta, quibus morbis,& quo morborum tempore conuenirent , & quomodò affectis corporibus,& quali victu vtentibus,& quo anni tempore.Sic theriacen ex optimis & plurimis multumq; variis medicamentis compoſuerunt aduerſus ferarum noxiarum morſus & venenoſa pharmaca , & alios affectus plurimos, quodq; hominum naturas plurimum inuicem differre perpenderẽt, ita vt aliud alii medicamentum ſit idoneum.

Lib.6.c.ph.p. Si diuitibus paras ſtomatica coquentia & digerentia, miſce amomum quantum crocum,myrrham,alumen : & ſi vis,horum trium loco ſolum pone amomum.

In corporibus mulierum & eunuchorum & aliorum molli carne & alba præditorum nec ſoli aſſuetorum , caput æſtu calfactum refrigerare vehementer non audemus.

In mollibus & delicatis corporibus vlceratis vtendum eſt medic

medicamentis morſu omnino carentibus: hæc enim vel ſine moleſtia agent, vel ſaltem nihil nocebunt.

Prædictas indicationes propè omnes deligendis quoque aliis ſimplicibus miſcendis tam ſine quibus baſis non agat, quàm per quæ melius agit, & poſtremò à quibus omnia illa conſeruantur, applicare oportet, vt omnino tibi perſuadeas, nihil rectè ad miſcēdum vti, nec ad curandum inueniri poſſe, niſi per indicationes ſeu ſcopos, & veluti reſpectus, vt appellant. In quibus præcipuè ſunt ab effectu præter naturam, ab ægri natura, & ab aëre. Has autem in ſequentibus vbi minus accuratè expreſſas leges, ignorantiæ aut negligentiæ ne adſcripſeris, ſed eas de induſtria vel obiter perſtringemus, vel etiam ſilentio præteribimus: quando ad viuum ſingulas excutere prolixius eſſet, quàm rei mihi propoſitæ conueniret.

SINE QVIBVS.

BAſi medicamenti inuenta & probè conſtituta, ei ſunt addenda alia, ſine quibus affectum baſis ipſa profligare non poteſt, & priſtino habitui corpus reſtituere. Sunt autem ea multiplicia, vt mox audies: ferè tamen omnia baſim aut ad partem affectam deducunt, aut ipſi commodè ad actionem applicant: niſi baſis ipſa per ſe ſit idonea, & multorum ſimplicium rationem ſuſtineat.

Miſcentur ergo quæ tota ſua ſubſtantia parti ſunt familiaria, & ob id dum à parte trahuntur, ſimul vim medicamenti eò deducunt, vt ſimplicia cephalica medicamenti vim ad caput ſecum trahunt, cardiaca ad cor, nephritica ad renes, arthritica ad articulos medicamentum deducunt, quo partis affectus indiget.

Miſcentur etiam quæ baſim per meatus natura, aut obſtructione, aut denſitate, aut compreſsione anguſtiſsimos, in partes, ſi opus eſt, remotiſsimas conuehunt ſua vel acrimonia, vel eſſentiæ tenuitate, vel vtraque, vel accurata tritura. ob id acetum obſtructionibus viſcerum liberandis miſcetur: euphorbium externis intrò penetraturis remediis myrrha aëriæ ſubſtantiæ multæ particeps crocum terreum intrò deducit rhabarbarum, aſarum, leuiſsimè teruntur in pollinis modum, cùm mouēdum eſt lotium: caſia, cinnamomū & ſimilia

tenuiſsimè trita miſcētur vbi menſes ſunt mouendi: euphorbium, pyretrũ & ſimilia, vbi per ſumpta medicamenta eſt ab articulis trahēdum. Contrà ſine his baſim exhibemus, cùm parti affectæ facilè & mox occurrit ex partis ſitu & figura, vt rhabarbarum craſſum & negligēter tritum damus, cùm aluus tantum mouenda eſt, non etiam mouendæ vrinæ.

Hæc prædictæ quatuor, familiaritas totius ſubſtantiæ, tenuitas, ſtudioſa tritura, acrimonia, vbi ipſius baſis vires aut etiam ſubſtantiam ad partem affectam deduxerunt, ea vt in affectũ agat, tempore eget interdum etiam diuturniore: ob id nonnunquàm baſibus miſcentur, quæ ipſas affectæ parti diutius affigant, vt mora ſaltē ipſæ id perficiāt, quod non poſſunt obiter præſtare: vt medicamētis gulę & tracheæ arteriæ miſcemus craſſa & lenta, quæ vim medicamēti ſarcoticã, colleticam, ſinuloticã, ſi vlcus adeſt, in parte remorētur & affigant.

Non tamen aut in via, aut illa mora in parte volumus medicamenta coqui, & horum vim à calore noſtro euinci, priuſquàm & partem affectam attigerint, & vſum optatum præſtiterint: ob id opium theriacæ miſcetur, & ob alia quædam alibi dicenda.

Medicamentis verò quæ hærere parti alicui volumus ſiue ſumantur, ſiue admoueantur, ceram, oleum, adipem, vel lentum aliud miſcemus, memores tamen eorum quæ rectè ſu-
Lib.6.c.ph.p. mendis aut admouendis miſcentur. Nam ceram ſumendis nemo rectè miſcuerit, vt neque axungiam, quæ admouendis ſunt aptiſsima, vti ad vlcera gulæ & aſperæ arteriæ ſyrupi, butyrum, oleum, & lentores ſuccorum, oportuniſsimi.

Si tamen vlcera ſint putrida in ore, parte calida, humida, ob id ad putredinē paratiore, quia medicamenta his idonea continenter per ſaliuam elota adhærere nequeũt, validiſsimis in ipſo ſic vlcerato medicamentis vti cogimur, qualia ſunt cauſtica, & quæ cruſtas ferri candentis modo efficiant. Sed in externis partibus cauſticis per ſe vtimur: deinde cruſtas tergentibus auferimus: at in oris vitiis propter partis naturam tutius eſt cauſticis miſcere tergentia, mel, thus, eruum, irim, ariſtolochiam, ne ob partis naturam recidiua putredo naſcatur. Miſyos ergo crudi vel toſti drach. tres cum mellis cyathis ſex diſſoluantur, vel chalcitis toſta cum melle tanto, vt ſordium habeat ſpiſsitudinem: vel chalcanthum vſtum cum melle ſimiliter

militer miſtum. Sic caninum ſtercus, cinis hirundinum, & humanum ſtercus, ana cum melle.

Sic æruginem cum aliis miſtam aphthis malignis adhibet Andromachus & Crito ibidem: & arſenicum, & ſandaracha, & alumen ſciſsile, oris putredinibus applicantur ibidem.

Eadem ratione malignis vlceribus ſedis, inteſtinorum, vteri, veſicæ, meatus vrinarii ſimilia adhibentur remedia, aliter atque aliter miſta & ſoluta pro variis à parte & affectus magnitudine, & ſitu indicationibus.

Sed quoniam vſus à medicamentis expectatus præcipuè is qui calori aut frigori ſuccedit, non præſtatur, niſi medicamenta ipſa actu id ſint, quod dicuntur, hoc eſt, calida vel frigida, calore noſtro egent deducente ipſa in actum: vt medicamenta purgãtia cum poteſtate calida ſint omnia, vt agant, actu calida eſſe oportet caloris noſtri actione. Eodẽ modo opium & alia frigida vt agant, quod agere nata ſunt, in frigiditatem illam ſuam à calore noſtro deducenda ſunt: actu enim non magis frigida ſentiuntur, quàm alia loco eodem concluſa. Sed tamen vtraque prius accuratè ſunt terenda, vt ea calor noſter propè tota citius attingat: nam piper, & cætera poteſtate calida, non fiat actu calidum à nobis ſine contritione tenui: nec rhabarbarum aut aſarum, & vretica alia vrinas moueant, niſi diligenter ſint comminuta: agaricus item & colocynthis citra contritionẽ hanc multum ſunt noxia, ſi ſumãtur. Quam vt promptius recipiant, ille in trochiſcos primum formatur: hæc cum aliis ſiccis teritur & friabilibus.

Niſi item facultates medicamentorum, ſine quibus baſis ociosa fuerit, in ſuo vigore conſiſtant (quas color, odor, ſapor, conſiſtentia, non ſolum calor aut frigus ſignificant) vires à compoſito promiſſas ne expecta, vt indicabit lib. 4. compoſitio theriaces. Eſt tamen quando medicamentum vires ſimplicium languidiores poſcit, vt euphorbium vetuſtate ignauius idemq; flauius: quando pars exactius ſentit, cui eſt applicandum, & affectus vt punctura eſt clementior. Sic in rha tenuis & aëria ſubſtantia, & frigida terrea mutuo ſeſe non impediunt, imò valentioris effecti ſunt cauſæ: quia aërium deducit intro craſſam & terream & frigidam ſubſtantiam, alioqui per ſe in ſuperficie hæſuram, nec partes internas contracturam, refrigeraturam, ſiccaturam. *Lib. 1. c. ph. p.* *Lib. 8. ſimpl.*

Miſcentur etiã medicamento non modò ſine quibus ipſum efficere id non poſsit quod promittit,ſed ſine quibus medicamentum hoc vel illud compoſiti nomen non habeat: de quibus abundè pòſt in forma medicamenti idonei conſtituenda.

Ea igitur omnia quæ compoſito miſcentur,aut etiam citra miſtionem,in baſi perficiuntur neceſſario,antequàm ea,quod optamus, in affectum efficiant: illa rationem eius ſine quo medicamentũ non agat,obtinent, vt baſis ipſius coctio, vſtio, tritura,lotio, & alia permulta,quæ in ſingulis apparent compoſitionibus. Item quæ glutinoſius, liquidius, craſsius, tenuius,acrius,mitius medicamentum reddunt,quando harum qualitatum aliqua eſt opus ad actionem optatam. Item quæ partibus familiaria ad eas vim vel etiam ſæpe ſubſtantiam medicamenti alterantis,roborantis,vacuantis deducũt.Quando medicamẽtum agit in propinquam ſibi materiam, in longinquam non acturum, aut tam imbecilliter, vt nullus inde ſucceſſus eſſet ſperandus. Prætereà quæ ſumptum vel admotum medicamentũ tam iucundum faciunt omnibus ſuis qualitatibus ægro, vt id ipſe non inuitus accipiat,neq; eo aſſumpto nauſeet, & inde vomat. *Si* enim vomat,nullus eſt huius medicamenti vſus, vt neque ſi admota præ morſu & dolore, aut alia de cauſa mox æger illa abiicere cogatur: niſi fortè vomitu illo fiat fluxionis auerſio, & excrementoſum aliquid etiam ex ventriculo ſimul elidatur. Adhæc quæ humorum coctionem iuuant,quæ excrementa vacuationi apparant,quæ meatus aperiunt, per quos medicamento via eſt futura, atque etiam excremento,illa etiam rationem eius obtinent,ſine quo medicamentum nihil agat.

Adhæc virium robur quantũ eſt neceſſarium medicamento ad actionem mutando & ſenſus tactus, eodem pertinent. Quapropter apoplecticis,diſſolutis, hyſtericis remedia quantumuis morbo & eius cauſæ idonea dentur vel applicentur, caſſa ſunt, aut parũ ſecura: ſæpe motus, ſæpe venter plenior cauſa eſt vacuationis tum celerioris,tum largioris:ſæpe quies retineri in ventriculo, ſæpe ventris inanitio coqui medicamentũ cogit,præſertim ſi erat clementius: ſæpe item corporis ſitus ac figura ex deiectorio vomitoriũ effecit,& contrà.

Ceſſatio quoque à vacuationibus aliis cauſa ſæpe eſt per accidens huius vel huius vacuationis. Nam ſi in diabete des

medioc

mediocriter aluum mouentia, illa etiam ad vias vreticas trahentur: vt ſi in lienteria, diarrhœa, dyſenteria des vretica, vel hydrotica, vel quæ viſcera reſpiciunt, ſæpe aliorum impetu illa per ſedem detrahuntur. Per accidens quoque voluntas noſtra ſæpe ratione eius ſine quo non fit medicamenti actio, habet: vt ſi quis aluo à medicamento irritata, naturæ impetui non ſeruiat, ſed aluum cohibeat: fit ſæpe, vt aluus poſtea non deſcendat.

Non modò autem quæ ante medicamentum ſumuntur, vt ei materiam apparent, ſed etiam quæ pòſt recipiuntur, ſæpe actionem medicamenti obrutam excitant, ſæpe ad medicamenti expulſionem naturam irritant. Vt ſumpto purgante medicamento ſi quis diutius à cibo abſtinet, ſæpe nihil mouet: ſi tempore pòſt legitimo cibum ſumat, hoc recreata natura medicamentum expellit.

Infinita propè alia inuenias in compoſitis medicamentis, ſine quibus illa nihil omnino agant, aut tam parum agant, vt nihil egiſſe videri poſsint. Eadem verò, cùm ſint imbecilliora impedimenta, vt melius operetur medicamentum, aut etiam ſi omnino abſint, per accidens his accenſeri poſſunt, per quæ melior fit medicamenti actio. De quibus dicere iam tempeſtiuum fuerit.

PER QVAE MELIVS.

TErtio loco medicamentis certa methodo componendis deligenda ſunt & miſcenda, quæ ipſius baſis & aliorũ, ſine quibus baſis non agat, actionem reddant meliorem, perfectiorem, efficaciorem, ſalubriorem, tutiorem: celeriorem, ſi celeritate opus eſt: aut tardiorem, ſi tarditas optanda eſt, qualia ſunt vſtiones, ablutiones, trituræ, & quæ baſis ipſius aut aliorum vim corrigunt, valentiorem minuendo, imbecilliorem augendo, noxiam corpori emendando. Item quæ coloris, odoris, ſaporis, conſiſtentiæ gratiam ægro iucundã medicamentis conciliant.

De horum autem quibuſdam prius eſt dictum, de aliis exempla aliquot proponamus non inutilia lectori. Valentiorem vim minuunt per ſe quidem quæ baſi aut prædictis ſunt contraria, vel tota ſubſtantia, aut ſola qualitate manifeſta, aut vtraque, vt ſcammonio calido, tenui viſceribus noxio

vires diſſoluenti, pruna dactyli, ſuccus roſarum frigida, craſſæ eſſentiæ, partium ſubſtantiam cogendo, roborãtia, miſcentur in antidotis catharticis. Sic valẽter calidis opium, ſemen hyoſcyami, cortex radicis mãdragoræ, & ſimilia miſcemus, vt illorum vehementiã obtundamus: præterea vt ſenſu per hæc frigida ſtupefacto dolorẽ ſedemus: ſic vehemẽter aſtringenti minimũ aſtringens miſcemus, cùm mediocri aſtrictione opus eſt: vel vehementer digerenti minimũ digerẽs, cum moderate reſoluendũ eſt: in aliis ad portionẽ. Per accidẽs verò vim aliorum remittũt, quæ partis naturæ ſunt familiaria, eamq; aut tota ſubſtantia, aut qualitate, aut vtraq; contra noxam à medicamento imminentẽ roborant & muniunt. Vim etiã minuunt, quæ tenuibus craſsitiem, celerioribus tarditatem, rarioribus denſitatem, leuioribus grauitatem addũt: niſi à craſsitie, tarditate, denſitate, grauitate vehemens actio proficiſcatur. Eſt enim quando horum actio eſt optatior.

Lib.1.c.ph.p. Sic ſulfuris valenter calidi & digerentis vim pari cimolia terra frangit in achoribus Apollonius, & ex ambobus compoſitum ad ſymmetriam medicamentum reducit. Addit & acetum incidens, tenuans, digerens, repellens.

Sic medicamentis ad affectus internarũ partiũ penetraturis ea miſcemus, quæ penetrare in altũ faciant, etiã affectum non iuuãtia, vt acetum in phrenitide, quod neq; mitigat dolorem, neque laxat tenſionem. Et quia medicamentorũ affectui aptorum virtus in altum penetrãdo diſſoluitur, ſæpe affectus ab his præſidium non ſentit, niſi miſta ſint medicamenta valentiſsima. Contrà in affectibus ſuperficiariis, vtpote quibus occurrunt medicamenta viribus integris, ſatius tamen fuerit miſcere, quæ tum medicamẽti vim intrò ad penitiora deducant, tum affectui ex ſua natura auxilientur, & ſint tenuiũ partiũ, vt acetũ in calidis diſpoſitionibus, euphorbiũ in frigidis. Cuius vtriuſque virtus vehemens diſſoluitur, & corpora permeando & alterius miſtura, vt roſacei cum aceto in capitis interno dolore, niſi vlcus adſit in ſincipite, cui vis applicare. Sic vſtio metallicis tenuitatem eſſentiæ, acrimoniam & vires auget, lotio acrimoniam & vires eas minuit, tenuitatem retinet. *Lib.7.meth.* Sic aloë non lota magis purgat, minus roborat, lota minus ſoluit, magis roborat.

Quæ verò actionis vehementiã remittunt, eã nõ aboleant, neque

neq; qualitatibus cõtrariis,neq; tota ſubſtãtia contraria: quomodo theriace ſumpta medicamẽti purgãtis vim & actionẽ abolet: quomodo magnes allio cõfricatus ferrum à ſe abigit, non attrahit: ſuccinũ oleo maceratũ paleas non attrahit, ſed eas etiã oleo imbutas à ſe repellit,antipathεια rerum & occulta naturarum contrarietate,vt antè diximus.

Virtutem imbecillam augent ac excitant medicamento, quę illi imbecillo robur,tardiori celeritatem,craſsiori tenuitatem,denſo raritatem, graui leuitatem, inſipido acrimoniã, aut ſalſuginem, aut amaritudinem, adiiciunt, ſi qualitatibus illis eſt opus:ſi contrariis,quæ contrarias afferũt:vt vſtio terreis & metallicis vires addit,& celeritatem,tenuitatem, leuitatem,raritatem,acrimoniam. Vſta enim omnia eſſentiæ tenuitatem acquirunt & acrimoniam,excepta chalciti. *Lib. 10. ſimpl.*

Ruta & ramus ſalicis & cortices ei[9] arteriacis qbuſdã inter parandũ mouẽdis,ſiccata abiiciũtur,noua ſubſtituũtur,vt in diachalciteos ramuspalmę pręſcinditur ſępe,li.1.cõp.ph.g. *Lib.9.c.ph.p.*

Quæ partem roborant,medicamentis miſcentur:vt hieræ picræ,maſtiche,crocus,& alia aliis plurimis. Crocus idem linteo puro ligatus incoquitur,expreſſus abiicitur & arteriacis,lib.9.comp.ph.part.

Hodie Arabum ſectatores turbith iungunt zingiber, tanquam eius calcar: agarico ſalem foſsitium (gemmeum vocant) & ſtœchadem, ſi ad caput ferri volunt. Scammonio cor lædenti ambram cor ipſum roborantem: criſtallum,refrigerantem inflammanti:gallam aſtringentem aperienti eidem ora venarum:ſpicam item,maſtichen,tragacãthum, caphuram vna ratione vel duabus.

Vim medicamenti noxiam corpori, & etiam deleteriam emendamus, vt cantharidibus per ſe & ſuæ naturæ contrarietate veſicam vlcerantibus miſcemus alia, quæ vim earum exedentem corrigunt: vretica tamen ſi vrinam cieri affectus requirit, & ceratum eiſdem miſcemus, aut emplaſtrum idoneum ad vngues ψωρώδεις. *Lib.11.ſimpl.*

Sic elleboro nigro humanæ naturæ contrariã vim emendat Hippocrates miſto aniſi, dauci, ſeſeleos, cumini ſemine odoro ſimul & eſculento. *Li.1.rat. vict. acu.*

Sic mel veteres, hodie magis ſaccharum medicamẽtis ſumendis miſcemus,linguã & os prius vino interdũ abluimus,

& cyathi tam fundo quàm labris iucũda ſapore & odore miſcemus,& os ſumpto pharmaco abluimus,aut delicato condimento recreamus, ne triſtato illi conſentiens ſtomachus ſubuertatur,& ad vomendum ventriculum incitet. Sic catapotia foliis auri interdum tegimus,interdum ſaccharo & aliis.

Lib.7.meth. Nec omittenda eſt cuiuſq; temperamenti proprietas,quæ vt in alimentis,ſic etiam in medicamentis vim habet magnã, vt non modò expendamus an hoc illud medicamentũ partis & totius temperaturã vel eandem vel diuerſam ſeruet,(quomodo Galenus docet in medicamentis vlcerum lib.3.4. methodi) ſed quomodo ſe habet ad medicamenta hæc vel illa. Quædam enim naturæ clyſteribus etiam malo ſuo neceſſariis omnino ſunt abſtinendæ, cùm ab his ſentiant ſæpe mulieres mox vterinos affectus,aliæ à potionibus medicis,quędam à catapotiis,aliæ à bolis purgantibus,aliæ ab aliis omnino abhorrent,vel ob naturæ ſuæ cum his cõtrarietatem, vel opinione aliqua id perſuaſæ, vel quia iis vſæ malè habuerũt. Ob id rogandus quiſque eſt, ſiquãdo purgatus eſt,& qua purgatorii medicamenti forma præcipuè delectetur.

Gal. in natura huma. Vt melior fiat medicamenti actio, miſcentur quæ ipſum gratius reddant colore,odore,ſapore,conſiſtentia,ſiue ſumendum eſt,ſiue admouendũ, niſi quòd in admouẽdo ſaporis minima ratio eſt habẽda, niſi quatenus illi cum odore cõuenit. Sumenda autẽ ſi quatuor dictis dotibus ſint iucunda, & præterea pauca, ventriculus trahit promptius, comprehenditq;: actu etiam calida citius reddit,aut frigida, ſi talia erant poteſtate, & ſi refrigerandũ eſt:ob id & celerius & valẽtius agũt.

Aph.38.lib.2. Si quo horum autem fuerint ingrata, non comprehẽduntur, non retinẽtur, ſed ventriculum euertunt,& vomuntur mox, aut deiiciuntur ſine actione, vti & alimenta quãuis meliora, quia tamẽ ingrata ſunt, non comprehenduntur à ventriculo, nec ob id coquuntur. Cùm autem ſuum cuique ſit iucundum vel conſuetudine, vel imaginatione, vel tota ſubſtantia, & horum quodque ſola experientia noſcatur,rogãdus quiſq; eſt, quo medicamenti ſumendi aut etiam admouendi craſſamento,colore,odore,& in illo etiam ſapore delectatur.

COLOR.

Propterea daturi medicamenta vel foliis auri tegimus,vel vaſe argenteo, ſtanneo've, aut alia conſtante materia non

transp

tranſparente includimus, oris anguſti, idq; in tenebroſo aëre propinamus: ob id etiam inuenta emplaſtra melina, id eſt, ruſa, & coloris cydoniorum, ex vſta ærugine docet Galenus, quia ex ærugine cruda viridia quoſdam terrent: ſic cauteria maximè occultamus, præſertim meticuloſis: & ſcalpello venas aut arterias ſecturi, aut hæmatophobis his faciem velamus, aut alio torquemus. *Lib.2.c.ph.p.*

Vt emplaſtrum ex lithargyro ſit albius, deligit Galenus oleum purius & lucidius, & aquã puram & candidã, quę cum lithargyro in mortario temperat, deinde igni ex lignis peruri cœptis vel peruſtis antè carbonibus exactè incenſis coquit in aëre ſyncero, ſub dio, in ſole. Oleum autem craſſum, aqua turbida, aër nubilus, vmbra, fumus, medicamento facilè nigredinem conciliat. Quòd ſi primus iſte focus coctionem nõ abſoluit, in alium ſimiliter ardentem cacabus transferatur. *Lib.1.c.ph.g.* *Nota ad coctiones medicamẽtorum.* *Li.2.rat. vict. acu. Hipp.*

In his quæ ſorbitionibus miſta ventrem ſoluunt, nonnihil præſidii eſt, niſi ob amarorem, vel aſperitatem, aut multitudinem, aut colorem, aut ſuſpicionem aliquam omnino fuerint ingrata. Multitudinẽ non ſine cauſa adiecit, quę etiam alimẽta facit ingratiora, non ægris ſolis, ſed etiam ſanis: cùm alimenta minus larga auidius deuorentur, quàm largiora.

Ob id ægris cibos auerſantibus alimentum parcius eſt offerendum, multo magis medicamentum. Quapropter cùm largius purgandum, efficaciora ſumimus, ſi nihil repugnet, ne magna remedii imbecillioris copia opus ſit. Sic puluerem hieræ diacolocynthidos, & alterius cuiuſuis potius damus catapotiis aut aliter, quàm ipſam hieram melle exceptam, niſi res alia aliud ſuadeat. Sic cùm purgatoria infundimus liquori idoneo, paruam potionẽ imperamus, ne copia largiore ægrum à deglutiendo deterreat, ne'ue ea ſi ſemel ſit deuorata, citius & valentius ſtomachum euertat.

Melina (vt paulò antè dixi) fiũt vnguẽta, id eſt, mali cotonei colore, cocta mediocriter ſeu vſta ærugine: quia color hic eſt gratior, neq; terret ęgros, vt ſępe viridis ab ęrugine cruda. *Lib.2.c.ph.g.*

Ceruſſa quoque quibuſdam vnguentis additur ad coloris albi gratiam.

Huc pertinet quòd quæ ſimplicia coloris propè expertia ſunt, vt aqua, tunica cornea, colores omnes optimè recipiunt: vt inodora (qualis eſt balanus myrepſica) omnib⁹ ſuſcipiẽdis *Lib.6.ſimpl.* *Lib.2.aliment.*

odorib

odoribus aptiſsima:& inſipida,vt cucurbita, ſaporibus omnibus recipiendis ſunt appoſitiſsima.

ODOR.

Quantum odoris gratia in medicamentis tam ſumendis quàm admouendis valeat,docent abundè Medicorũ omnium libri. Ob id enim Cleopatras Medicus ad capillos in capite gi-

Lib.1.c.ph.p. gnendos ſucco radicis arũdinis,muſcis vſtis,adipi vrſino,oleo cedrino,vinũ aut paſſum affundebat,vt odor obtunderetur.

Ibid em. Sic pilos tenuantibus ſcilicet, tergentibus, vt nitro, oſſi ſepiæ,pumici odorata miſcet Galen. lib.1.comph.ph.part.cyperum,ſchœnu anthos,melilotum,roſas ſiccas,iridem Illyricam,herbam cydωniam,meliſſophyllon: & ſi opulentis paras ſpicam nardi,Indicam & Gallicam & mõtanam,terram Erethriadem,malabathrum,folium malabathri,amomum, myrrham,crocum,coſtum,mentham. Crito ibidem etiam pſilothra ſuauem habere odorem volebat.

Nec te moueat, quòd amomum,& alia quædam ſimilia diuitum compoſitionibus addi legis, nonnunquàm pauperum. Illis enim largiùs,his parciùs immiſceri intellige.

Ibidem. Vrina licet achoribus ſanandis conueniat, quia tamen eſt *Ibidem.* odore ingrato abominabilis,non vtenda eſt. Ad odoris gra-*Lib.5.c.ph.p.* tiam cyperus additur capillos tenuantibus.

Lib.7.c.ph.p. Sic odorum dentifricium facit Galenus miſcendo caſiæ aut amomi drach.duas mediocribus:cinamomi autemdrach. vnam regibus.

Bechicis adduntur ſemina petroſelini,apij,dauci,ſeſeleos, vt aliorum medicamentorum inſuauitatem ſuo odore grato & ſapore emendent,& frigidorum vires obtundunt,vt etiam vrinas prouocent.

Odorem cuique iucundum medicamentis addendum declarant emplaſtra εὐώδια.i.ſuaueolentia,vt intelligas non ſumendis ſolis,ſed etiam admouendis medicamentis odorem

Gal. lib. quos purg.opor. gratum eſſe conciliandum. Cùm medicamenta omnia,prę ſertim purgantia,ventriculum,& præcipuè ſtomachum neruoſam eius partem & maximè ſenſilem lædant,his odorifera ſunt miſcenda,quæ noxam eorum obtundant,actionem verò non impediant:quæ præterea tenuent craſſos ſuccos,incidant,tergeant,vias aperiant,per quas eſt vacuandum.

Quæ qualitates habent odoras,miſceri debẽt ſtomachicis, vt aro-

vt aromata & ſemina quædam etiam eſculenta, aniſum, daucum, ſeſeli, cuminum, quæ etiam Hippocrates miſcet peplio & veratro nigro, per id pleuritidem ſub diaphragmate purgaturus, ut medicamentoſum quod in eo eſt humanæ naturæ contrarium, mitigetur & obtundatur. Nam vt fœtida omnia ſtomachum ſubuertere ſolent, ſic odora roborare. Quòd ſi non modò odora ſint, ſed etiam eſculenta, multipliciter iuuant ſtomachum malis humoribus ſubuerſum, vt idem de vtero & vterinis remedijs tibi perſuadeas.

Abſinthium aqua feruente tingendum, quò minùs odore offendat, poſteà oleo incoquendum ad ventris fluentis fomentum, ſi modò vacuatio ampliùs non duret. *Lib.8.method.*

Sic noſtra caſia tanquàm cinamomo quæ ſumuntur omnia aromatizamus, aut alio odoramento naturæ ventriculi & partium aliarum principum familiari.

Odore enim iucundo fit, vt non modò iucundius ſit medicamentum, ſed etiam eo odore ſpiritus animalis & vitalis reficiuntur, vt alimentorum ſic medicamentorum. Quò fit, vt lipothymia languentibus caryophyllum, nux moſchata, zingiber, & alia id genus animum mox reuocent, vti odor panis, aceti, vini, & ſimilium. Nam odore vires celerrimè reficiuntur, ſecundo loco potu, poſtremo cibo. *Aph.18.lib.2. Li.11.ſim.*

Quam rem perſuaſi omnes graueolentia fugimus tam ſani quàm ægri, ceu naturæ noſtræ contraria, tametſi omnia id genus naturam noſtram non lædere oſtendat castorium odore abominabili, ſed quod nec ſumptum nec admotum cuiquam vnquam nocuit.

SAPOR.

Saporum iucunditas cuique hominum naturæ ſua magni eſt momenti, vt non modò alimentum ſit ſalubre, ſed etiam vt medicamentum ſumptum ſit efficax. Ob id rogandus quiſque eſt medicamentum ſumpturus, qua maximè ſaporis differentia delectetur. ſunt enim qui auſteris, alij acidis, alij dulcibus, ſunt qui ſalſis & amaris ducuntur, nonnullos acria delectant. Hunc igitur ſaporem medicamento inſigniorem dabimus, quo æger præter cæteros delectatur, niſi eius vis affectum nobis curandum inſigniter ſit auctura. Nam ſapores calidos ſalſum, amarum, acrem in affectibus multùm calidis non probauero: vt neque frigidos acerbum, auſterum, acidum

dum in frigidis. Cur autem non odore modò, ſed etiam ſapore ſuauia eſſe debeant alimenta, docet Galenus Aph. 38. lib. 2. Paulò deterior cibus aut potus, ſuauior tamen, melioribus & minùs ſuauibus eſt præferendus. Medicamenta verò iucũda eſſe quatenus licet, debent, vt à ventriculo comprehenſa in actum reducantur, ac ne nauſeã, flatus, fluctuationes ex inſuauitate ipſa pariant, adeò vt citò ſuprà aut infrà vẽtriculus excernat. Sic qui primus ſtomaticum diamoron compoſuit, cum melle coxit, vt & gratius eſſet, & diutius ſeruari poſſet. Præſtantior enim eſt ſuccus mororum per ſe incipienti oris phlegmonæ, ſed gratior & perſeuerantior cũ melle coctus. Nam citra coctionem etiam cum melle repoſitus citò corrumpitur: coctus autem cum melle non modò diu ſeruatur, ſed etiam vtilius fit ſequentibus phlegmones temporibus, in cremento, ſtatui, & declinationi, ad perfectam vſq; curationẽ.

Lib. 6. c. ph. p.

In omnibus autem oris affectibus medicamenti ſuauitatem cuiuſque palato gratam ſumere non ſatis eſt, niſi ea viſceribus ori per gulam & guttur communicantibus etiam innoxia ſint. Quæ conſiderans qui primus diamoron compoſuit ſtomaticum medicamentum, ſuccum mororum cum melle coxit, vt ſcilicet gratius eſſet, & toto anno ſeruatum in promptu eſſet, quoties vtendi occaſio incideret, non ſolum tempore mororum.

Opulentis item & delicatis viris & mulieribus, & malo natura ſtomacho præditis, ſtomatica ſimplicia ſunt gratiora medicamentoſis, vt quod ex ſucco ſolorum mororum fit, quod omnium eſt maximè imbecillum: ex ſucco enim batinorum eſt valentius: hoc item potentius ex ſucco corticis nucum viridium cocto cum melle, licet non ſit acerbus guſtu, vehementiſſimè tamen aſtringit, vt ſuccus ex granatis acerbis cum corio tuſis expreſſus. ex dulcibus autem ſine cortice expreſſus eſt ſuauior ſed imbecillior, cum cortice valentior ſed inſuauior. Ex tribus autem generibus ſimul tuſis addito glycyrrhizæ ſucco, bonus eſt, nec immodicè exaſperat. In his igitur vide, ne ſuauitas vires quæſitas obſcuret.

Eadem ſaporis gratia vinum phalernum acre laudatiſsimum mithridatio & theriacæ miſcendum, vt amarorum in his antidotis multorum iniucunditatem tegat, docet Galenus lib. antidotorum. Sic Hipocrates veratro nigro daucum, vel

vel ſeſeli, vel cuminum, vel aniſum: peplio ſilphij ſuccum miſcet, vel aliud quidpiam non ſolùm odoris iucundi, ſed etiam ſaporis, quem ſub odore intelligere non eſt difficile, cùm horum duorum ſenſoria ſint ſubſtantia, ſitu actione proxima, & in pleriſq; actionibus communia. His enim condimentis medicamenti purgantis inſuauitas corrigitur ſic, vt in ventriculo diutius morari poſsit. Multa enim pharmaca potanti tam ſunt inſuauia, vt ſtomachum peruertant, & vomitum protinus cieant. Alia licet paululum in ventriculo manere poſſint, prauos tamen ructus mouent, & pòſt euomuntur. *Lib. 2. rat. uict. acu. Gal. in natura huma.*

Sapor igitur cuique iucundus quoad eius fieri poteſt ſeruatis medicamenti viribus apparetur, in ſumendis omnibus, vt alimentis, in quibus vt domini gulæ & palato coquus ſeruit: ſic in ſumendis omnibus per os medicamentis ſiue alterent tantum, ſiue humores apparent incidendo, tenuando, tergendo, ſiue humorem aliquẽ qualitate moleſtantem purgent, ſiue partes ipſas roborent totius ſubſtantiæ ſimilitudine, vel aſtrictione, vel alia qualitate manifeſta intemperaturæ partis contraria, ſiue ore retineantur, ſiue etiam deuorentur.

Cuiq; iucundus ſapor nobis dicitur, quòd ne vinum quidem homini familiariſsimum alimẽtum omnes idem iuuat, ſed hunc dilutius, alterum meracius: ſic nec oxymeli omnibus eadem aceti mellis & aquę menſura coquendum, ſed pro cuiuſq; voluptate, quanquàm plurimis naturis commune vnũ ſcribi poteſt, quale quod à Galeno ibi deſcribitur, non tamen omnibus: ſic in diacalaminthe ſi mellis plus inieceris, pluribus iucundius facit: his tamen qui dulcia auerſantur (ſunt enim quædam talis naturæ) iniucundum. Fiat igitur medicamentum cuiuſque naturæ iucundiſſimum, quoad eius fieri poteſt, ſed tamen virium eius vtilitate ſeruata: hanc enim ſolui nolo, dum dulcedini & iucunditati ſtudetur. Ob id rogandus quiſque eſt æger ante medicamenti compoſitionem, quo ſapore [& ſi vis, qua forma medicamenti] maximè delectetur. *Lib. 4. ſanit. tuẽdæ. in oxymelite. Lib. 4. ſanit. tuendæ in diacalaminthe. Lib. 6. c. ph. p.*

CONSISTENTIA.

Craſſa conſiſtentia medicamenta ægriùs & in corpus penetrant & deuorantur, quàm tenui & liquida, vt cibo quàm potu impleri eſt difficilius. ob id craſſa eſſe ſolent ingratiora & nauſeabunda magis. Quæ cauſa eſt, cur bolos catharticos, vt vocamus, liquore aliquo ſuaui diſſoluere non raro cogamur, *Aph. 11. lib. 2.*

mur,qualia adhuc ſunt ingratiora,quàm quæ liquidiora ſunt & perſpicua. Qua propter colo panneo & albuminibus purgare ſolemus. talia ſunt noſtra apozemata,zulapia,ſerapia, & quæ in rem præſentem coquimus aut infundimus medica-

Lib.8.method. menta vel purgantia, vel aliter corpori profutura. Ob id m... aqua exigua liquatur, vt poros cutis obſtructos ingredi ad detergendum poſſit.

Lib.7.c.ph.p. ad finem.

Sic dum aſthma & orthopnœa ſunt ab humore craſſo & lento,vel purè in aſperæ arteriæ meatibus vel pulmonnm cauernulis infarto,tenuantibus,tergentibus,& humiditate copioſiore,vt potu vini largiore opus eſt,quò craſſus humor & lentus ceu liquidior redditus,ſurſum per tuſſes à tergentibus excitatas,egeratur. Si verò abſceſſus adeſt, vino pauco opus,ob id ſiccantia eſſe incommoda reddendis ex thorace ac pulmone excreationibus docet Gal. Eſt quando conſiſten-

Li.5.ſimp. cap.21. *Lib.1.c.ph.p.*

tia non ad gratiam tantùm,ſed ad melius agendum eſt. Ladanum enim quia ceræ conſiſtentia eſt ſimile,humiditatem requirit,quæ liquidius ipſum faciat: vires tamen eius non minuat,imò potius augeat,cùm fluentem capillum per id ſiſtere conſilium eſt. Liquidum igitur fiat in vaſe duplici, ex vino auſtero & oleo myrteo maceratum: vel ſoluatur oleo lentiſcino, vel maſtichino, vel myrteo, & ſi ætas & aër frigida ſunt, nardino, vel vino veteri & auſtero. Quæ omnia adſtringendi viribus cum ladano conueniunt, & calore alimentum pilis attrahente: Hiſpanum verò & omphacinum oleum ſolùm aſtringunt: vetus ſabinum, rinciniũ ſolùm digerunt, ergo horum neutrum per ſe conuenit, ſed priorum loco miſceri ambo ſimul poſſunt. Item ladanum liquidius tonſis tantum capillis adhibemus, craſsius raſis, vt illos penetret, his hæreat, addito quoq; polytricho fiet efficacius ad pilorum productionem. In his autem oleum & vinum etiam rationem habet eius, ſine quo ladanũ nec applicari, nec agere poſſit. Medicamentis quoque capillos fluentes ſiſtentibus, niſi ſint eſſentia tenui, adduntur alia, quæ tenuitate eſſentiæ intrò penetrantia cutem quoque in alto aduſque pilorum radices alterent, neque per ſumma tantùm agant.

Lib.6.c.ph.p. Conſiſtentia mediocris qualis eſt mellis Attici, aut ſordium auris in ſtomaticis, vt in diamoro, & ſimilis craſſitudo in ſtomachicis, vt in diacydonio.

Conſiſt

Conſiſtentia etiam parua linimentis, maior vnguentis & *In fine lib.6.*
ceratis,duriſsima emplaſtris. Quapropter his cera nunc par- *ſanit.tuend.*
cior nunc largior, & lithargyros additur ad corpus & mate- *Lib.1.c.ph.p.*
riam præbendam. Sic oleo ex ſemine abietis, vel floribus *Lib.4.ſanit.*
populi nigræ,& anethino,& chamæmelino, ſampſychino,& *tuendæ.*
ſimilibus ceram & reſinam addit Gal. vbi diutius vult ſuper
vncto corpore manere.

Magna humoris & eius tepidi quantitas in vomitoriis eſt efficacior, præſertim ſi oleagina addantur, & diebus aliquot ſint præſumpta incidentia tergentia.

Craſſa vt metallica, terrea vrendo fiunt tenuiora, & ſic *Lib.6.c.ph.p.*
aptiora ad penetrandum.

Dia καρύων ob eſſentiæ tenuitatem efficacius ſtomaticum *Lib.8.meth.*
quàm dia μώρων. Penicillus,purpura marina,præſertim optima Tyria tinctus,tenuiorem aſtringendi vim habet, qua altè penetrando corpora quæ ſunt circa ventriculum ſiccet ac roboret,& calfaciat,ſi calida illi miſceantur.

Acetum eſſentiæ tenuitate in altum deducit medicamen- *Lib.3.c.ph.p.*
torum aliorum vim, cùm præſertim refrigerandum eſt: vt
euphorbium,quando eſt calfaciendum.

Maſtiche ruſa oleo nardino miſta ad ſordium craſsitudinẽ *Lib.8.meth.*
ſit,quo penicillus purpureus madefactus ſtomacho imbecillo imponatur. Et hæc de tenui,duplici ſicco & liquido.

Contrà eſt, quando craſsities optatior eſt, vt in vlceribus aſperæ arteriæ, aut œſophagi craſſa ſint & lenta quæ adhibentur medicamenta oportet vlceri idonea, cum gummi tamen & tragacantha vel ſimilibus, quæ ſuo lentore medicamentum affectæ parti diutius affigant. Craſsitudine etiam mediocri ſtomatica & ſtomachica eſſe cõponenda paulò antè
probauimus. Sic in vlceribus inteſtinorum, veſicæ, vteri. *Lib.1.c.ph.p.*

Sic in alopecia,vbi olei laurini libræ vni Romanæ miſcuiſti thapſiæ, aut ſi valentius vis,euphorbii: ſi infirmius, ſinapi & naſturcii partem duodecimam, hoc eſt, vnciam vnam: ſi facilè à capite raſo defluxurum tibi videbitur medicamentum,adde ceræ momentum, vt vnciam vnam.

In nocturnis venereorum imaginibus craſsioris ſubſtan- *Lib.6.ſanit.*
tiæ vnctiones ſeu cerata quibuſdam compono,ne facilè à cor- *tuendæ.*
pore defluant.

Piper,zingiber,baccas iuniperi,maſtichen,& alia quædam

integra deuoramus, cùm ventriculum calfacere citra hepatis calidi noxam volumus. Si autē hepar & longinquas partes calfacere ſtudiū eſt, vel aliter medicamēto tentare, non modo ea læuiſsimè trita ſumimus, ſed etiam liquori miſta tenuiſsimo.

Huc pertinet, quòd quædam medicamētis inſpiſſandis adduntur, quæ viribus eorū nec obſunt nec proſunt, ſed materiæ tantum & corporis rationem obtinēt, vt lithargyros emplaſticis, & cera iiſdem ac vnguentis, ceratis, linimentis.

Lib.9.ſimpl. Quanquàm & lithargyros ceu materia miſceatur his quæ valentem habent facultatem mordicantem vel aſtringentem, & cera liquabilibus medicamentis etiam ceu materia, quia etiam ipſa quodammodo media eſt eorum, quæ valentem habent facultatem.

Lib.6.c.ph.p. Nonnunquàm tenuitas & craſsities actionem & ſuam & aliorum iuuant: vt diamoro addita crocus & myrrha, præterquàm quòd phlegmonas oris coquunt, & ille repellit, hæc ſuo calore abundè digerit eadem in altum corpus inflammatum eſſentiæ ſuæ tenuitate ſubiens ſimul croci minus ſubſtantia tenuis, & reliquorum vires ſecum trahit, ac phlegmonem in altum vſque ſanat, ac citò ad cutim recurrendo, ſecum quæ in alto ſunt à ſe tenuata educit. Crocus verò & ſuccus mororum viciſsim contrahendo myrrham intro impellit, & eius ad cutim reditus celeritatem præproperam inhibet. Ob hæc virtus diamori longius peruenit deductis altius à myrrha aſtringentibus: hac autē myrrha ab aſtringentibus impulſa mororū ſucco, croco, ſucco rhoïs, omphacio, roſis ſiccis, balauſtio, malicorio, galla immatura, hypociſthide, & cæteris aſtringentibus vim deleteriam non habentibus. prædicta enim miſcentur, cùm vis diamori validior eſt facienda. Quo loco tenuia & craſſa tanquàm dare operas mutuas videntur, & alterum alterius actionem reddere meliorem.

Lib.6.c.ph.p. Præparatio item quædam per trituram, cribraturam, vſtionem, lotionē, in pleriſque vt meliora ſint, magni eſt momenti, & etiam ordo miſcendi: vt ſi phlegmone indurauit, medicamenta potentius digerentia probè trita & tenuiſsimè cribrata ſint miſcenda, vt coſtus, macer, amomū, cardamomum, pyrethrum, acorum, meon, dictamnus, ſuccus Cyrenaicus vel Medicus. Sunt autem iniicienda, cùm medicamentum propè omnino coctum erit, aut etiam abſolutè coctum.

Medicam

Medicamenta componendo apta exactè ſunt elaboranda, vt facilius corporis meatus ſubeant, ob quem tranſitum celerem ſi calida ſunt ſine morſu munere ſuo funguntur: ſi frigida, celerius expectatum opus præſtant.

Alcyonia vtraque amygdalas amaras totas cum corticibus vſtas & nitrum crematum alopeciæ adhibet Gal. vt tenuiorum ſint partium, & ob id ad imam cutim vſque pilorum radices penetrent. *Lib.1.c.ph.p.*

Medicamenta quæ per venarum oſcula promptè ſubire volumus, & in omnem corporis partem digeri & ferri (qualia quæ ſudores, vrinas, menſes mouent, obſtructiones liberant hepatis, lienis, renum, corporis habitus) illa ſunt curioſè terenda, & tenui cribro cribranda, vt prorſus ſint tenuiſsima. Sic Galenus calaminthen, pulegium, thymum, petroſelinum, ſeſeli, libyſticum, ſemen apii, piper graue ſimul tunſa ſubtili cribro creta miſcet compoſitioni diacalaminthe, ad vacuandum humores acres in tota carne ceſſantes. *Lib.4.ſanitat. tuen. in diacalaminthe.*

Sic ibidem nitrum, cuminum, rutam, piper tenuiſsimum & minutiſsimum facere docet, cùm vrinas multas mouere conſilium eſt: craſsius verò id faciendum, quoties per id aluus eſt deiicienda, ac huius præcepti in omnium medicamentorum compoſitione meminiſſe expedit. Sic hodie nos rhabarbarum negligenter terimus, cùm aluus per id ducenda eſt: curioſè verò tritum damus vrinas moturi.

Aromata ſunt miſcenda ad finem coctionis, aut ea iam abſoluta, cùm vas ab igne depoſueris, quòd largior ipſorum coctio aromaticis medicamentis vires adimit: contra verò lithargyros, molybdæna, & alia multa metallica coquendo meliora redduntur. *Lib.6.c.ph.p.*

Succis ſtomaticis craſsis mel ſtatim ab initio eſt miſcendum, ſi liquidiores ſint, vt ſuccus nucum: percoqui debent antequàm mel additur. nam coctione tam longa vſtum amaricaret. *Lib.6.c.ph.p.*

Multò plura de his quæ ad medicamentorum præparationem pertinent, leges libro tertio. Quæ hic adſcribere non eſt viſum, ne idem bis dictum quiſquam calumnietur, nulla neque vtilitate neque neceſsitate.

Eſt quando acris & mordens qualitas expetitur, vt in balanis & clyſteribus per mel, ſaccharũ rubrum, hieram picram,

mercurialem,ſales,id genus alia.

Neque baſibus ipſis ſolum addenda, quæ ipſam ad partem ſibi familiarem deducant, ſed etiam quæ ipſam in ea parte remorentur, vt ſi in hepate medicamentum morari diutius volo,ſemen raphani ſtomacho gratum ei miſceo,quod medicamentum diſtribui feſtinans retrahat & remoretur. Additur & multis opium,quod vires medicamenti per corpus diſtributi tot coctionibus reſolui prohibeat, aliis ad ſenſus ſtuporem in vehementiſsimis doloribus.

An verò multa medicamenta eadem facultate prædita miſceri debeant, tanquàm compoſitum melius redditura, ambigi poteſt, cùm fruſtra fiat pluribus, quod paucioribus perfici poteſt: tamen cauſæ quædam nonnunquàm incidunt, vt docuimus, quæ nos ad id faciendum compellunt, nec factum *Lib.1.* hoc noſtrum caret veterū imitatione: nam Galenus in compoſitione medicamentorum ſecundum partes idem pollentia ſæpe miſcet, vt ad diuturnam & curatu difficilem alopeciam ſimplicia eiuſdem facultatis euphorbium, thapſia, ſulfur viuum, elleborus alteruter cum oleo laurino, aut cicino, aut veteri miſcentur.

Lib.2. Opobalſamum, peucedanum, caſtorium & ſimul & priuatim ſeorſumq; ſingula in veteri capitis dolore cum oleo & aceto miſcet Archigenes apud eundem, nec reprehenditur. *Ibidem.* Viticem, mentham, amygdala amara, iridem, ana cum aceto & roſaceo.

Lib.6. In ſtomatico diuitum coſti,amomi,maceris,opi Cyrenaici vel Medici, vel alterius: pauperum verò, dictamni, cardamomi, mei, acori, ſinapi, duorum, trium, vel omnium quantam voles menſuram, modo ſint tantum horum drach.tres, aut drach. quatuor & dimidia,pro libra mellis. Si autem quatuor aut quinque drachm.miſcueris, digerens magis reddis medicamentum.

Ibidem. Diamoro & aliis ſtomaticis diuitum miſcere potes vel corticis caſiæ,vel nardi Indicæ,vel folii malabathri,vel omnium *Ibidem.* trium ana drach.vnam, vel drach.vnam & dimidiam. Pro omphacio ſuccus rhois, vel æqualis vtriuſque portio diamo- *Lib.3.ad finem.* ro miſcetur. Chalcitin, miſy, chalcanthum ſimul miſcet Andromachus apud Galenum. Adipes leonis,pardalis,hye- *Ibidem.* næ, anſeris, vrſi propè eadem facultate præditos, ſi habes, omnes

omnes ſimul miſcere oportet,& ad horum partem vnam euphorbii vel thapſiæ partem duodecimam, vel vtriuſque ana partem duodecimam,tuncq; fit valentius.

Seminis erucæ,& naſturtii,& nitri ana miſcet Heras ibidē.

Medicamento ſtomatico dia gleucus miſcet heminas tres rhus coriarii,vel culinarii,aut amborum ſimul ana heminam vnam & dimidiam, & etiam paulò amplius: & addit aſtringentia, ſi principium eſt fluxionis: digerentia, ſi declinatio morbi ex fluxione nati. Quòd ſi vnicum habes vel aſtringens vel digerens ſimplex medicamentum,illius quantitatem auge,vt expleat,quod ab omnibus colligebatur. Quin ipſi dia gleucus & diacaryo omnia immittere licet initio quidem aſtringentia,vt gallam immaturam, ſurculos molles rubi,vel canis rubi,vel corni, meſpili, ſorbi, & fructum eius, & myrtum: roſam, glaucium, cytinos, balauſtia, omphacium,rhun vtrunque prius aqua coctū, tamaricen, ſpinæ Aegyptiæ fructum, & cætera aſtringentia, præter ea quæ pharmacωde,id eſt venenoſam & noxiam facultatem habent, ſi deglutiantur. Digerentia verò mediocria decoctum caricarum, furfuris, mulſam cui incoctum ſit origanum,hyſſopum, thymum, calaminthe,pulegium,mentha odorata. Fortiora ſunt,eaq; amplius coquenda, nitrum vſtum, nitri ſpuma: valentius his ſulfur viuum, pyrethrum. *Lib.6.c.ph.p.*

Andromachus in diarhœo miſcet cinnamomi & caſiæ ana drach.vnam. *Lib.6.*

Croci & crocomagmatis ana drach.duas. *Ibidem.*

Alumen rotundum, ſori, miſy, chalcitis ad oris vlcera ſimul miſcentur apud Gal. *Ibidem.*

Generoſiſsimæ oris collutiones in phlegmone gargareonis, vel aliarum oris partium incipiente parantur ex prædictis aſtringētibus,vel ſingulis per ſe,vel decoctis in aqua cum aliis. Mirum enim quanto ipſorum miſtiones ſubinde vtiliores fiant vſu ſimplicium.

Emplaſtro cuidam albæ miſcet cadmiæ, pompholygis, cineris buccinorū,ſquamæ æris, calcis lotæ,chalcitidis vſtæ & lotæ, ſingulorum drach.quatuor, vel drach.ſex,ſi ex his tantum quatuor ſimplicia miſceantur: vel drachm.duodecim ſi tantum duo tibi ſunt ad manum, vt ex his quomodolibet iunctis drach.viginti quatuor, id eſt, vnciæ tres iniiciantur. *In fine lib.1. c.ph.g.*

Tamen ſi altius ſpectes, hæc non idem pollent niſi genere, ſed ratione maioris & minoris differunt: vt euphorbium violentius eſt thapſia; & hæc potentior naſturtio, vt libro 1. comp.ph.part. ſic in aliis diſcrimen aliquod inuenias.

In arteriacis iiſdem caſia, cinnamomum, amomum, nardus Gallica & Indica, coſtus, ſchœnu anthos, malabathrum, & magma malabathri ponuntur. Item thus, crocus, myrrha diſpoſitiones coquentia iiſdē miſcentur: ſic & glycyrrhiza, gummi, & tragacantha, quæ exaſperata læuigant.

Lib. 4. ſanit. tuendæ. In dioſpolitico ruta, piper, cuminū, mel curioſè deſpumatum, nitrum, ad flatus diſcutiendos omnia efficacia. In medicamento dia trion pipereon tria piperis genera, zingiber, aniſum, thymum. In dia calaminthe, calaminthe, thymum, pulegium, apium, petroſelinum, ſeſeli, libyſticum, piper graue. Ex libris aliis Galeni exempla afferre poſſumus propè innumerabilia, in quibus idem propè pollentia medicamenta ſimul miſcentur etiam plurima. Vide tamen ne copia immodica luxuries, magno ſæpe ægri diſpendio, ſed contentus eſto ſimplicibus quàm fieri poteſt paucisſimis. Quo enim ſimpliciora ſunt cōpoſita, ſi ſcopis noſtris ſatisfaciunt, eò ſunt præſtantiora, præſertim quæ mox à componendo ſunt vſurpanda. Quæ verò ex pluribus conſtant, longa omnium ſimul ceu fermentatione percoqui ferè indigent, per quam vis perſæpe contraria priori acquiritur, & forma quędam noua à ſimplicium formis diuerſa, per ſolam experientiam cognita: vt theriace recens ſtupefacit (niſi cinnamomi præſtātia coctionem eius accelerarit, vt in theriace audies) vetus calfacit, & opera præſtat maxima, quorum vix vllum in recēti inuenias. Ob id experta à veteribus & doctioribus compoſita medicamenta ſunt neotericum compoſitis meliora: niſi ſiqua hi inuenerunt, quæ vſus iam multus optima probarit.

CONSERVANTIA.

POſtremo cùm ſatis non ſit medicamentum nos habere compoſitum in eum affectum efficax, cuius gratia compoſuimus, & addita eſſe à nobis ea, quæ ſunt actioni optatæ non modo neceſſaria, ſed etiam vtilia: niſi idem compoſitum à ſitu & putredine ſeruetur non dies tantùm aliquot, ſed menſes & annos, interdum etiam multos. Idq; ne frequēter idem

comp

componendi labor non neceſſarius ſit ſumendus, vel ne ſimplicium in id neceſſariorum nunc recentiũ facultas tunc non ſit, cùm medicamento erit opus: vel vt tempore vires acquirat medicamentum non ſolùm valentiores, ſed ſæpe etiam prioribus contrarias: quod in theriace & mithridatio accidit, quæ primis menſibus ſtupefaciunt, poſtea calfaciunt.

Porrò ſeruare poſſunt omnia, que ſiccant & humiditatem excrementoſam putredinis authorem abſumunt, vel per ſe, vt ſicca: vel per accidens, vt calida. Ob id omnia ſeruãda medicamenta tam ſimplicia quàm compoſita corruptioni obnoxia, (quædam enim per ſe diutiſsimè integra durant, vt metallica, terrea, ſemina, fructus multi) ſiccamus vel ſole vel igni: etiã ſiccantibus adiectis, melle, ſaccharo, aceto tum per ſe, tum cum ſale, qui ſolus tamen capparibus & carnibus ſeruandis, & oleo, & omphacio, & aliis multis ſufficit, ſiccãdo & aſtringendo, ne calor externus vna putredinis cauſa eas ſubeat, aut internus foras exhalet. quem quia ſuperfuſum oleum intus cohibet, etiam ſolum ſuccis multis diu ſeruandis ſufficit, vt limonum, granatorum, cydoniorum. Eadem de cauſa aqua pluuia diacodio miſcetur, vt medicamentum putredini minus ſit obnoxium: habet enim hæc aqua in ſe aliquid aſtringens. Quatenus autem quodque genus medicamentorũ compoſitorum ſit ſiccandum, hîc audire ne expectes, ſed partim imitatione & experientia diſcas licet: partim ex his intelliges, quæ in modo præparandi ſingula medicamentorũ compoſitorum genera libro quarto ſcribemus. *Initio lib. 7. c. ph. p.*

Sic hiera picra melle deſpumato excepta fit durãtius medicamentũ, & theriaca, & diacalaminthe, &c. Sic ſuccus mororum coctione per ſe, deinde cũ melle fit durãtius diamoron. *Lib. 7. meth.*

Medicamentis cõpoſitis id iam adeptis cura noſtra vt ſeruari diu poſsint, ad virium cuſtodiam ne exhalent, & ipſorũ tutelam ab iniuriis externis, aëre, puluere, araneis, muribus, & id genus reliquis, loco eſt opus non ſolùm communi, ſed etiam proprio cuique quo ſeruentur: cùm ſimplicia plurima ſi loco communi ſolo ſerues, nihil pecces. Reponantur autem compoſita vt ſimplicia in aëre ſublimi, perflatili, ſicco, non ſubterraneo, præſertim humido, vt in quo ſitus celeriter proueniat, qui medicamentum corrumpat. Succi tamen oleo ſuperfuſo tecti cellis vinariis, vti omphacium, melius *Lib. 6. c. ph. p.* *Lib. I. antidot.*

lius ſeruãtur, quo aëris externi magnis mutationibus aër ille minus ſit obnoxius. Tamen in magnis vrbibus & frequentibus cum denſa & anguſta ſint ædificia, & contignationes plerunque humiles, redimitur iniuria apertis dies totos feneſtris: præterea ſiccitate ignis ad quotidianas compoſitiones neceſſarii. In his tamen officinis multo ſunt præſtantiores, ad quas ſcanditur, & à quarum area tabulatum abeſt longius. Præterea quæ aëri libero ſunt apertæ ac ſoli, modo is radio medicamenta compoſita non attingat. Nec improbandæ, quæ ſolem orientem aut etiam occidentem ſpectant, neque etiam in ſeptentrionem apertæ, modo ſublimes, perflatiles, à cloacarum & aliorum inquinamentorum iniuria remotiſsimæ.

Priuatus autem locus cuique medicamentorum compoſitorum generi ſuus eſt, antidotis ſuus, trochiſcis ſuus, ſuus & catapotiis, & aliis ſimiliter. Is autem ferè vas eſt, idq; vel terreum, & id multiplex, vel vitreum, vel ligneum, vel ſtanneũ, quæ maxima turba eſt, cõtra Galeni decretum, vel etiam aliis metallis conſtans. Præter hæc quædam alio teguntur, vt catapotiorum maſſæ aluta alba colligãtur. Sed de his fuſius libro ſequente in pharmacopolarum inſtrumentis.

Omnia tamen operculantur, quædam ſimplici ex eadem materia tegmine, & eo interdum per ambitum picato aut cerato: alia ſubere, linteo, ſtuppa, membranis, corio, papyro, aut alia re quauis, nonnulla etiam cera, reſina: quædam ſolo, vt diximus, oleo, quæ tamen & communi tegmine ex papyro aut alio obſtruuntur.

Exemplo baſim & cætera exerce in hiera picra. Aloë ſola in hiera prauos humores ex ventriculo vacuat, maſtiche additur ceu apta ſtomacho & grati odoris, & ad frangendam vim aloës medicamentoſam efficax.

Cinnamomum tenuiſsimarũ partium, ventriculi tunicarũ meatus aperit, humorum craſsitiem tenuat, & lentorem terget, quos alioqui aloë nunquam traxerit ob imbecillam vim purgatoriã. Ad bilioſas autem in ventre diſpoſitiones præſtantiſsimũ eſt remedium, vt multos ſtomachi vitio moleſtatos vno die frequenter ſanauerit. Cinnamomum item alios omnes affectus ex prauis ſuccis cõtractos iuuat miſtum: quia facultatẽ habet, qua prauas qualitates in naturalem ſtatum reducit.

ducit. Poterantq; hæc duo ſufficere, cùm cætera ſint partim apta ſtomacho, partim tenuia & abſterſoria, virtute tamẽ longè inferiora maſtiche & cinnamomo: genus autem facultatis idem habentia, lib. 8. c. ph. p.

QVANTITAS.

HActenus qua methodo ſimpliciũ medicamentorũ compoſitioni aptorũ delectum facere oporteat, & quot vt paucisſimis ad compoſitionem ſit opus, abundè docuimus: nunc addamus quæ horum ſimplicium quantitas, id eſt, pondus aut menſura (doſin vocant) eſſe in cõpoſito debeat, ſi illa videlicet certis limitibus omnino circunſcribi queat, quos vltra citraq; compoſiti facultas optata eſſe nequeat. Nam in vnoquoque non modò medicamentorum, ſed aliorũ quoque omniũ remediorum genere quãtitas ſola eſt, quæ ad vnguẽ nec dici, nec ſcribi poſsit, ſed coniectura tamen artificioſa. Medicus natura prudens, & multa Medicorũ lectione exercitus, ipſisq; medicis operibus quantitatem excogitabit cuiuſq; legitimam, aut ei proximã ex affectus eſſentia, magnitudine, temporibus, ſitu: ex partis affectæ natura, ex ſimpliciũ deniq; ipſorum facultate vel valida, vel languida non neglecta indicatione à forma medicamenti conſtituenda, ab aëris tẽperie, ab ægri habitu molli, duro, raro, denſo, ſenſu tactus exacto, obtuſo, conſuetudine huius vel illius medicamẽti, aut inſolentia. Affectus enim paruus, recens, ſuperficiarius, ob hæc curatu facilis mitiora poſtulat medicamẽta contraria, quàm qui in eodẽ genere eſt, ſed magnus, inueteratus, profundus, proinde curatu difficilior: is enim valida requirit. Vt enim plantæ nouellæ etiam ſummis duobus digitis nulla vi euelluntur, vbi verò altius radicarũt, ligonibus, aſciis, multorum hominum robore magno indigent, vt euellantur: ſic morbi recentes leuiora, qui longa mora inualuerunt, valentiora etiã remedia poſtulant. *Gal. in apoplexia.*

Adhæc ſuperficiariis & ſublimibus corporis affectibus medicamenta viribus integris quia occurrunt, tanta eſſe debent, & ſic efficacia, quanta eorum vi contraria affectus ipſi vt profligentur indigent, & pars ipſa ferre debet. Ad profundos autem affectus penetrando vis medicamentorũ obtunditur, quia alteratur, quia aliis etiam miſcetur: ob id tantum ei

virium cumulamus,& ſuperdamus,quantum in via diminutum iri conieсtamus, vt earum reliquum vincendo affectui ſit æquale. Cætera hoc exemplo fient manifeſtiora,ſi ab affectu,vel affectibus variis ſumpta indicatio, & quæ à temperamento partis affectæ,aut etiã totius,& ab aëre ſumitur. Idem medicamenti genus ſuadet, vt refrigerans, medicamentum affectui contrariũ eſt augendum viribus & quantitate,magis, quàm ſi ſinguli affectus hi ſeorſum conſiſterẽt. Vt affectui calido in temperamento frigido in aëre calido,refrigerantium vis maxima eſt adhibenda:quia affectus refrigerãtia ſibi contraria poſtulat, & aër quatenus inſaluber eſt, quia intemperiem morbo habet ſimilem, quæ ipſum fouet & auget, temperamentũ verò partis frigidum, ſimilibus ſeruandũ. Quòd ſi cutis eſt dura & denſa,& ſenſus obtuſior, non modo frigidiora, ſed quæ tenuitate eſſentiæ promptè penetrent, vt acetum,ſuccum corticis viridis nucum,præter hæc affectus requirit. Si verò hæ indicationes pugnẽt,& diuerſum poſtulent medicamẽti genus,quę numero & viribus vincunt,vim medicamenti augendã ſuadent,quæ vincuntur minuendam, magis & minus pro numero & dignitate indicantiũ. Si verò affectus multi ſint implexi naturæ contrariæ, vt hydrops cum febre,vrgentiori maior vis remediorũ opponatur, non neglecto tamen altero: ſic vbi cauſa morbi & morbus diuerſæ ſunt naturæ,vt pituita frigida humida cauſa febris quotidianæ calidæ & ſiccæ diſpoſitionis, vrgentioris maior eſt habenda ratio:pituitæ videlicet per tenuantia,incidẽtia, tergentia,coquentia,phlegmagoga eius generationẽ prohibentia:febris per refrigerantia,humectantia, putredinem finientia : ſi æquè polleant,prior & maior cauſæ eſt habenda ratio,vt quę tollenda primo loco ſit. In complexis enim affectibus conſiderandum eſt,quis affectus cum quo,quis ſine quo, quis poſt quem curandus vel non curandus eſt.

Lib.3.ſanit. tuendæ.

Lib.7.method. & 9. & aliis.

Si autem cauſa morbi & morbus eadem poſtulent remedia,ea ſunt augenda vt tertiana febris calida ſicca à bile flaua, putrente,calida,ſiccaq; etiam ante putredinem, affatim refrigerandum eſt.Sed hæc ſimplicium facultatem intendendam potius probare videntur, quàm ipſorum quantitatem augendã:quanquam aucta quantitate facultas etiã intenditur:vt ſi pro cinnamomo duplũ caſiæ cinnamomo longè inferioris

ponit

ponitur, quantitas ipſa caſiæ aucta cinamomi vires repręſentat. Item quò plus & maior quantitas ſimplicium calfacientium vel refrigerantium, vel aliud quiduis efficientiū miſcetur, eò valentius eſt id medicamentum, vt in dioſpolitico tantum nitri quantum ſingulorum aliorum, purgatorium ipſum reddit: & dia trion pipereon eſt medicamētoſius & valētius aniſi, thymi, zingiberis ana drach. ſexdecim, quàm drach. octo: & hiera picra valentior cum drach. aloës 120. quàm cum drach. 100. vel paucioribus: & ſic in reliquis vires magnas habentibus comperies.

Item ſi natura id eſt temperatura partis affectę & corporis totius eſt eadem, maior ſit quantitas, & vis medicamēti cum natura partis & totius conſentientis, ob id ſicca magis adhibe vlceri partis natura ſiccæ, ſi totum quoque corpus eſt ſiccum: contrà autem ſiccandum minùs ſimile vlcus, in parte præhumida toto etiam corpori præhumido: nam vis medicamenti tunc naturæ partis incōmoda eſt ac contraria.

Si verò partis & totius natura eſt diuerſa, adhibe medicamentorum parti & toti conſentientium portionem æqualem, vel medicamenta inter vtriuſque naturam media: vt ſi corpus humidum, pars ſicca, miſce humida cum ſiccis æqualiter, vel humido ſicco temperata ſimplicia: non oblitus tamen indicationis, quam vlcus omne inſinuat, ſcilicet ſiccandum ſe eſſe, eoque magis, quò eſt ipſum humidius, & eo minùs, quo eſt in parte natura humidiore. *Lib. 3. & 7. method.*

Ex dictis igitur apparet, quòd affectus ipſi præſidiorum genera nobis indicant, menſuram verò cuiuſque remedij, & particularem in materijs differentiam, ſuggerit præter affectum pars ipſa affecta, ægri temperatura, ætas, vis vitalis, aëris temperies, vt lib. 2. comp. ph. partic. docet Galenus, vbi Apollonium reprehendit, multa capiti ab ictu vel caſu dolenti remedia componentem, nullius tamē ſimplicis expreſſa menſura. *Lib. 2. c. ph. p.*

Quantitas verò huius vel huius ſimplicis in cōpoſito, nec maior, nec minor cur ſit impoſita, ratione non caret eorū qui primi ea miſcuerunt: quòd ſi paulò vel plus vel minus eorū quorundam miſcuiſſent, fortaſſe nec illegitima fuiſſet compoſitio, ſed quia vſu longo bona eſt comprobata, eam ne mutauerimus. Cùm enim exquiſitè affectuum (quibus præcipuè medicamenta componuntur) natura cognoſci non poſſit, neque

neque fortaſſe ſimplicium, coniectura quadam artificioſa col legerunt maiores noſtri, ſimplicia his viribus vtcunque cognitis, hunc affectum coniectura tantùm ſanatura. Quantitas autem ſimplicis eius maior ferè miſcetur, cuius facultate ad morbum profligandum magis egetur, ſiue illud ſimplex ſit, ſiue compoſitum, quo præter cætera morbum oppugnare Medicus propoſuit: ferè addidi ob id, quòd quæ baſes magnarum ſunt virium & periculoſarum, parciores miſcentur. Sic in theriace, minor eſt portio paſtillorum theriacorum, quàm ſcilliticorum: in ſcammoniatis medicamentis parcum ineſt ſcammonium, ob valentem facultatum eius actionem. Item quæ denſa ſunt, parciora miſcentur quàm rara. Præterea cùm multa facultate eadem, vt colorifica & roborante prædita, ſi in remedium aliquod miſcentur, vt xylaloë, mentha, abſinthium, cariophyllum, maſtiche, in ſtomachi epithema parciora miſcebuntur, quàm ſi ſingula tantùm imponerentur: quòd quantitas menſuræ vel vnius vel plurium, totius effectum intendit, quod caſsia duplex, aut carpeſium multũ pro cinnamomo planè declarat: quòd illa imbecilliora tamen quantitate ſua huius qualitatem propè adæquant.

Quantitatem igitur & menſuram miſcendorum medicamentorum ſimplicium, eſt quando primum coniectura tantùm metitur, etiam facultatis ſimplicium peritus. Vbi verò expertus eſt affectum ab eo medicamento in corpore relictum, ſeu medicamenti opus, conſiderat ex eodem ſi quid à ſcopo deficit, idque ſufficit: vt pſilothrum corpori ſemel iuſto tempore admotum, ſi ſatis egerit in alijs partibus continua: ſin minus, auge vim ſimplicium pilos auferentium, vt calcis, arſenici, ſandarachæ: ſi nimium egerit, vt vrat & vlceret, vim illorum remitte, minuta ipſorum menſura, & aucta portione aliorum vim iſtam frangentium. Si quidem exactè ſimplicis alicuius miſcendi, aut cõpoſiti medicamenti atque adeò reliquarum cauſarum ſalubrium quantitatem, nemo ante experientiam inuenerit: coniectura tamen ſic antè iudicat & expendit, vt nullus multum improſper ſuccedat euentus. Vbi igitur à tutiſsima in ſingulis menſura inceperis, & quod ex ea ſequutum eſt æſtimaris, potes quotidie vel addere vel detrahere, & quod omiſſum eſt corrigere. Sic in diacnico, cnici ponitur & caricarũ par modus: ſed prout ſe habere id

Lib.1. c.ph.p.

Lib.2.c.ph.g.

Lib. 5. ſanit. tuendæ.

re id ad ſumentis naturam experieris, aliàs plus, aliàs minus cnici immitte, lib.5. ſanit. tuendæ.

Præterea ſimplicium miſcendorum facultas imbecilla vel valida, magni eſt momenti ad cuiuſque iuſtam quantitatem limitandam: infirmioris enim doſis poteſt tutò augeri, vt duplũ caſiæ pro cinnamomo, duplũ radicis panacis vel radicis peucedani pro ſucco radicis alterutrius. ſic omnia reliqua imbecillia miſceri poſſunt largiora, niſi quid vetet, vt quantitas totius immoderatior, vel forma conſtituenda vitietur, vel niſi futurum ſit imbecillius tanta imbecillorum portione quàm poſtulet affectus. Pro cuius portione augenda vel minuenda medicamentorum purgantium, digerentium, aſtringentium, vel alia facultate præditorum vehementia.

Quæ verò ſunt vehementiora, vt elleborus alteruter, ſcammonium, colocynthis, opium, quantitate parua ſunt miſcenda, & cum præmeditatione. Sic quibus eſt aurium dolor ex inflammatione vehementiſſimus, opium caſtorio pôdere æquali multò antè miſcendum eſt: ſi autem mitior eſt dolor, duplicato caſtorio, ambo in ſapa ex muſto diſſoluta, quia dolores magis lenit, quàm vinum dulce. *Lib. 6. c. ph. p.* *Lib. 3. c. ph. p.*

Facultas quoque remediorum in duris corporibus augetur, vt prædiximus. Ob id Galenus cuiuſdam achoribus chartam vſtam ex aceto illeuit, quòd eum vim medicamenti ob carnis duritiem facilè toleraturum conſideret: & ita euenit, eoque remedio paucis diebus perſanatus eſt.

Adhæc quibus ſenſus eſt acrior, mitiora: quibus obtuſior, valentiora ferunt remedia: ſic Galenus in hemicrania veteri à cauſa frigida auribus ſenſu tactus acri, ac exquiſito præditis inſtillabat oleum euphorbiatum, id eſt, quod libra vna olei habeat euphorbij drach. tres incoctas: ſi autem obtuſior earum eſt ſenſus, habeat olei lib. vna. euphorbij validi, & recentis vnciam dimidiam: ſi autem ſit inualidum vetuſtate drach. quinque, aut plus accipiat. *Lib. 2. c. ph. p.*

Item quæ medicamentum gratius faciunt augenda vel minuenda pro aliorum qualitatis natura: vt ſi ſtomatica fiant ex inſigniter aſtringentibus, vt ſucco cornorum, duplum aut triplum mel poſtulant: Mitiores verò ſucci, vt meſpillorum, pyrorum, & multorum fructuum æqualem mellis portionem, aut ſaltem quàm prædicta minorem. In ſtomatico digerente

aromatum

aromatum drach.tres,aut quatuor & dimidiam.ad ſummum quinque drach.miſcet lib.mellis Gal.lib.7.comp.ph.part. Libræ mellis aut ſacchari maiores pulueris vnc.tres miſcebant in antidotis efficacioribus, quàm quæ nunc parantur cum vnc.tantùm duabus,vt ſint iucundiora,præterquã in quibuſdam. Aromata item hyeme augenda, æſtate ſaccharum largius miſcendum.

Quantitas etiam quorundam ſimplicium variat temporis ratione,quo ex ijs compoſitio fit:vt ſi ceratum Galeni facis hyeme,minus ceræ poſtulat,quòd etiam oleum frigore hyberno valenter concreſcat non ſola cera,habeatque duritiem lapideam ceratum, æſtate verò largiorem ceram accipiat, quòd ſub illius ęſtu etiam cera ſemiſoluta molleſcat. Ratione eſt eadem vtendum in cæteris ceratis & emplaſtris, & alijs, quæ ceram,reſinam,aliaque à frigore concreſcentia,à calore liqueſcentia recipiunt. Aeſtate etiam minus olei miſcemus emplaſtris & vnguentis,quàm hyeme,quia illius calore ſclutum id, vnguentum reddit perliquidum, vt hyemis frigore concretum etiam multùm,craſſius vnguentum efficit. Ob id Alexander Tral.emplaſtro phœniceo palmularum vnc.decẽ, addit olei vncias æſtate tantùm octo,hyeme vndecim. Auicennas quinto canone vnguẽto apoſtolorũ miſcet olei libras æſtate duas,hyeme tres. Adde quòd prædicta fingimus liquidiora,quando eis ſicca alia,vt æruginẽ,calcem,cadmiam, farinas,pulueres ſumus miſturi:duriora verò primùm componimus,ſi ſuccos aliquos ſunt pòſt recepturi, vt cùm ceratum Galeni aceto & aqua roſarũ,vel alio dum frigeſcit, miſces quantum bibere poſſit.

Rerum etiam miſcendarum natura quantitatem immutat: quæ enim ſicca & rara ſunt coquenda, largiorem humorem poſtulant, quàm humida denſa.

Sic Galenus modiũ ſeminũ abietis iniecit olei libris quinque & viginti,quia maceratum menſes aliquot multò planè minus redditur. Modium verò florum populi nigrę inijcit libris olei viginti tantùm,aut etiam quindecim,quòd hi flores cùm ſint humidiores minus olei macerando etiam per æquale tempus ebibant.

Sic ſyrupus ex ſeminibus,radicibus & alijs ſimplicibus ſiccis raris coquendus,plus aquæ aut liquoris alterius idonei requirit,

quirit,quàm in contrariis: quod in compoſitis medicamentis abundè leges. Plus item liquoris poſtulat, qui ob ſimpliciũ naturam vel formam conſtituendam, longiore coctione humorem halitu diſsipante,indigent,niſi liquor ea ſit natura,vt ægrè vaporet,cuiuſmodi eſt oleum.

Eſt quando quantitas remediorum ſcrupuloſius à maioribus eſt aſcripta, quãdo ſcilicet à maioribus compoſitionibus parciores diuidebant, vt Andromachus arteriace 15. thuris drachma vna,obolus vnus,myrrhę,croci ana drach.vna,oboli duo,ſucci glycyrrhizæ drach.vna oboli tres,aut radicis glycyrrhizæ drach. vna & dimidia. Quæ ponderum diſſolutio frequens eſt in compoſitionibus quarto libro ſcribendis,quas Meſues ac Nicolaus ex aliis plenioribus deſcripſerunt, quales habet multas antidotarium Hadriani, & antidotariũ magnum Nicolai,quod Græcum Romæ audio eſſe,& Græcum affirmat Nicolaus pharmacographus, vt ſuo loco leges. Vbi interdum menſuras aut pondera minimùm auximus,vel minuimus cùm ſcrupuloſiùs diuiderentur: ſed id tantum fecimus in ſimplicibus virium parum efficacium, & à quorum quantitate vel aucta vel minuta nulla aut minima totius mutatio fieret.Quod à nobis rarò licet factũ nemo accuſet, cùm etiam in veteribus quibuſdam compoſitiõibus nonnullorum quantitas circunſcripta nullo propè iudicio inueniatur. Nam thuris drach.vnam, obolos quatuor ſcribit Andromachus in arteriace 13. cùm licuerit ſcribere thuris drach. vnam & dimidiam, vel drach. duas (neque enim tanta eſt vis in thure) præſertim cùm aliorum multò valẽtiorum ſit magnum pondus,vt nardi,myrrhæ,croci, coſti ana drach.quatuor:cùm itẽ in arteriace 12. ſcripſerit croci drach. vnam, myrrhæ drach. quatuor,thuris vnc.vnam: quidam tamen negant licere magnarum antidotorum compoſitionem: vel augere, vt Veneti vim maximam theriacæ & Mithridatij ſimul coquunt: vel minui,quod prædictis exemplis audiſti,quod in maiorũ pondere & menſura vis quædam inſit,& meliùs illorum menſura paratur.Si tamen non magnus fiat receſſus,parui refert:nã duas libras aut circiter theriaces ſi quis fecerit, non percoquetur à ſuo calore natiuo, & cito vaneſcet, vt vinũ paucum in paruo dolio:in magno autem felicius ſeruatur:ſic theriace quanta à veteribus dicta, largior autem ægrè paratur, commiſce

Lib.7. c.ph.p.

Lib.7. c.ph.p.

miſcetur, coquitur.

Lib.6.c.ph.p. Quin & quãtitas ipſa interdum incerta ipſis etiam authoribus fuit, vt in ſtomatico Critonis, *διὰ γλεύκους* rhus coriarij drach. vna, alij drach. duas: gallarum drach. quatuor, alij gallas triginta: croci drach. duas, alij drach. vnam: aluminis ſciſsi
Ibidem. drach. duas, alij myrrhæ drach. vnam. Sic in ſtomatico Andromachi ex gallis triginta, & aceti albi ſeſquicyatho: alij ſcribunt cyathis nouem rhus obſoniorũ cyathus vnus: aliis cyathi nouem, mellis cyathi duo: aliis ſeſquicyathus ſcribitur.

Hanc verò ambiguitatem ſoluit Galenus, vt aceti & rhus ana cyathi nouem ponantur, tuncque amplior fiat coctio, qua gallæ tenereſcant: id quod multò eſt præſtantius, quàm ponere vtriuſque ana ſeſquicyathũ, tunc verò parcius eſt coquendum. Coctio ergo longior, breuior, humoris in quo eſt facienda quantitatem nobis inſinuat.

Lib.4 .ſanit. tuendæ. Sic in acopo *δι᾽ αἰγείρου* modum florum populi nigræ immittit quindecim aut viginti libris olei.

Lib. 7.c.ph.p. Numerus etiam ſimpliciũ ad quantitatem refertur, quem alij alium in iiſdem etiam compoſitionibus ſequuntur, vt in arteriacis & hippoglottidibus: alij tria, alij quatuor ſufficere putarunt, alij in maiorem numerum extenderunt. Eſt tamen quando numerum non mutamus, vt in tetrapharmaco, in theriaca diateſſaron.

Lib.1.c.ph.g. Non multùm differt, ſiue cẽtum drachmis metallicorum, ſiue ſex & nonaginta duæ olei cotylæ miſceantur ad emplaſtrum: in re verò magni momenti drach. quatuor adiicere aut demere magni refert.

FORMA COMPOSITI.

Lib.6.c.ph.g. POſtremò forma compoſiti vel vtilior fini propoſito, vel gratior ægro, vel ſeruando medicamento aut vtendo accommodatior, ſuadet huius vel huius medicamenti copiam vel largiorem vel parciorem: vt ſi os volo colluere lacte cum tritis foliis pruni, liquet multo lacti pauca folia miſcẽda: ſi volo illinere, contrà pauco lacti multa pruni folia trita miſcebo.

Collyria oculi aſtringentibus præſertim metallicis præpollentia, multo liquore ſunt diſſoluenda: crocus, myrrha, caſtorium, thus, lycium, in quibus vincunt, multò parciorem liquorem requirunt, craſsiuſque medicamentum faciunt: ſi linimen

nimentum cuiuis parti paras, ceræ pars ſexta oleo miſcenda, niſi ſicca etiam quædam miſceas, tunc enim minuenda eſſet cera: ſi ceratum liquidius fingis, quarta pars ceræ: ſi ſolidius, tertia: ſi in formam emplaſtri, ſecunda miſcenda eſt. Cætera ad formam compoſiti pertinentia quæ ſimul ad definiendam ſimplicium quantitatem pertinent, mox audies. Interdum nulla ratione forma compoſiti variatur, ſic dioſpoliticon, dia trion pipereon, diacalaminthe, vel ſicca, id eſt, in puluere vſurpat Galenus, vel melli admiſta. Sic Andromachus cùm medicamentum ad coxendicum dolorem ſcripſiſſet ex ruta vtraque, abrotano, ſilphio, baccis lauri, aphronitro, colocynthide, cardamomo, ami, galbano, opopanace, ſulfure viuo, vt emplaſtrum ex ipſis faceret, addidit picem, reſinam terebinthinam, ceram, adipem. *Lib.4. ſanit. tuendæ.* *Lib.10.c.ph.p.*

Eſt quãdo mutatur, quo ſit efficacius medicamentũ: ſic hiera picra ſine melle cũ aqua ſumpta magis roborat vẽtriculũ, & ſuccos vitioſos in vẽtriculi tunicis contentos vtilius extrahit: melle autẽ deſpumato excepta, minus ventrem roborat, & magis deiicit, minus ob hæc vtilis prædicto affectui. *Lib.7. meth.*

Sic pro fotu, ex oleo vnguẽta, cerata, emplaſtra formamus, vt parti materiæ diutius hæreant, vel alia materia in aliis partibus ſed craſsiore ſubſtantia, ſi diu hærere volumus. Contra verò ſinibus liquida omnia iniicimus, vt quaquauerſum ſpargantur, & nullam ſinus partem quantumuis anguſtam relinquant intentatam. *Lib.2. ad Glaucconem.*

Sic liquidiora expectorandæ à pulmonibus & thorace craſſæ & lentæ materiæ formamus medicamenta. Sic læuiſsimè terimus, quæ vrinas, ſudores, menſes mouere volumus, prætereà ex liquore puriſsimo & tenuiſsimo non craſſo, lento, turbido damus. Sic clyſteres nunc maximè aquoſi, quando ſolum eſt eluendum: craſsi magis & lenti, ex adipibus, butyro, vnguentis, muccaginibus, cremoribus hordei, tritici, orizæ, & ſimilium, quando inteſtinis immorari diutius, & hærere tenacius volumus.

Adhæc forma hæc compoſiti medicamenti à nobis conſtituitur alia atque alia, pro morbi, partis affectæ natura, figura, & ſitu, proprietate ægri, & modo præparationis ſimplicium ad formam aptam neceſſario, & medicamenti componendi differentia.

Phlegmone enim externa contactum emplaſtrorũ,& aliorum ſimiliter durorum ſine noxa non feret,vti nec vlcus ſiue ſimplex ſit, ſiue cauum, ſed omnino liquida poſtulat: illa fotus,linimenta,cataplaſmata,cerata mollia: hoc,emmota & ſoluta oleo vel liquore alio emplaſtra linamentis imponenda, vel etiam inſtillanda, & iniicienda in ſinus ipſos. In quorum fundum ſola liquida permeare poſſunt, ſi decliues ſint & recti. Si verò anfractuoſi & aſcendentes etiam iniectione vix fundum vlceris illa liquidiora attingent.

Linamenta,item turundæ,ſplenia pro vlceris figura & ſitu fiunt: adhæc etiam turundæ frequenter cannullatæ (vt vocant) fiant,id eſt tubum aliquem argenteum,ferreum,plumbeum complexæ, per cuius meatum pus largum continenter effluat,ne mora in parte rodat,& vlcus augeat.

Amara & id genus alia nobis ingrata ventriculus cùm non ferat,ea catapotiis vel alia forma concludimus,vt integra deuorentur,nec ſenſum ſui deglutiendo præbeant: aliquo proptereà iucundo etiam teguntur, melle, ſaccharo, pomorum, prunorum,vuarum carne molli,inuoluta interdum foliis auri vel argenti,vel alio ſimili.

Tali item vel tali forma debet conſtare medicamentum, vt partem affectam attingat: hinc ſunt inuenti à medico peſſi colo vteri affecto,balani inteſtino recto,(quamuis ei ad excretionem irritando hodie frequentius ſeruiant) clyſter craſſis inteſtinis magis quàm tenuibus.

Sic ſtomatica, & arteriaca, & ſtomachica fiunt forma & conſiſtentia mellis ſeu craſsi & liquidi media nonnihil tenaci: errhina liquida,aut puluiſculi:apophlegmatiſmata in nodulo, vel aliter ſolidiora. Catapotia item aut bolos formamus,cùm à longinquis partibus trahendum: potiones potius, cùm vias alimenti primas inanire ſtudium eſt: Medicamenta tenuiſsima & cum tenuiſsimis miſta & ferè liquidiſsima, quæ ad vterum,renes,veſicam, articulos, cutim volumus penetrare. Qua in re eſt ægri conſuetudo naturaq; conſulenda: vt in opſoniis & cibis aliis inueniendum experientia eſt, quod cuique eſt optimum (aliud enim alii ſecundum naturæ proprietatem eſt melius) ſic in medicamentis quod cuique ſit non modo gratum, ſed etiam optimũ inuenire tentandum eſt, rogando ſi quando vſi ſint medicamentis vt purgantibus,

& quib

& quibus, quantis, quando, in quo affectu, qua parte anni, & quomodo eos habuerit. Quidam enim à medicamentis in totum abhorrent, quibus iuſculo, aut potione dulci, aut ſapore alio ipſis iucundo medicamenta tegimus, vt inſcii ſumant: alii poſſunt quidem medicamentum deuorare, ſed vel potione tantum, vel bolo, vel catapotiis, vel forma alia. Sic in admotis quidam emplaſtra ferunt, linimenta cataplaſmata non ferunt, alii contrà. Sunt qui emori malint, quàm clyſterem recipere, quibus per epomphalica eſt ſuccurrendum, ſi ne per ſumpta quidem licet. Capitis dolori veteri calido aut frigido, raſo ipſi in formam emplaſtri aut cerati admouenda ſunt tonſo ad cutim, aut capillis aliter breuibus liquida adhibe.

Succus ex corticibus nucum expreſſus, quia ſubſtantia eſt tenuiori quàm ſtomatico conuenit, & coctus eſt à Galeno & mel additū, vt mellis conſiſtentiā ſtomaticis idoneam haberet. *Lib.6.c.ph.p.*

Eſt tamen quando ſimplicium præparationis modus ad aliquam te formam impellit, vt ex infuſo ſiue macerato rha barbaro, bolum aut catapotia, aut formam aliam ſolidam non feceris, vti neque ex herba virente, fructibus mollibus, reſinis recentibus puluerem. Ob id conſiderandum tibi eſt, quam formam hæc medicamēta vſta, lota, aſſata, cocta, infuſa, trita, deſtillata magis requirant, & in qua melius ſeruentur, & felicius agant in affectus, & cōmodius poſsint applicari. Tametſi multa formamus in figuras quaſdā ſub quibus raro in vſum veniunt, vt trochiſci forma ſunt ſolida: ad oculos autē liquore aliquo in cote medica ſoluuntur. Pulueres in alias atque alias formas nunc ſiccas, nunc liquidas, nunc medias abeunt.

Formæ huius vel huius cōſtituendæ gratia non pauca medicamentis componendis miſcemus, quæ poteſtatem aut nullam aut exiguam admodum medicamento parando afferunt, ſed materiæ commoditatem præbent, vt vel emplaſtri vel cerati ſpeciem per ipſorum miſtionem conſequantur. Qua ſola cauſa lithargyros emplaſtro dia chalciteos miſcetur, quia nec calida, nec frigida, nec humida eſt, & parum ſicca, vt ad primum gradum, nihilq; aliud vehemens habet. *Lib.1.c.ph.p.*

Eidem emplaſtro dia chalciteos miſcetur cera, quòd ſine hac, alia eius emplaſtri ſimplicia ad talem conſiſtentiam non peruenirent. Eadem cera aliis emplaſtris & vnguentis quibuſdam & ceratis miſcetur, vt materiæ commoditatem affe- *Ibidem.*

rat, poteſtatem nullam aut exiguam afferat.

Sic adipes, olea, gummi, reſinæ adduntur, nunc vt ſpiſsius, nunc vt liquidius medicamentum reddant: quæ tamen ſæpe miſcentur, vt materiæ rationem habeant, & poteſtatem medicamento tradant: vt ſi ex ruta vtraque, ſilphio, baccis lauri, abrotano, aphronitro, cucurbita ſylueſtri, cardamomo, ſulfure viuo, & ſimilibus ſiccis nec glutinoſis volo facere medicamentum iſchiadi admouendum, quia per ſe non hæreret, addo prædictis glutinoſa, picem, reſinam terebinthinam, adipem, ceram. Addere poſſum hammoniacum, bdellium, galbanum, opopanax, & ſimilia quæ emplaſtica ſunt, & emplaſtri compoſitioni conferunt, & emolliunt, & quantitatem picis, & ſimilium minuendam oſtendunt.

Lib.10.c.ph.p.

Eadem ratione terebinthinæ, aut eius loco larici & abietinæ puluerem glycyrrhizæ miſcemus, vt in bolos veniat, licet glycyrrhiza etiam renibus tergendis modicè conueniat, potentius hac rhabarbari puluis læuiſsimus cum illis reſinis miſtus renes vacuat, & facilius ſumitur. Alii vel alterutrũ vel vtrunque ex cicerũ decocto multum calente malunt ſumere.

De his non pauca in vſu recto medicamentorum, quædam libro tertio, plurima libro quarto in ſingulis propè compoſitis medicamentis animaduertere poteris.

DE RECTO VSV MEDICAMENTORVM.

HErophilus dogmaticorũ medicorum doctiſsimus, præclarè dicebat medicamenta vt cætera medicorum præſidia per ſe & ſola nihil eſſe, niſi rectè vtentẽ habeant, quando demum ea veluti deorum manus rectè dixeris: iuuant enim plurimum, vbi his vſurus eſt natura prudens ac induſtrius, & in rationali methodo exercitus. Propterea etiam rectè Aſclepiades medici officiũ eſſe dixit, vt tuto, vt celeriter, vt & iucundè curet. Ante hos prudenter nos Hippocrates hortatur, omnia medicæ artis opera ſic perficere, vt iuuẽt, vel ſaltẽ non offendant. Quam rem Galenus his omnibus poſterior lib.12. methodi, & locis per quàm multis inculcat, quòd res ea magnarum ſit virium, non modò vt medicus calumnia vacet, ſed etiam culpa: cùm proximè ſecundum Deum hominem adiuuat, & cui morborũ magnitudo, cõplexus, maligni-

Celſus.c.4.li.3
Lib.1.c.ph.g.

tas perniciem extremã minatur. Hinc medicus ceu terrenus quidam Deus affulgeat, conſilium & auxilium afferens ſaluberrimum, cuius beneficio aut vitam ærumnoſam calamitoſamq;, aut impendentem exitum facilè æger vitauerit. Non abs re igitur nobis viſum eſt, huc rectum medicamentorum vſum adſcribere, tanto certè præſtãtiorẽ prius ſcriptis omnibus, quanto finis ipſe omnibus his quæ præ ſe antecellit. In quo noſtro ſtudio ſi quid deſiderabitur, ex lib. comp. phar. & methodo medendi ſufficere cuiuis paruo negotio licebit.

Medicatio conſiſtit in medicamentorũ affectui cõtrariorũ, & ob id idoneorũ copia & horũ vſu congruo, cõtrarietatẽ ex affectus natura & magnitudine ac medicamẽti facultate affectui receſſu æquali contraria, ſumendam nemo ambigit, & id abundè in ſcopis componendorũ medicamentorũ explicauimus: vſus iam cõgruus inuentorũ methodo remediorũ affectui contrariorũ dicẽdus eſt, qua methodo perficiatur. Vſus medicamentorũ congruus ſumitur ab affectus præter naturã cauſa præſente, eſſentia, magnitudine, temporibus: ab ægri, partis, aëris, medicamẽti natura planè cognita. Affectui enim calido multũ, vt ordine ſecũdo, frigida ſecundo receſſu: calido modicè frigida mediocriter conueniunt, ſiue talia ſint per ſe, ſiue id per accidens præſtẽt (modò nullum hoc incommodũ ſequatur) ſic vt exceſſus omnis æquali contrario exceſſu expugnetur. Eodem modo in reliquis intemperaturis tam ſimplicibus quàm compoſitis, & tam nuda qualitate conſtantibus, quàm cum materia coniunctis. Item in pituitoſo affectu, quæ pituitam incidant, tenuent, tergeant, vacuent, gigni prohibeãt, rectè exhibẽtur, & in aliorũ humorum vitio ad portionẽ: ſic in incõmoderatione & ſolutione continui. Morborũ quoque alia ſunt atque alia remedia, pro temporũ tam vniuerſalium quàm particularium ratione, vt pòſt fuſius dicemus. *Lib. 7. meth.*

Aegri temperatura, commoderatio, vnitas partium, quæ fuit ante morbum, ſcopus eſt quò tendimus, ſiue intemperaturam corrigimus, ſiue morbum organicarum partium proprium, ſiue ſolutionem continui. Natura enim calidior ſimilibus medicamentis ſeruatur: ſæpe etiam læditur à ſimilibus ſuæ intemperaturæ cauſis, præſertim ſi calidis multũ & frequentibus vtatur: modico autem contrariorum vſu iuuatur ac emendatur. Conſuetudinem tamen per morbum mutare

ne tentaueris, ſi Galeno auſcultas, quia tunc naturam morbos victuram expugnaueris. Qui corpore item ſunt raro, minus opportuni ſunt purgatióibus, & aliis vacuantibus præſidiis: quemadmodũ etiã puerilis ætas per inſenſilem tranſpiratum continẽter multum vacuata, quòd humor in ea promptè à multo calore tenuatus, confertim diſsipetur. Qui nunquam medicamento ſunt vſi, cum maiore præmeditatione medicamentis ſunt tentãdi. Rogãda item cuiuſq; naturę proprietas. Sani quoque corpore medicationes grauiter ferunt.

Qui ventriculo aut hepate ſunt calidiore, à medicamentis calidis, qualia ſunt purgantia omnia, vt cæteris ſumendis calidioribus læduntur. Medicamenta valentiora & tenuiora longè diſsitis partibus, aut profundis, & ſenſu obtuſo præditis debentur: ſublimibus verò & facilè ſentientibus, & quibus propinquis medicamentum viribus integris occurrit, mitiora & craſsiora ſufficiunt, niſi alia ratione valens & tenue exigatur.

Aph. 5. libr. 4. & ſequẽtibus. Sub cane & ante canẽ difficiles medicationes: æſtate item per ſuperiora magis, ſi facilè vomant, purgandi: hyeme per inferiora purgationes potius deligendæ: quia eò natura vergit, & locus eſt conferens, vt in melancholicis quoque & tabidis. Medicamentis præſertim valentibus rarò, & cum multa cautione vtendum eſt.

In ſingulorum medicamentorum vſu explorandum, quomodo ægros habeant: ſi enim plus commodent quàm obſint, toleranda: ſi contrà, tollenda: vt in ozæna ſi à medicamento morſum ſentit æger, coniectandum eſt, quod ſimplex in eo mordet, idq; tollendum, vel abluendum, vel minuendum, vel alio obtundendum, vel in eius genere mitius capiendum: vt ſi acetum erat peruetus & valde acre, capiendũ eſt acidum magis & ætate mediocre, aut ſaltem vinoſum, vel eius loco vinum dulce vel auſterũ, ſi affectus requirit. Sic & in aliis vlceribus & morbis reliquis, effectum medicamenti eſt diligenter obſeruandũ, vt intelligas an in eius vſu tibi ſit perſeuerandum, an totum mutandum, an ſimplex in eo aliquod ſit augendum, vel minuendum, vel obtundendum, vel mutandum.

Quapropter ei qui rectè volet medicamentis vti præter ægri & morbi naturã, medicamẽtorum tam ſimpliciũ quàm compoſitorum vires ad vnguem callere debet, & ex his ſemper

per

per optima ac probatiſsima deligere. Cùm enim affectum aliquem certò ſanans habes medicamentum, & quod nunquam ſucceſſu proſpero te fruſtratur, graue eſt ac iniquum, certioribus remediis in præſens omiſsis, noua tentare, curioſæ alicuius experientiæ gratia. ob id cùm Galenus ad rabidorum canum morſus haberet medicamentum omnino probatiſsimum *διὰ τῶν καρκίνων*, & præter id alia multa, ſed parũ certa, nunquam voluit in hos morſus alia tentare, aut albam Heræ emplaſtron id promittentem experiri: quia an id præſtare poſſet, dubitabat, cùm ſimilis ſit Attalicæ albæ myrrha ſolum & adipe ceruina & cera alba Põtica larga adiectis. Quòd ſi hæc morſum in quibuſdam naturis ſanat, & eum non ita magnum, neque cum ſpuma adeò maligna, omnem tamen morſum in omnibus naturis totius ſubſtantiæ proprietate non ſanat, vt *Διὰ τῶν καρκίνων*. Quæ res ſæpe fecit, vt Medici quidam Empirici pharmacis quibuſdã ſe primùm adeò feliciter geſſerunt aliquando, vt in admirationem ſui alios perducerent, ipſi tamen in aliis euentu proſpero fruſtrati, ſunt irriſi. Non vtenda igitur tibi medicamenta, neque alia præſidia, niſi quæ omnino profutura certò ſcias, vel ſaltem nihil prorſus nocitura: aut ſi nocitura minimum ſint, noxam illam facilè tollendam maiore commodo compenſent. Poſſem aliarum quoque obſeruationum (quas indicationes appellamus) exempla ex Galeno proferre plurima, niſi prolixitate diſplicere metuerem: tamen quædam poſteà afferemus, & poteſt quiſque nullo negotio ex ipſo locuplete Galeni promptuario proferre.

Lib.1.c.ph.g.

In fine lib.11. meth.

Ad rectè vtendũ medicamẽto non ſatis eſt nouiſſe ſimpliciũ id conſtituentiũ vires, ſed etiã totius compoſiti facultas tibi eſt noſcenda, & ab his qui ſæpe eam ſunt experti diſcenda. In medicamẽtis enim compoſitis ſingulorũ quæ miſcentur virtus & qualitas non amplius conſeruatur, ita vt eadem maneat, nec mutetur, nec in vllam qualitatẽ tranſeat: ſed aliqua omniũ fit vnio, tota ipſorum temperie per tota miſta: & vna quadã alia virtute ex illis ſic miſtis profecta, vt in œnomelite exactè per coctionẽ temperato, neq; mellis, neq; vini ſaporem omnino deprehendis, ſed diuerſum quiddam. Sic in theriaca & cæteris compoſitis cuiuſque miſtorum vis & qualitas non manet, ſed vbi omnia omnibus ſunt confuſa, &

Gal. in theriaca ad Piſonem.

in vnitatem quandam naturalem concreta , vna diuerſaq; ex omnibus ſimplicibus medicamenti natura creatur.

Lib.1.c.ph.g. In compoſitione ſimplicium medicamentorum inter ſe contrariorum facultates omnino corrumpi quibuſdam viſum eſt, vt aqua feruētiſsima cum frigidiſsima miſta, neutra illarum qualis erat prius permanet , ſed tertia quædam , ab *Lib.2.c.ph.g.* vtraque diuerſa, gignitur. Non ſolùm tamen cuiuſque compoſiti facultatem expendas, ſed prius ſimpliciū medicamentorum naturam, vt communem compoſitionis viam ac vſum intelligas, & tuo marte poſsis conficere ſimilia, & quæ à veteribus citra diſtinctionem ſunt tradita, cognoſcas qualē habent poteſtatem, vti nos in vtilitate & neceſsitate componendi medicamenti docuimus.

Aduerte præterea vires compoſitorum tempore mutari etiam in contrarium, vt in theriace docet Gal. lib.1. antid. & in Philonis antidoto, lib.12. methodi: hæc enim recentia ſtupefaciunt, antiquata theriace calfacit.

Vſus præterea medicamentorum vt cæterarum cauſarū ſalubriū idoneus, eſt in ipſorum quantitate & qualitate ido- *Cap.85.artis medic.* nea, & tempore apto, quod interdū Galenus omittendū cenſet , continetq; quantitatis & qualitatis ratione. Si enim (inquit) tali & tanta re adhibita corpus egeat , nemini dubium eſt, quin opportuno tēpore afferatur. Occaſio ſiquidem temporis inde ortum habet , quòd fluxile ac facile mutabile eſt mortale corpus, & pro tranſmutationis modo aliis alio tempore auxilis indiget. ob quam cauſam ad docendum tempore tanquam tertio quodam vti conſueuimus, licet reuera tertiū præter duo dicta non ſit. In libris igitur ad ſanitatem tuendam pertinentibus , & methodo medendi paſsim aliis duobus ceu tertia additur temporis occaſio , quæ præ omnibus eſt cognitu difficilis , ac Medicos etiam celebres plerunque fallit, quia præceps ipſa eſt, vt Aph.1. docet Hippocrat.

Initio lib.1. ad Glauconē, & aph.17. & 19. lib.1. Eſt quando vtendi modum velut quartum addit : de quibus quatuor quatenus in medicamentis vtendis Medico ſint obſeruanda hîc agemus, cùm reliquarum cauſarum ſalubriū vſus abundè à Galeno dictis libris & aliis ſit abſolutus.

Cùm autem medicamenti dandi ac etiā admouendi quantitas, qualitas, temporis occaſio , vtendi modus ad rectè medendum magnoperè conducant , ſint verò hæc cuiq; morbo

ac ægro

ac ægro ſua ac propria: nihil autem proprium poſsit ſermone explicari, communia de his docebimus, ex quibus poſsis proximè ad proprium cuique ægro medicamẽtorum vſum accedere. Illa autem communia facilè intelliges, ſi non ignoraris, quæ ſanis ſecundum naturam communia ſunt, ſcilicet pulſum naturalem cuiuſque naturæ, ætatis, habitudinis, partis anni, ac reliquorum: adhæc temperamentum cuiuſque natiuum vel acquiſititium, præterea proprietates naturarum ex ægris rogandas, denique morborum omnium naturam & magnitudinem, & reliqua curanti neceſſarium aliquid aut vtile indicantia.

Quoniam autem quantitas & qualitas exhibendi medicamenti, & componendi ex iiſdem ſumuntur ſcopis & indicationibus, ex ipſo ſermone prius habito nobis de componendi ratione tibi ſunt repetenda, quæ quantitatem atque qualitatem medicamenti tibi definiant. Nam cauſæ morborum adhuc præſenti, magnæ, inueteratæ, expulſu difficili, valentiora, aut largiora, aut frequentiora medicamenta ſunt neceſſaria, ſimiliter & morbus magnus, veteratis, curatu difficilibus, ſi ægri vires, ætas, corporis habitudo, conſuetudo, aëris natura conſentiant. Quòd ſi morbi ſunt complicati, vrgentioris ſeu eius à quo maius impendet vitæ periculum, maior habenda eſt ratio, & ad id præcipua curantis ſolicitudo dirigi debet, non neglectis tamen aliis. Vbi item cauſa morbum efficiens adhuc in corpore adeſt, prima eſt tollenda, deinde morbus ſi quis adhuc ſuperſit: adhæc affectus hic primus eſt curandus, qui alterius curationem impedit, vt phlegmone ante vlcus eſt percuranda, ſi ambo in parte aliqua coierint. Quòd ſi omnes complexi affectus remedia eadem poſtulant, ea ſunt intendenda, modò nulla alia repugnet indicatio: in qua pugna quid faciendum, leges in fine lib. 8. methodi.

Li. 7. method. Triplex morborum magnitudo.

Præterea vt in componendo medicamento magni eſt momenti quantitas medicamẽtorum valentium: parui fit autem portio imbecillorum, etiam ſi largior iniiciatur. Sic in medicando valentibus cum magna præmeditatione vtendum eſt, vt cùm morbus extremus eſt aut acutiſsimus, nullasq; dat inducias, ſi vires, ætas, aër, & cætera non repugnent: mitioribus autem etiam larga quantitate ſi vtaris, aut nullum, aut minimum inde periculum ægro accedet.

Vt autem paucis rem in memoriam reducam, medicamenti tam ſumendi quàm admouendi qualitas à morbi natura ſumitur, vt calidum ſit morbo frigido, frigidum calido, &c. laxans tenſo, denſans raro, & in cæteris contrarietas: indicationibus etiam ab aëre, natura totius, partis, conſuetudine, habitu non neglectis. Quantitas verò à cauſæ & morbi magnitudine præſenti vel impendente, partis affectæ ſitu, figura, habitu, ſenſu, ægri natura, viribus, conſuetudine, medicamenti facultate: & ſubſtantia tenui, craſſa, familiari, noxia obſeruatis, vt morbo magno, profundo, longinquo, inacceſſo, in parte denſa, obtusè ſentienti, in natura forti, fortibus aſſueta, aëre temperato, valentibus, tenuibus vti licet medicamentis: mitioribus in contrariis. Paucis tamen exemplis te exercere in purgantium tanquam vſu periculoſiorum quantitate non pigebit: ſi prius vnum addidero, quod ad medicamenti qualitatem ac ſpeciem pertinet: ne ſcilicet vno aliquo præſertim purgante delecto, id ipſum perpetuò vſurpemus, ſed varia ſunt viciſſim vtēda, ſiue ſcopus idem permanet, ſiue alius etiam ſubortus eſt. Cui nanque aſſuefacta erit tempore ſumentis natura, eius vim contemnet, quòd vſu longo familiare ſit factum, & ei quadātenus affinis reddita ſit natura. quod de mercuriali, braſſica marina, cnico, terebinthina, in ſenibus varianda quanuis à Galeno dictum eſt, verum tamen eſt etiam in cæteris maximè purgantibus. In quibus experientia inueniet quiſque menſuram legitimā ex naturarum proprietate, cùm venter aliis magis, aliis minus his medicamentis ſit obediens.

Lib. 5. ſanit. tuendæ.

Ibidem.

Aloë κατωτερικὰ ſeu ἐκκοπρωτικὰ, id eſt, aluum ac ſtercus deiiciens, eſt à tribus obolis ſeu drach. dimidia, ad drach. vnam. Perfectæ autem purgationis gratia tribus drach. ſumitur aliis purgantibus medicamentis admiſta. Eius per ſe vſus hodie eſt rarior: hieræ verò δι᾽ ἀλόης ſeu picræ creber, de qua in compoſitis. Hîc enim magis ſtatui ſimplicium ſumendorum modum definire. Eadem ab aureo vno ad drach. duas bilem & pituitam purgat Meſ.

Dioſc.

Lib. 6. ſimpl.

Agaricus datur drachmæ vnius pondere vel à ſcrupulis duobus ad drach. vnam: Meſuæ verò bilem & pituitam vacuat, ſi puluis eius datur à drach. vna ad drach. duas. In coctione autē à drach. duabus ad drach. quinque. Actuario dantur

tur drachmæ duæ cum aqua mulſa,vel aceto mulſo ad bilem
& pituitam: ſtomacho aduerſatur,quia ob leuitatem innatat.

Colocynthis Meſuæ bilem & pituitam vacuat data à ſili-
quis quinque ad ſiliquas, id eſt, κεράτια decem: frequentior
eius eſt vſus hodie in hiera dia colocynthidos.

Cnici ſemen phlegmagogum Meſuæ datur à drach. qua- *Lib.5.ſanit.*
tuor ad aureos quinque, ſeu ab vncia dimidia ad drach. ſex. *tuendæ.*
Galenus id cum pari modo caricarum miſtum dat duarum
trium'ue caricarum magnitudine. Actuarius pulpæ ſeminis
eius drachmam vnam dat ictericis in catapotiis: in iure autẽ
galli drach.tres pituitam purgare addit,non tamẽ ſine mole-
ſtia. Cnici ſemen cibis admixtum, & vrtica, & mercuria- *Lib.13.meth.*
lis,& epithymum,& polypodium, & cætera quæ modicè al-
uum deiiciunt,iecoris cauum per vẽtrem vacuant. Flos eius
à drachma vna ad aureos duos Meſuæ idem pollet.

Epithymum datur drachmis quatuor cum ſero lactis aut *Lib.14.meth.*
mulſa ad purgandum humorem melancholicum.Meſuæ ve-
rò ad humores aduſtos melancholicos,pituitam datur puluis
à drach. tribus vſque ad ſeptem: decoctum autem à drach.
quinq; vſque ad viginti datur melancholicis: & pituitoſis ab
oxybaphi menſura ad drach. quatuor. Actuario autem ſcru-
pulorum quinque pondere. Quantum verò variet Græco- *Dioſc.*
rum & Arabum epithymum lib. primo dictum abundè eſt.

Scammoniũ Meſuæ cholagogũ datur à granis quinque ad *Dioſcor.*
grana duodecim, aluum reſoluit duobus obolis ſumptum:
drachma autem vna aut obolis quatuor cum aqua vel mulſa
ſumptũ per inferna bilem & pituitam extrahit. Modus ſcam *Actuar.*
monii ſcrupuli duo,plus paulo,aut minus pro viriũ ratione.

Polypodiũ cum gallina aut piſcibus coctũ datur ad aluum
ſoluendã,& bilem atram pituitamq; detrahendam Dioſcori-
di:nõ expreſſo tamen pondere,vti nec Galeno lib.13.metho-
di, qui in ſimplicibus purgatorium non facit. Meſuæ datur
ad bilem nigram & pituitam craſſam à drach. duabus ad
drach.ſex:ſenis ſcrupulis cum mulſa datur Actuario.

Veratrum nigrum vtranque bilem vacuat ſcrupulis tri- *Actuar.*
bus,aut paulò pluribus,vel paucioribus. Meſuæ etiam vacuat
pituitam præter vtranque bilem,à ſiliquis ſex ad partem ter-
tiam drachmæ vnius,vel ad drachmã vnã,qui modus Actua-
rio conſentit, licet magnum ſit interuallum in hoc ſimplici à

ſcrupulo vno ad ſcrup. 3.

Meſuæ doſes recentium medicamentorum. Rha barbarum cholagogũ & phlegmagogum datur puluere à drach. dimidia ad drach. vnam & ſemiſſem. Infuſum verò à drach. vna & dimidia ad drach. duas: vt mendoſus ſit locus hic Meſuæ à drach. vna & ſemiſſe ad drachmas decem: ſic enim nunquàm ſcripſiſſe videtur.

Caſia fiſtula ab vncia dimidia ad ſeſcunciam.

Meſues. Tamar Indi cholagogi ab vnciis duabus ad vncias quinq;, ob imbecillam eorum actionem.

Mannã cholagoga ab vncia vna ad vncias tres nobis: Meſuæ à drach. ſex ad ſeſcunciam tantùm datur, fortè quòd noſtra ſit imbecillior, aut etiam adulterata.

Turbith phlegmagogum Meſuæ datur puluere à drach. vna ad duas: infuſiõe autem à drachmis duabus ad drachmas quatuor.

Caſsia cholagoga & phlegmagoga datur à ſemuncia ad ſeſcunciam, modum eius Meſues præteriit, opinor quòd innocentiſsima eſt etiam largiore menſura.

Senna bilem aduſtam & melancholiam vacuat ab aureis tribus ad vnciam vnam Meſuæ. Lapis ſtellatus ſeu cyaneus idem pollet, & Armenus non lotus à ſemidrachma ad ſeſquidrachmam: lotus à drach. vna ad drach. duas Meſuæ & Alexand. Trall.

Hermodactylus phlegmagogus ab aureo vno ad duos.

Quę alia ſcribunt Dioſcorides, Meſues, purgatoria partim ſunt clementiſsima, partim ob vehementiam hodiè à Medicis damnata: quæ omnia fuſiùs & doctiùs explicauit Ioannes Tagaultius commentario ſecundo in Meſuæ ſimplicia, quæ cauſa facit, quò minùs diu hîc immorãdũ exiſtimem: præſertim quòd ex his quæ vires habent minùs vehementes, neque corpori noxias, menſuram ſi paulò vel augeas vel minuas, nihil peccabis, ſiue medicamentum componis, ſiue exhibes iam compoſitum aut ſimplex. Valentioribus verò aliis rariſsimè vtamur: cucumere agreſti, tithymallis, & lactariis aliis, quibus multis vim purgatricẽ tribuunt Dioſcorides & Meſues, quæ percenſere ſcientes omittimus. De his aliàs pleniùs dicturi, cùm ſimplicia ſolis pharmacopolis explicabimus, nõ etiam medicis. Qui labor poſt hunc ſecundus mihi eſt propoſitus, vt ea ſcilicet fuſiſsimè declarem, quæ ad pharmaco-

poeorum

pœorum artem magis pertinent, ea ſupprimam, quę illos nouiſſe eſt ſæpenumerò perniicioſum, dum in meſſem Medicorum falcem ſuam mittunt, & pharmaceuticen iniquiſsimè exercent maxima mortalium pernicie.

Hydromeli cui incoctum ſit abſinthium tenues ſuccos in ore ventriculi contentos, commodè deorſum impellit. *Lib.7.metho.*

Empetron ad ſolas pituitæ & bilis purgatióes videtur eſſe accommodum. *Lib.6.ſimp.*

Abſinthij coma pota bilem ex vētriculo deturbat vt aloë: pituitoſum verò ſuccum ventri magis affigit, cùm detergendi vim non habeat abſinthium inſignem. Nec aloë valdè his conducit, quòd ei bilis trahendæ ſit facultas: ob id ſalubriter excogitata eſt compoſitio hiera picra, quæ acrimonia calore cinnamomi, & aliorum quæ continet craſſos & lentos ſuccos diſſecat ac deterget. *Lib.6.ſanit. tuendæ.*

Ius galli veteris pituitam & melancholiam magna menſura ſumptum ad lib. tres Meſuæ, cui nullus ventriculus ſuffecerit. Eius parandi ratio eſt apud Alexand.

Terebinthina reſina ſumitur aliquando nucis ponticæ, id eſt, auellanæ magnitudine, aliquando duarum triúmve: hodie à drach. vna ad drach. quatuor vel quinque exhibemus, vel bolo cum puluere glycyrrhizæ, vel cum pulueris rha barbari drachma vna, quando drach. reſinæ tres rarò excedimus, vel potu ex decocto cicerum vel eius loco aquæ illius aut olei deſtillando ſeparati vnc. dimidiam cum vino albo propinamus nephriticis, purgatis priùs venis primis & ventre reliquo. *Lib.5.ſanit. tuendæ.*

Diacnicum ſumitur, vt dixi, duarum triúmve caricarum magnitudinis modus, quem legitimū in omnibus talibus ex ipſa experientia inuenies, cùm venter aliis magis, aliis minùs ſit medicamentis obediens. *Lib.5.ſanit. tuendæ.*

Menſura diacodij ſiue cum ſapa ad ſomnū conciliandum in catarrho acri & tenui, ſiue cum melle ad ſputum promouendum, quæ mediocris eſt duorum cochlearium iuſtæ magnitudinis, augēda & minuenda pro ætate, regione, parte anni: vt ſi hæc frigida ſint, minus eius detur: ſin calida, plus & ad defluxionis quantitatem & qualitatem reſpiciens, plus minus exhibe. Quod pręceptum pręſidiis omnibus eſt cōmune. *Lib.7.c.ph.p.*

Non eaſdem vires habent antidota, ſi ante deleteria & poſt ea ſumantur. Ob id ſi quis quotidie ad præcautionem ſumat *Li.1.antidot.*

antido

antidoti theriacæ, vel alterius ſimilis fabæ Aegyptiæ quantitatem, ſufficit: poſt ſumpta aũt deleteria quadruplo aut quintuplo aucta detur, & bis quotidie, non tantùm ſemel.

Lib.11.ſimp. Aeſchrion morſis recenter à cane rabido dabat per dies quadraginta quotidie cineris cancrorum fluuialium vſtorum cochlearium magnum: iamdiu antè morſis duo cochlearia.

Lib.the.ad Piſon. Quantum tribus digitis capi poteſt milui puluis cum aqua potatur. Aliorum tam ſimplicium quàm compoſitorum mẽſura, pondus, numerus adſcribi hîc poſſet, niſi infiniti propè eſſet operis, & parum neceſſarij, præſertim cùm in compoſitis libro quarto horum partis maximæ doſis declaranda ſit: & cuiuis liceat ex probatis authoribus exempla plurima proferre. Numerum autem in remediis quibuſdam, vt catapotiis, ramis exquiſitè obſeruari ridet Galenus: quod addunt nonnulli volentes auxilium agere nõ temperamento, ſed mirabili quodam naturæ cõſenſu hominibus incognito. Quem conſenſum in his quæ tota ſubſtantia agunt, cum Galeno recipimus, ſed conſtitutum in elementorum miſtione nobis ſola experientia cognita, non in numero.

TEMPVS SVMENDI VEL ADMOVENDI MEDICAMENTI.

DVo igitur nobis pręcipuè ſuperſunt declarãda, ad vſum rectum medicamentorum neceſſaria, vtendi modus, & temporis occaſio. Quæ cùm magnarum ſit virium, non in remediis tantùm medicis omnibus, ſed aliis etiã cunctis in rebus, vt poëtæ ac philoſophi fide bona teſtati ſunt. Pro dignitate nobis eſt tradenda, vt intelligat Medicus, quibus ſibi ſit opus ad rectè vtendum temporis occaſione in medicando, & ſi vis, in cæteris quoque remediis.

Finis vſus medicamentorum eſt, vt affectum è corpore præter naturam profligent, ſiue morbus ſit, ſiue cauſa morbi, ſiue ſymptoma, ſiue duo ex his, ſiue omnia ſimul, ſiue morbus omnino factus eſt, ſiue nondum gigni cœptus, ſed in procinctu vt fieri incipiat, ſiue partim genitus, partim adhuc in gignendo, & partim generandus, ſiue is affectus ſit intemperies aliqua, aut incommoderatio, aut ſolutio cõtinui. Cùm igitur medicamentorum vi ſiue purgante, ſiue alterante, ſiue

glutinan

glutinante, vel aliud quiduis affectibus præter naturam curandis neceſſarium præſtante, affectus ipſos ex corpore ægro vel neutro expulimus, finem vſus medicamentorum iã conſequuti ſumus: modò id fecerimus nullo aut ſaltẽ quoàd fieri poteſt minimo virium incommodo, quas oſtendunt integras aut minimùm læſas ſubſtantiæ triplicis noſtræ ſpirituoſæ, carnoſæ, ſolidæ iuſta quãtitas & proba qualitas, actione inculpata æſtimandæ. Ne ſcilicet nobis probro obiiciatur, morbũ quidem ſanatum eſſe, ſed ægrum aut mortuum, aut mortuo ſimillimum eſſe redditum, aut in alium incidiſſe affectum ex noſtra curatione lethalem, aut priore peiorem, vel non minorem: cùm Medici munus ſit, vt dixi, citò, tutò, iucundè curare: aut ſi omnino curare nõ poſsit, ſaltẽ leuiorem reddere morbum, aut non augere, neque contrarium affectum inducere. Quod his ſępe accidit, qui nulla methodo curant affectus planè nõdum cognitos, ignorata etiam parte in eo affecta, ne addam per remedia, quorum vires omnino ignorant: In vitium enim ducit vitij fuga, dum caret arte.

Porrò affectus præter naturam è corpore citiùs, tutiùs, minore ægri moleſtia pelluntur, vel cùm nondum radicauerunt, vel cùm iam victi à natura fuerunt: quomodò plantæ omnes ortu primo etiam parua digitorũ duorum vi promptè euelluntur: vbi autem radices altiùs egerunt, ne multarum quidem manuum violentiæ diuturnæ cedunt: ſic principio morbi remediis clementibus tolli poſſunt, niſi ea ſint natura, vt etiam principio ardeant, et ſæuiant. Vbi autem in naturam noſtram diutiùs egerunt, remediis quantumuis generoſis non vincuntur, vt ſæpe ferro ſit opus & cauterio. Quomodò item cùm agricola omnes magnas arboris radices concîdit, terra ligonibus effoſſa, feſſus is vires interdum alterius requirit exiguas, quæ arborem proſternant: ſic victo à natura morbo, nondum tamen ob laſsitudinem ipſius profligato, adiutrices Medici manus poſtulat. Quæ alioqui ſolet quem vicit morbum per ſe profligare, vt arborator arborem: quando autem certamine aut longo aut vehemẽti contra morbum longum, magnum, malignum, ipſa etiam priùs haud ita valens, fuerit fracta, tunc auxilio eget noſtro, niſi antè ſuccumbat, etiam nobis eam adiutantibus, ſed planè victam, cadibundam, & moribundam.

Cùm

Aph. 2. & 23. & 25. lib. 1. & Aph. 2. & 3. lib. 4.

Cùm autem purgatio ſit humorũ ſua qualitate moleſtantium facta vacuatio, vomitu, aut potius deiectione, ſi talis humor vel à natura, vel à Medico eius imitatore vacuetur, qualem abundare indicat morbi nõ modò præſentis, ſed aliorum quoque conſuetorum natura, ægri ætas, tẽperatura, vitæ conditio, habitus, conſuetudo, victus ratio, pars anni, regio, præſens cœli ſtatus, confert talis vacuatio, eſtque ægro toleratu facilis: vt ſi bilis flaua calidis ſiccis prædictis omnibus, pituita iiſdem frigidis humidis vacuetur. ab his igitur ipſis & aliis humorem in corpore redundantem demonſtrantibus (quę in ſemeotice latiùs docuimus) qualis humor ſit purgãdus, coniectabis. Qualitatis ſigna hæc ſufficiant nobis ad eligendũ qualem noxium humorem nos vacuare oporteat. Quantum autem ſit vacuandum humoris eius noxij, tolerandi facilitas nobis indicabit: & ſi talia deiiciantur, qualia deiici opus eſt, quòd ſcilicet ſuperabundante vacuato humore, æger ſeipſo fiat leuior, & morbum melius ferat. Si enim humor aliquis naturæ adhuc familiaris vacuetur, vires ſoluuntur & læduntur. Item ſi plurima & repẽtina fiat vacuatio, etiam corruptæ materiæ: nam omne nimium & repentinum naturæ eſt inimicum. Antè tamen coniectura quadam artificioſa ex morbi ac cauſæ eius magnitudine, ægri natura, proprietate, viribus, ætate, habitu, conſuetudine, aëris temperie, & medicamenti viribus præſumendũ eſt, quanto purgante remedio (vt idem in cæteris auxiliis intelligas) tali vt catholico, caſsia in tali tẽpore, morbi talis, à tali & tanta cauſa, in hoc aëre, hoc corpore ſit opus. Quam coniecturam feliciorem tibi reddent probatæ iamdiu doſes, & menſuræ dandorũ medicamentorum, tam ſimplicium (de quibus paulò antè) quàm compoſitorum (quas lib. 4. dicemus.) In his enim minimam & maximam medicamentorum menſuram inuenies: illam omnibus dictis cauſis paruam requirentibus vacuationem: hanc contrariis, in vtriuſque medio collocatas cauſas pro vicinia aut receſſu extremarum coniectabis: in omnibus tamen tutius eſt à minoribus incipere, & pro effecto augere vel minuere.

Aph. 51. lib. 2.
Aph. 27. lib. 6.

Aliarum autem vacuationum, vt eius quę phlebotome fit quantitatis idoneæ ſigna præter hæc ſunt alia, vt coloris ſanguinis mutatio, in phlegmonis ſectæ venæ propinquis, pleuritide, ſynanche: vt animi deliquium ex multa vacuatione in

Li. 9. method.

maximi

maximis phlegmonis, in adurentibus febribus, in vehementiſsimis doloribus, ſi vires prius erant integræ & valentes.

TEMPVS PVRGATIONIS.

Alimentum quoque, alioqui naturæ amicum ad ſuas vires tutandas, prohibetur in acceſsionibus, & aliquandiu ante acceſsiones, niſi virium imbecillitas adſit (tunc enim omni tempore cibandum) multò magis per ea tempora à medicamentis naturam omnino alterantibus & inanientibus, ob id plurimum infirmantibus, eſt abſtinendum, ſi tamen febris ſit aut continua aut intermittens, ſed cum longiſsimis acceſſionibus, tempus eſt deligendum in acceſsione mitius, aut aliquandiu ante acceſsionem, vt aliméto dando, ſic medicamento exhibendo. In febribus verò intermittentibus ſi vnum ſaltem diem ceſſent, eo purgandum eſt, non die acceſsionis: ſi duos dies, obſeruandæ ſunt vires, quas reliquit acceſsio præcedens, & acceſsioni ſuccedens per ſudorem vel aliud vacuatio. Si enim fractæ multum videantur, priore illo die ſunt reficiendæ, poſtero vacuandum: ſin erunt robuſtæ, & nulla poſt acceſsionē inſignis facta eſt vacuatio per ſudores, vrinas, vel aliter, neque acceſsionis vehementia immodicè naturam alterauit, priore intermiſsionis die purgandum, vt ſimul acceſſionis præcedentis reliquias vacues, quæ febrile in corpore aliquid fouent, & acceſsiones anteuertere compellunt, & ſequuturis acceſsionibus materiam adimas. *Aph. 11. & 19. lib. 1.*

Tempus autem idoneum dandi medicamenti præcipuè oſtendunt, motus naturæ (leuiora enim plurima à quibuſdam traduntur) vel morbi, vel vtriuſque, adhæc ægri vires, & aëris conditio, & quæ præceſſerunt, vel adſunt, vel impendent ſpontinæ vel noſtræ vacuationes. Cùm nanque natura integrè ac perfectè criſi ipſa non vacuauit, vel nō vacuat noxiam materiam, quod deficit addet medicus vel medicamentis, vel aliis remediis, ne à reliquiis ipſis recidiua excitetur: vacuabit autem naturæ motum imbecilliorem adiuuans, ſi is per partes idoneas vacuabat, vt per nares hæmorrhagia, ſi ex nare fluat lateris dolentis, ſi quod fortè dolebat: per inteſtina, fluore alui: per vterum, per hæmorrhoidas venas, per vrinarium meatum, per poros cutis, promouendo ad has partes vacuan- *Lib. 9. meth.* *Aph. 20. lib. 1.* *Aph. 12. lib. 2.* *Aph. 21. lib. 1.*

da. Si verò natura deprauatè mouet excremēta,vt ad pulmonem,thoracem,cor, vel aliam partem principem, vel effluxu libero carentem, tunc quia maius damnum eſt ſequuturum, hunc naturæ motū prohibebimus, & ad contraria transferemus & auertemus. Deprauatus etiam eſt naturæ motus, ſi ante coctionem ſymptomaticè vacuat: nam concocta medicari oportet: ſi verò etiam iuſta criſi immodicè moueat,motus eius eſt inhibendus,in contrarium reuellendo.

Aph.22.lib.1.

Morbi quoque motus vel celer in acutis, vel errabundus etiam in aliis, in principio crudam adhuc materiam vacuari interdum permittit: in acutis enim morbis raro & cum præmeditatione,ſed in principio medicamētis purgantibus vtendum, in aliis verò concocta medicari oportet non cruda, nec in principiis,modò non turgeant: ſi enim turgeat materia,& ad excretionem tendat, vel in nulla parte firmam habeat ſtationem, etiam initio purganda, non expectato eius in partem aliquam decubitu, quem poſtea vincere non fuerit facile. Dum enim tales morbi inchoant, vacuanda eſt hæc materia, ſed clementiore medicamento:nec minus in principiis morborum ſalubrium, ſi magna eſt cacochymia, vacuandum eſt, vt reliquam materiam parciorem facilius natura percoquat. Huc pertinet quòd ſymptomata etiā vires proſternentia circa morborum initia,vt etiam in declinatione,ſunt mitiora.

Aph.24.li.1.et Aph.10.lib.4. Aph.22.li.1.et lib.8.c.ph.p. Aph.29.lib.2. Aph.30.lib.2. Aph.29.lib.2.

Eadem verò quia in morbi vigore ſunt valentiſsima,& vires multum proſternētia, ob id dum morbi conſiſtunt, à purgantibus medicamentis abſtinendum eſt. Non modo autem in vigore vniuerſali à medicamentis abſtinendum,ſed etiam in particulari,atque adeo particulari principio: ſi enim eſt in acceſsionibus ab alimento, vtpote nocituro (quia naturam à coquēda morbi cauſa ad alimenti coctionem auocaret) abſtinendum multo magis à medicamēto. Potius enim die eſt intermiſsionis vacuandum, quòd ſi acceſsio vel longiſsima ſit vel continua,medicandum,vt paulò antè dixi,quādo morbus eſt mitior: ſi autem ſit febris homotonos aut anabatica,initio potius medicandum, viribus adhuc integris, & materiæ coquendæ copia naturæ ſubtrahenda. Tunc enim dandum eſt medicamentū, cùm vires validæ id in actum ducere poſſunt & materiam nondum fixam expellere ad medicamentum attrahens,& talem ac tantam vacuationē ferre, qualem hoc eſt cuiu

Aph.2.3.et 25. lib.1.

cuius humoris ſcilicet noxii, & quantam medicamentum hoc facturum coniectura per experientiam longam firmata, colligimus. Deiectiones enim non multitudine ſunt æſtimandæ, *Aph.3.lib.4.* ſed ſi talia deiiciantur, qualia pro morbi natura, ætate, parte anni præcedente victus ratione deiici oportet, & ægri facilè tolerant. Neque enim ſemper optatiora ſunt medicamenta, quæ multam faciunt etiam noxiæ materiæ vacuationem, niſi æger tantam vacuationē facilè toleret. Plurimum enim atque *Aph.51.lib.2.* repentè vacuare, vt replere, malum: quòd omne nimium & *Aph.27.lib.6.* repentinum naturæ ſit inimicum. Ob id etiam Hippocrates empyis ipſis pus, & hydropicis aquam vniuerſim euacuare per ſectionem vel vſtionem thoracis & ventris cauit, quia alioqui omnes moriuntur. Ab aëre autem ſumpta indicatio medicamenti hoc tempore dandi vel non dandi poſteà fuſius tractabitur, & antea obiter eſt periſtricta.

Cùm igitur circa initia & fines morborum ſymptomata, *Aph.30.lib.2.* acceſsio, vigilia, dolor, ſitis, cibi faſtidium ſint imbecilliora, vt morbus horum cauſa eſt mitior: cùm verò morbi in ſuo vigore conſiſtunt, dicta ſymptomata ſunt fortiora, & tunc natura coctioni materiæ vacet. Purgandum aut initio morbo- *Aph.29.lib.2.* rum eſt, aut ſub finem vniuerſalem morborum, aut vtroque *Aph.10.lib.4.* etiam tempore: Initio quidem, vt minorem iam redditam materiam poſsit natura facilius coquere.

Medicari etiam in valde acutis, ſi materia turgeat, eadem *Aph.24.lib.7.* die: tardare enim in talibus malum eſt.

Item in acutis morbis ſi materia turgeat, ea eſt in principio purgāda, cùm maius commodum huius materiæ febrē committentis vacuationē ſequatur, quàm incommodum ex aucto calore per medicamēta purgantia, quæ omnia ſunt poteſtate calida: ſi verò multus illis crudus ſuccus ineſt, vel craſſus, vel lentus, à quo hypochondria inflētur ac tendantur, vel immodicè caleant, aut ſit viſcerū inflammatio, in his periculoſa eſt purgatio in morborum acutorū initio, ſed prius humores noxii, craſsi, lenti ſunt tenuandi, incidendi, tergendi, ad fluxū parandi, & liberādæ ſunt obſtructiones, aperiendiq; meatus, per quos eſt humor à medicamento purgante trahendus, & tranſmittendus, faciendaq; vacuatio, vt in morbis longis tales cauſas ſequētibus fieri cōſueuit, & quibuſdā acutis: nam acutiſsimi nō dant horū auxiliorū inducias. Corpora enim cùm quis *Aph.9.lib.2.*

purgare volet, oportet fluida facere, citra quam operã ſi purgare vomitu aut deiectione coneris, difficilis fit purgatio cum torminibus, vertigine, multo faſtidio, pulſu malo, diſſolutione viriũ & difficultate, ac roſione ibidem: quia omnes ſucci crudi ſunt pigri, & ad motũ inepti, ob craſsitudinẽ & frigiditatẽ. Quo fit, vt vias omnes anguſtas etiam obſtruat, per quas id quod medicamentũ deiicit, ferri ad aluũ debeat, ac ita nec ipſi educantur, & aliis ſint impedimento, lib. 4. ſanit. tuendæ.

Aph. 22. lib. 1. *Aph. 20. lib. 1.* Concocta nanque medicari & purgare oportet, non cruda, nec in principiis, niſi turgeant: plurimæ verò materiæ non turgẽt, ſed firmatæ ſunt in parte aliqua, quas ante coctionem neque medicamento, neque aliter mouere expedit: vbi autem cocta erit, vacuanda, quia tunc naturam habemus euacuationi adminiculantẽ: hæc enim coquendo ſecernit, poſtea excernit ſuperflua, & criſes facit, quas ſi perfectè agit, ſinenda eſt: ſi imbecillius, iuuanda, & quod de legitima noxii humoris vacuatione deficit, à nobis ſupplendum medicamento purgante, humorem ſibi proprium trahente, & natura eundem expellẽte, aut alia vacuatione feliciter à natura incœpta, *Aph. 21. lib. 1.* & per loca conferentia, ſed non abſoluta. Eam autẽ vacuationem abſoluimus, quia quæ ex morbis poſt criſin relinquuntur, materiæ humorũ noxiorum in corpore, recidiuas febres facere conſueuerunt. Cùm enim alieni ſint à natura, nec nutrire poſsint, corrumpuntur & putrent, idq́; celerrimè, quòd ſint in loco calido: ante verò putredinẽ appetentiam proſternunt: ſi in ventriculo collecti ſint, aut corroborari corpus, *Aph. 8. lib. 2.* *Aph. 10. lib. 2.* etiam ſi alimentũ idoneũ aſſumat, qui ex morbo illo reualuit, prohibent, & quo plus alimenti ſumit, tanto peius habet, quòd corpora non pura quanto plus nutries, tanto magis lædes.

Ex quibus apparet, initio morborum purgandos eſſe noxios humores, vel qui ventriculi ſpatium occupant & inteſtinorum, & ſi vis primarum venarum, modo impacti eis valentius non ſint (qualis multus eſt harum regionum frigidarum hominibus voraciſsimus) vel qui motu errabundo huc illuc per corpus incitati feruntur. Tales enim ambo facilè à medicamento etiam clemente, vel ducuntur, vel trahuntur: vt neque contingãt dicta prius ſymptomata difficilium purgationum, vertigines, tormina, lipothymiæ: neque morbus augeatur. In id enim blandioribus, vt caſsia nigra, hiera pi-

cra,

era, & ſimilibus vtimur, quorum vis vltra hepar non fertur, aut non multò vltrà.

Purgandum ſecundo in fine ſtatus vel declinatione morborum, cocta iam materia & cœpta à natura expelli, ſed ob virium eius laſſatæ imbecillitatem nondum omnino expulſa. Quam vacuationem etiam tentare licet, ſimul dum natura criſim mouet imbecilliter, vt geminatis motibus, naturæ & medicamenti, perfecta tunc fiat noxiæ materiæ vacuatio, eaq; per loca conferentia.

Sic hieram dat Galenus in phlegmone vẽtriculi poſt ipſius declinationem, nullo phlegmones ipſius tempore, modo non turgeat materia, neque ad excretionem impellatur, & nullam adhuc firmã inclinationem ad vllam partẽ habeat, aut ſtationem. Purgantia autẽ ſuccos craſſos & tenaces vt pituitã & melancholiam, facilius paulatim & ſæpe purgant, intereà tenuatos, inciſos, deterſos, quàm affatim: ſic enim corpus exagitatur, & ſolum tenue & aquoſum vacuatur: Alexãder Trallianus in cephalalgia à craſsis & lentis & frigidis humoribus, & iterũ in podagra phlegmatica. Sumpto autem medicamento purgante modicè corpus ambulatione mouendũ, vt celerius deſcendat, quod ſumpta hiera præcepit Galen. & ſumpto elleboro, Hippocrates Aph. 14. & 15. lib. 5. *Lib. 8. c. ph. p.* *Lib. 7. meth.*

Poſtquàm autem aſſumptum eſt medicamentum purgatorium præſertim validum, ptiſſanæ cremorem ſorbendum dat Hipp. lib. 2. rat. vict. acutorũ, vt quæ portio medicamenti gulæ & ſtomacho adhæſit, tergeatur, & deorſum trahatur, & alteratio à medicamento in dictis partibus facta corrigatur. Vbi autem fieri inceperit purgatio, negat dandam ptiſſanam, ne vis medicamenti exoluatur. Hodie quoque quod lauatorium vocant, ferè horis tribus à ſumpto medicamento exhibent, hora circiter vna ante paſtum. *Lib. quos med. purg. oportet.*

Si verò medicamentum vel nihil egerit ob naturæ ægri proprietatem, aut medicamenti imbecillitatẽ, aut portionem exiguam, aut inteſtina ſtercore duro per clyſterem prius vacuando obſtructa, aut magnũ naturæ impetum celeriter medicamentum deturbantis, vel non reducentis in actum, vel ob cauſas contrarias immodicè mouerit: ſingulorũ remedia habes in canonibus Meſuæ. Quòd ſi retineatur, & clemens fuerit retentum, præterquàm corpus non lædit, animalis fit ali-

mentum. Valentia verò lædunt ſi retinentur, & in qualitatem deleteriam & venenoſam vertuntur.

Lib.4.ſanit. tuendæ.

Purgantia vomitu interdū ieiunis dantur: ſic Philotimus & Praxagoras crudorum ſuccorum copiam ex ventriculo & primis venis vomitu vacuabant, data largiore mulſa cui incoctum erat hyſſopum, qua etiam hi ſucci crudi ante vomitū ſunt tenuandi & coquendi, & ſi qui etiam poſt vomitum ſuperſunt: modò cum crudorum ſuccorum copia, neq; humor mordax ſit extra venas laſsitudinem vlceroſam faciēs, neque alius affectus vomitū illum impediens: nam eo acres humores per halitum digerendi intra venas in corpus intimū traherentur. Vomitum etiam impediunt hyems, Aph.6.lib.4. phlegmone vētriculi & partiū vicinarū, phthiſis Aph.8. li.4. dolor capitis, quia id vomitus replet, ob id dānatus Aſclepiadi: ſi quis item ægrè vomit, non eſt cogēdus, aut paulatim ad vomendum victu humectante eſt parandus, vt Aph.13.lib.4.

Li.1.loc.affec. & Aph 6. & 7.lib.4.

Lib.5.vſus partium.

Vomitu etiam purgantur corpora poſt cibum, non quemuis, ſed ſalſum, amarum, acrem, ſeu incidentem, tenuantem, tergentem. oxymelite autem cum ſucco rhaphanidis miſto, & multò largiore quàm potus, aut deiectionis gratia ſumpto, facilior & promptior fit vomitus, adhæc efficacior: nam qui ex aqua tepida vim retentricem ventriculi diſſoluēte, & corpus eius à frigido concretum velut reſoluente fit vomitus, etiam ſi vinum dulce ſuperbiberint, tantum vacuat, quæ in eius capacitate innatant, non etiam quæ tunicæ eius internæ hærent, multo minus quæ altius in tunicas ipſas recepta ſunt & impacta: Ad quæ vacuanda, hieram picram Galenus docet eſſe efficaciſsimam.

Sic fotū aquæ calidæ in punctura neruidamnat Gal.lib. 6.method.

Vomendū etiā bis in menſe Hipp.lib.de ſomniis ægrorū.

Lib.6.ſanit. tuendæ.

Poſt vacuatū ventriculum vel bile flaua in ipſum cōfluente, vel etiam in ipſius tunicas altius imbibito excremento, illa per comam abſinthii, hoc per hieram picram, ventri admoue foris vnctiones modicè aſtringentes, vt melinum æſtate, nardinum hyeme, maſtichinum vere. id enim medium eſt inter melinum, quod frigidum eſt, & vnguentum nardinum, quod calidum, potiſsimum cùm amomū liberalius immiſtum habet. Qui locus etiam indicationem ab aëre ad vſum rectum medicamentorum conferre declarat.

Aſtringentia primis epulis ſumpta aluum cohibent, poſt

cibum

cibum ingeſta aluum ſoluunt. Cauſa huius eſt libro 6. ſanit. tuendæ, & 1. lib. & 2. alimẽtorum. Qui verò thorace ſunt anguſto, & ob id pulmone contracto inepti ſunt vomitoriæ purgationi, præſertim per elleborum album. Vas enim vomendo ſibi ruperint in aliquo reſpiratiõis inſtrumento. Quòd ſi alius elleboro purgandus eſt, cibo & quiete corpus antè humectetur, & vomitui aſſueſiat.

Fiunt quoque purgationes vti & phlebotomæ interdum ad præcautionem morborum impendentium, non præſentium curationem: vt cùm quis vere ineunte corpus vacuat, vt à vernis morbis aut æſtiuis ſit liber: vt autumno, vt vitet autumnales morbos ac hybernos. Eadem ratione ſi quis in ſpontanea laſsitudine morbum aliquem prænunciante vacuet, morbum perfici prohibet. Item ſi quis noxiorum humorum ex morbo præcedente reliquias vacuet, vt recidiuũ morbum prohibeat, vt prius dictum eſt: ſic dum plethoricum & optimũ corporis habitũ vacuamus vt corpus ipſum nutriri rurſus incipiat, & ne calor natiuus ſuffocetur, aut vaſa præ copia rumpantur. Aliàs ſanos ipſos nunquã medicamur, quia medicamenta difficulter ferunt, & vertigines ac tormina patiuntur, & ægrè his purgatio procedit, & celeriter exoluuntur. *Aph. 5. lib. 2.* *Aph. 3. lib. 1.* *Aph. 36. & 37. lib. 2.*

Phlegmones initio ſola repellentia, augmento miſcenda coquentia, ſtatu digerentia, quibus ſolis in declinatione vtendum. Eadem ratione in morbis aliis à fluxione prodeuntibus, niſi fluxio eruperit in partes principi alicui parti, vt cerebro, cordi, hepati, ventriculo propinquas: aut niſi materia ſit venenoſa & peſtilẽs: aut niſi materia craſsior, glutinoſior, impactior, profundior, vt in pleuritide, iſchiade. In horum enim affectuum initiis anodynis vtimur, pòſt coquentibus & digerentibus, habita priùs ratione totius corporis, ſi vacuatione egere videbitur.

Hæc de temporibus vniuerſalibus & particularibus morborum, quibus medicamẽta ſumi vel admoueri poſsint, ſufficiant, reliqua ex methodo repetantur.

Tempus aliud quoque ſpectandum eſt in recto vſu medicamentorum, non morbi quidem, ſed motus primi mobilis reſpectu, quod propriè & abſolutè tempus dicimus, & ab eo partes anni & diei.

Lib.7.meth. Cùm morbus dat inducias & delectu habito purgamus, ſiue morbi initio, ſiue cocta iam materia (vt diximus) ferè purgatoria damus medicamenta, cùm ventriculus heſterno cibo eſt vacuus, hoc eſt, manè. Quod tempus intellexit Galenus, cùm dixit, hiera picra dabitur ſolito purgantium medicamentorum tempore. quanquàm in libro quos medicamentis purgare oporteat, & qualibus, & quando, temporis huius non meminit, niſi in ea operis parte, quæ deſiderari videtur, id addiderit. Quem verò librum de compoſitione purgantium medicamentorum promiſit libro 1. comp. ph. part. adhuc deſideramus. Cumq; catapotia dedit ex aloë & hieram diacolocynthidos bis initio lib. 1. comp. ph. part. temporis huius nullam facit mentionem, tanquam id omnibus notiſſimum eſſet, prætermittens. Id tempus etiam hodie ſeruamus, quoties ſiue ad curationem, ſiue ad præcautionem corpus eſt purgandum potione, vel bolo (vt vocamus) vel teſſeris ſaccharatis & ſcammoniatis.

Si verò catapotiis purgandum, magna ex parte media nocte læuiſsimè cœnatis, aut poſt primum ſomnum ea dantur, vacuo iam (vt videri poteſt) vẽtriculo, vt in eis ad actum reducendis ſolis occupetur. Quæ res ei eſt difficilis ob craſsitiem & duritiem, ob id orobi magnitudine & molliora facimus, cùm citò vacuare libet, & minore ventriculi moleſtia. Nam craſſa & dura, vt diutius agant, vtq; potẽtius à corpore toto attrahant, ſi ea vi ſunt prædita, tamẽ craſsitie & duritie, & mora longiore ventriculo moleſtiſsima eſſe cõſueuerunt.

Cùm verò tantùm ventrem inferiorem, ventriculum, inteſtina, ac venas primas purgare libet, etiam hora vna ante vel poſt epulas damus leuiora quædam cathartica, vt catapotia Rufi, & maſtichina, & ex aloë, & quæ ante cibum vocant à conſueto vtendi tempore: item caſsiam nigram. Quæ etiã minore menſura largius purgare videntur, quòd ſecum cibum prope omnem ac potum deturbent. Quibus item aluus natura aut euentu aliquo eſt aſtrictior, his ſuccurrimus datis duabus drachmis caſsiæ huius, aut circiter paulò ante tres paſtus; idq; ſingulis hebdomadis, ſi opus eſt, repetere ſuademus magno ægrorum commodo.

Quibus hepar eſt calidius, his hora vna ante matutinum purgantis medicamenti vſum propinamus, ptiſſanæ vel alte-

rius

rius ſimiliter refrigerantis & humectantis cyathos duos, vt pars in melius alterata minus à medicamẽto mutetur: & horis quatuor à prãdio vnc. duas ſyrupi roſati, vel ſimilis exhibemus, præſertim aëre calido: aut ante cœnã, aut horis duabus vel tribus à cœna medicamentũ idem damus, hepate iam per alimentũ temperato. Qua ratione iiſdẽ exercitationẽ (ſi qua aut celeris, aut robuſta, aut vehemẽs eſt obeunda) ante cœnã ſuademus & venerem, ſi ſint vxorati, innocentiorẽ eis paulò ante cœnã aut ante mediã noctem cùm prædixiſſemus, experientia veriſsimũ comprobarunt: & ſalſa aromataq; ſumma menſa vinumq; generoſius & meracius innocenter magis ferunt, quàm primis epulis. Hac de cauſa enim quietem, hoc eſt, leuiculam mutationem, qualis eſt ambulatio, calidæ naturæ præcipit Hipp. Hac opinor ratione Venetiis & Italiæ magna parte, & calidis aliis regionibus medicamenta ſcammoniata præbent vel paulò ante cœnam, vel horis duabus à cœna, vt cibo potuq; vis eorũ vehemens inducta mireſcat, & ſecum quæ in ventriculo & primis venis pigrè ceſſant, trahat. Quam rem largiſsimæ deiectiones ſequantur, & parua ægri moleſtia, quam profectò calidæ ſiccæq; naturæ maiorem experirentur, ſi in vacuum ventriculum, hepar, venas calentiſsimum id medicamentum feratur.

In his verò frigidis regionibus & pituitoſis maxima parte naturis non ab aëris natura modò, ſed inexpleta ingluuie, à purgantibus ſcammoniatis ventriculo heſterna cœna vacuo non timemus, quòd in eo larga adhuc pituita & fluitet, & hæreat, & altiùs imbibita ſit. Ob id ferè matutinum tempus purgationi deſtinamus, horaſq; duas, tres, quatuor inter medicamentum & epulas interponimus pro medicamenti facultate & ægri natura. Nam ſcammoniata non multò pòſt quàm ſumpta ſunt, vacuant, egentq; primùm iuſculo, quod ipſa celeriùs per inteſtina deiiciat, & noxam partibus impertitam eluat. Rha barbarum verò cùm tardiùs agat, longius ſibi tempus poſtulat ad trahendum, neque cito de corpore pellendum: quia tantum abeſt, vt viſceribus obſit, vt etiam ſua vi aſtrictoria (quam cum purgante coniunctam habet in diuerſis ſcilicet ſubſtantiis) firmiora reddat.

Vbi autem morbi non expectati violentia vrget, quocũq; tempore is vacuationem poſtularit, ſi ea perfici poſsit, & vi-

res ferre queant, à nobis imperatur etiã vehemens, quòd extremis morbis extrema exquiſita remedia ſint optima: & in talibus morbis à vehemẽtiſsimis ſit incipiendũ, nõ quomodo in clemẽtioribus à leuibus remediis curatio initur. Quomodo vlcus omne remedia ſiccãtia morſus expertia requirit: quę verò maligna ſunt vlcera & putrida, acribus egent, & ignis modo exedentibus, miſy, chalciti, arſenico, calce, ſandaracha.

Lib. 1. ad Glaucon. *Lib. quos medic. purg. oportet.* *Lib. de curat. morb. per phlebot.*

Partes quoque anni temporis appellatione venientis aliquid etiam ad purgationes vtile indicant. ob id veris initio pituitam ſiue bilem flauam, & autumno atram, ad vitandos vernos, æſtiuos, autumnales, & hybernos morbos purgare, & venam ſecare cõſueuit Galenus, non æſtate nec hyeme: nam æſtate corpora calidiora & ſicciora, & ab aëre ambiente diſſoluta, medicamẽtis purgãtibus & ſanguinis vacuatione maximè lædũtur, quòd illa calfacit, ſiccat, infirmat, ac diſſoluit, hæc inanitione virium ſubſtãtiam diſsipat: hyeme verò excrementa concreta ad motũ pigra medicamento trahenti dũ non parent, lucta in corpore torminoſa fit & moleſtiſsima, cui etiã lipothymia ſæpe ſuccedit. Phlebotome verò aëre frigido dum calorem natiuum multùm vacuat, & eius pabulũ ſubtrahit, extinguẽdi reliqui caloris periculum affert ab ambiente frigido. Ob id etiam æſtate raris vtimur medicamentis purgantibus, præſertim ſub cane & ante canem, vel ſimilem aëris ſtatum, iiſq; cholagogis potiùs & vomitu magis purgãtibus, quòd eo bilis tunc largior magis repat. Hyeme phlegmagogis vel melancholiam vacuãtibus vtimur magis, & his deiectoriis non vomitoriis.

Aph. 5. lib. 4. *Aph. 4. lib. 4.* *Hipp. de natur. hominis.* *Aph. 4. & 6. & 9. lib. 4.*

Aliud etiam tempus, aſtrorum ortu & occaſu variũ ſpectare iubent aſtrologi in vſu medicamentorum apto, quod tamen hodie Medici propè omnes negligunt, quòd id Galeno obſeruatum non legimus, nec obſeruandum putamus, longa experientia & ratione optima perſuaſi. Tamen recipimus ſpectandas Medico magnas in aëre fieri ſolitas mutationes circa ortum & occaſum magnorum quorundam ſiderum, de quibus multa Aëtius lib. 3. cap. 174. Alexander item lib. 4. in podagra medicamentum Trachii philoſophi dat veris initio, ſole Piſces ingrediente.

Eſt præter hæc tempus obſeruandum, diei pars matutina, meridiana, veſpertina, nocturna, ante cibum, poſt cibum, vel

alia

alia quædam remedia, vel mox à cibo, vel alio remedio, vel multò pòſt. Cuius magna vis eſt in quibuſdã, quorum poſteà aliquot exempla leges.

Ad tempus quoque referri poteſt affectus prior curandus, qui eſt alterius cauſa: vt ſi fluxio à capite in oculos eſt, caput primùm eſt curandum, deinde oculorum firmitati eſt proſpiciendum, vt eorum quæ confluunt minus promptè quicquã recipiant. Aliud prætereà tempus ante morbi generationem, dum præcauemus & morbo iam gigni cœpto, aut etiã genito, quando curamus: ad præcautionẽ enim minor quantitas remediorum requiritur, quàm ad curationẽ. Ob id theriaces fabæ Aegyptiæ quantitas ad præcautionem ſemel die ſufficit: venenato autem, vel alio affectu cui hæc medetur, affecto & largior & crebrior danda. Et Aeſchrion plus puluerìs διὰ καρκίνων dabat iam diu morſis, minus recenter morſis. Et Galenus picrocolis, quibus quod per cutim quotidie tranſpirat, eſt acre, lauare ſemel in die & modicè cum pauco oleo dulci fricare ſufficit, cùm valent: vbi verò ſtipata cutis eſt ab adſtringẽtibus, aut emplaſticis, aut ſiccãtibus, ſic vt iam inæqualitatem caloris horridam ſentiant, vel etiam inde iam febricitent: ſoluta acceſsione bis & ter lauat, oleo ſabino pinguiter & molliter vberius fricat, pro cauſarum magnitudine & multitudine. Lib.7.meth. Lib.11.ſimp. Lib.8.meth.

Quædam nullo diſcrimine ante cibum vel poſt cibum ſumuntur, vt catapotia ante cibum vulgò dicta, quæ etiam poſt cibum accipi & dici poſſunt.

Dioſpolitici puluis cremori ptiſſanæ, vel aliis aptis inſperſus, vel ipſum cum melle optimo & curioſè deſpumato miſtum, ſumitur ante & poſt cibum ad flatus diſcutiendos, & aluum ſoluendam, præſertim ſi nitri tantum habeat, quãtum cumini, piperis & rutæ, quibus 4. ſimplicibus conſtat. Lib.4.ſanit. tuendæ.

Medicamentum dia trion pipereon datur ad flatus diſcutiendos, & iuuandam coctionem, non ſemel bis'ue quotidie, ſed etiam ſæpe: ſiquidem manè & ante cibum & poſt, etiam cubitum euntibus cochlearii pleni menſura, & eius quidem parui in paruis corporibus, maximi in maximis, in mediis ad portionem. Vbi indicationem quantitatis medicamenti ſumit etiam à quantitate corporis. Ibidem.

Diacydonió datur ieiunis mediocris myſtri mẽſura, nec à In fine lib.6. ſanit.tuendæ.

cibo

cibo ſumptum lædit: commodè etiam datur ante cœnam poſt prandium. Detur autem duabus aut tribus horis ante cibum.

Sic condita electaria, pulueres, & id genus alia roborando vẽtriculo idonea, modò ante cibũ, modò poſt ſumi iubemus.

Lib. 4. ſanit. tuendæ. Quæ verò ad alimenti in corpus diſtributionẽ vehementiorem faciunt, ea ſunt ſumenda manè: quòd ſi per ea vacuationem eorũ quæ in carne ceſſant, molimur, poſt frictionem matutinam, ante exercitationem & balneum ſumantur: quando Galenus dabat diacalaminthẽ in laſsitudine vlceroſa cum cocta cruditate primarum venarum.

Lib. 6. ſanit. tuendæ. Quæ hepar obſtructum liberant incidentia, tenuantia, tergentia, vacuantia danda ſunt eo tempore, quod inter ſurgendum à ſomno & lauandum interuenit, poſtquàm ſcilicet iam confecta ſunt, quæ ex ventre ad hepar redduntur, & temporis aliquid eorum operi ante cibum ſumendum dari non inutile fuerit.

DE MODO VTENDI MEDICAMENTIS.

VTendi modus ſupereſt dicendus, cuique propè medicamẽto ſuus, cuique item parti ſuus propemodùm. Sumitur autem à partis natura, figura, ſitu, connexione, magnitudine, ſenſu obtuſo vel acri: affectus natura, ſitu, figura, magnitudine, duratiõe: ægri natura, ætate, conſuetudine, viribus: aëris temperie, medicamenti denique viribus, conſiſtentia, & *Initio lib. 4. c. ph. p.* cæteris priùs in compoſitionis methodo dictis. Quæ enim methodus eſt componendi propria partium medicamenta, eadem his vtendi. Ipſa nanque compoſitio veluti vſus reſpectu efficitur, dum id ſpectant, qui medicamenta conficiunt, vt ipſorum vſu ægris auxilientur. Tamen in multis partibus nõ opus eſt ſolùm, qua methodo remedia ſint inuenienda ſcire: ſed etiam quomodò inuentis decẽter vtendũ ſit: vt in affectibus capitis, auriũ, oculorũ, narium, oris, & cæteris pòſt leges, ſi priùs familiaribus exemplis prædicta breuiſsimè decla- *Lib. 6. c. ph. p.* rauero. Partibus natura frigidis, vt capiti, oculo, etiam ſi morbo calido laborant, actu vehementer frigida, qualia ſunt narcotica, adhibere veremur: licet ab æſtu calfactis olea etiã niue refrigerata capiti affundimus: & oculis calentibus aquã frigidiſ

frigidiſsimam applicamus. Quia capiti rotundo & probè ſphærico affuſum oleũ non cohæret, ex alto per mediocrem lanæ modum ſincipiti affunditur. In partes cauas, vt aures, nares, os, & reliqua ei connexa, vterum, meatum vrinarium, ſedem, ſinum, medicamenta impelluntur, vel attrahuntur, vel recipiuntur corpore in id figurato: in aures enim otenchyta, id eſt, oriculario clyſtere vel ſtrigili infunduntur: in nares flatu per tubum impelluntur, vel inſpirãdo attrahuntur, vel turunda immittuntur. In os impoſita nunc gargarizantur, nunc per foramina palati expiratu propelluntur, nunc deuorantur, nunc paulatim degluriuntur, nũc faucibus retenta ſenſim inſpiratu trahuntur in pulmones, nunc ore retinentur, vt ventriculum vel cerebrum roborent, vt fluxiones acres temperent, cogant, reprimant. Cauitas narium, & ſedis, & vteri, & quorundam ſinuum deorſum ſpectat, ob id vel corpus in contrariam figuram conſtituendum, vel liquidis materiis in hos meatus iniectis, bombace, turunda, peſſo eſt opus, vel alio operculo, ne materiæ refluant.

In os & fauces recepta, foraminibus palati, gutturi & gulæ communia ſunt: in illa autem efflatu, in aſperam arteriam inſpiratu, in gulam deglutione feruntur, quæ ipſi, vel ventriculo, vel hepati, vel lieni, vel tenuibus inteſtinis, vel venis meſaraicis, atque adeò toti corpori per venas & hepar coniuncto cum ventriculo ſalubria eſſe voluimus, vt in craſſa inteſtina per ſedem, in capacitatem vteri per collum vteri, in veſicam, per meatum vrinarium, in ſinibus cauernoſis & fiſtuloſis, pro cuiuſque figura, ſitu, & connexione iniectiones fiunt nunc hàc, nunc illàc.

Quæ hepati foris imponuntur linimenta, vnguenta, cataplaſmata, emplaſtra, ſint latiora, quàm lieni, quàm alteri reni: minora quàm ventriculo, & ventri reliquo.

Quæ capiti magno epithemata, cucuphæ nobis dictæ, vel emplaſtra, vel alia remedia applicãtur, ſint maiora quàm paruo: & quæ cruri circumponuntur maiora, quàm tibiæ: & quę ſedi imponuntur pertuſa cornua (canones buxeos vocamus) in puero minora ſint: & peſſus in recens fœta, quàm in grauida ſit maior.

Clyſter largior magno, vacuo, quàm paruo & pleno, ſiue ab hydrope, fœtu, ſtercore, ſiue à flatibus, cibo, & aliis. Item

parcior

parcior vtero & veſicæ iniectio fiat, quàm inteſtinis, quàm ventriculo: etiã potio immittitur, niſi recens fœta ſit mulier.

Quæ partes ſenſu tactus carent, vt glandulæ, oſſa, cartilagines omnium remediorum vim ferunt etiam cauſticam ſine dolore. Quæ ſentiunt qua parte magis ſentiunt, vt dens interior, muſculi caput & tendo, oculi cohærens tunica, os ventriculi, palma manus, & internum digitorum: hæc mitiora poſtulant remedia, & minùs mordacia, quàm ſi affectus eſt in alia ipſarũ particula minùs ſentiente. Et qui ſunt delicati, mulieres, pueri mitiora poſtulant: ruſtici, foſſores, baiuli, nautæ, valentiora in ſimili affectu remedia ferũt, ſiue ſumenda, ſiue admouenda, facienda, educenda ſint.

Morbus calidus alia, quàm frigidus: humidus contraria quàm ſiccus remedia poſtulat: & calidus primo receſſu alia, quàm calidus ſecundo aut tertio aut quarto: & intemperies ſola ſolis alterantibus pariter contrariis corrigitur: quæ verò cum materia eſt, illius quoq; vacuationem ad ſui curationem indicat. Intemperies ſimplex alia quàm compoſita, & pro vario compoſitionis modo aliis atque aliis remediis vtendum, & recentibus alia ſunt vſui, alia veteratis. Pręterea modus eſt alius ſanandi intemperiem, alius incommoderationem, alius vnitatis ſolutionem, & in quoq; horum genere modus alius, atque alius vtendorum remediorum pro varia horum ſpecie. Aliter enim fracturam curamus, aliter vulnus, & vulnus recens aliter quàm vetus, & ſimplex aliter quàm cauum, & ſordidum aliter quàm purum, & æquale aliter quàm cauum, & putridum ac malignũ aliter quàm ſalubre. Intemperies ſublimis mitiora requirit remedia quàm profunda, vlcus, aut tumor ſuperficiarius admotis remediis idoneis cedunt. Interna etiam ſumptis ægrè vincũtur, vlcus inteſtinorum, vteri, viarum vrinalium, oris: & aliarum partium præhumidarum, & calidarum immodicè ægriùs vincuntur. Vlcus etiam rotundum haud temerè ad cicatricem peruenit, fractura in modũ raphani ægriùs alligatur, ſinus ægriùs curantur, quàm alia vlcera. Magno vulneri non ſufficiunt vt paruo partes cõmiſſæ & deligatura, ſed ferè ſutura aliqua opus eſt. Magnæ phlegmonæ ſi non ſit ſanguis miſſus, & remedia alia idonea ſint adhibita, ſuperuenit cancrena & ſphacelos. Magnus dolor dentium, coli, & aliarum multarum partium vires deiicit,

& ſæpe

& ſæpe eſt lethalis. Magna febris ſeu quia eſt acutiſsima, ſeu quia actiões principes multùm proſternat, ferè eſt lethalis, & extremis exquiſitè remediis eget. Achoribus, alopeciis, cephalalgiis, & aliis affectib⁹ veteratis, ob id ſanatu difficilioribus valẽtiore opus eſt remedio. Febrib⁹ diuturnis vel aliis affectibus natura lõgis, poſt coctionẽ etiã clemẽtiora remedia ſufficiunt, ob id quotidianas & hecticas initio blandè tractandas imperat Galenus, veteratas etiã ſolus aër vernus aut æſtiuus pſanat. In delicatis tertianã exquiſitã pleniore victu curat Galenus, in aliis ſi vires valent, tenuiore. Iiſdẽ purgantiũ vim liquori delicato trãſmittimus, eũ colamus, ſaccharoq; & vulgari cinnamomo condimus, aliis ipſorũ ſubſtantiã totam exhibemus: aſſuetos vni purgantiũ generi aut formę ad vtẽdi modũ aliũ trahimus. A medicamẽtis abhorrentibus ea iuſculis incoquimus, aut aliter alimẽto, vel re iucunda tegimus, ne purgari ſe cognoſcãt, priuſquã facta iam ſit vacuatio. Sic phlebotomen formidãti velatis oculis ſecamus, aut aluum largiùs deiicimus. Quibus partes infernæ laborant, purgationes ſupernas ſi faciles iis ſunt, & conſuetæ imperamus: contrà quibus aliqua ſuperiorum pars laborat, vt tabidis, cephalalgicis, deiectiones molimur non vomitus. Quibus ventriculus eſt imbecillus, adeò vt medicamentum ferre nequeat, vel antè roboramus, vel acri clyſtere vacuamus. Fluente aluo immodicè ad vrinas, ſudores, vomitus retrahimus: obſtructo hepate, liene, renibus, aut inflammato, aliis atq; aliis vtimur medicamentis pro cauſarũ ratione. Nam ſi multum excrementum eſt, ſecta priùs vena ſi omnia cõſentiunt, poſteà clementer purgamus: ſi craſſum, tenuamus, ſi lentum, incidimus, & tergemus, potionibus, apozematis, electariis, id genus aliis.

Lib. 1. ad Glauconem.

Senes, ſpadones, & multæ mulieres, & qui alij gula ſunt anguſtiore, catapotia etiam orobi magnitudine ægrè deuorant, potionem faciliùs. Florentes ætate, genus omne medicamenti quauis propè forma ſumunt, niſi proprietas naturæ obſtet, aut à medicamentis offenſi ipſa refugiunt.

Quomodò conſuetos labores faciliùs ferimus, etiam ſi imbecilli ſimus ac ſenes, quàm non cõſuetos: ſic & medicamenti formam nobis conſuetam faciliùs toleramus, quanuis ratione hac minùs ſit efficax, vtpote nobis iam tempore familiaris reddita, vt imbecillibus venam cubantibus Medici ſecant:

cant:ſic imbecillis mitiora & forma maximè iucunda exhibent medicamenta. In robuſtis minùs ſumus ſolliciti de viribus medicamenti & de forma.

Potiones hyeme calidas imperamus, æſtate frigidas, niſi affectus aliquis repugnet, vt ventriculi intemperies illic calida, hîc frigida. Aeſtate capillum audenter tondemus & radimus, cùm affectus poſtulat: hyeme vix audemus, niſi vrgeat morbi magnitudo.

Cathceretica in hyperſarcoſi larga adhibemus, eadẽ ſumma ſpecilli lata parte puluiſculo parciſsimè vlceri cicatrice tegendo inſpergimus. Valentia purgantia vſtionibus, lotionibus, trituris, aliorum miſtionibus meliora efficimus & ſalubriora, exhibemúſque cum his quæ viribus eorum obſiſtunt.

Cauſtica cùm adhibemus, vndique munimus cera, vel alio, ne vis eorum latiùs ſerpat. Galbanum medio emplaſtro imponimus, quando ad eam partem quam ipſum tanget, largiùs trahendum eſt.

Craſsiora medicamẽta vt emplaſtra, quia phlegmonas ſua duritie lædunt, aliquo aptiore liquido mollimus, & liquidiora miſsis craſsioribus corpulentiora reddimus, vt diutiùs hæreant.

Quorundam ex prædictis ſcopis ad modum vtendi medicamento obſeruandis exempla aliquot ex Galeno maximè proferamus: nam omnium fuerit prolixius, & fortaſſe parum vtile.

Lib.1.c.ph.p. Pilos auferimus vel nouacula, vel pſilothro à parte, cui emplaſticum medicamentum imponimus, & à toto corpore in picatione ad renutritionem, aut picationem inter duo lintea facimus, vel picem oleo aut butyro, aut ſimili minus tenacem reddimus.

Pueris, eunuchis, mulieribus, & cęteris cute & carne molli præditis, digerentia adhibe mediocria, ſi ex corpore illorum, vt ex cute capitis in alopecia diſsipandum eſt: ex talibus enim praui humores facilè diſcutiuntur. In vlceribus eorundem medicamenta morſu carentia vtenda ſunt: hęc enim vel ſine moleſtia omnino agent, vel nihil nocebunt. Quæ verò parem noxam commodo afferunt, non ſunt tentanda, vt quæ polypodas efficaciter purgant, ſi eos exacuunt, non ſunt adhibenda. *Ibidem.*

benda. Multò minus quæ plus nocent quàm proſunt, niſi noxa ſit corrigi facilis: vt noxa ex balneo frigidè per calfacientia in hecticis mox tollitur. *Lib.10.meth.*

Antidota ante deleteria parua quantitate ſemel quotidie ſufficiunt: poſt illa verò quadrupla aut quintupla, & bis quotidie ſunt ſumenda. Id quod etiam ad modum medicamenti refero, vt Galenus ſemel aut bis, aut frequentius cibum dare in morbo retulit, Aph.17.lib.1. Sic Aeſchrion morſis nuper à cane rabido dabat cochlearium magnum pulueris vſtorum cancrorum, iamdiu morſis cochlearia duo quotidie. *Lib.1.antid.* *Lib.11.ſimpl.*

Cùm ſingulis medicamentis validis vtimur, initio clementiora ipſa offeremus, miſtis his quæ vim eorum validam obtundunt, vt oleo, cera. cùm autem imbecillibus vtimur, vt thure, amygdalis amaris in alopecia, poſt vſum primū & ſecundum, obſerua affectum à medicamento in corpore relictum, pro cuius varietate medicamenti vires vel augebis vel mitigabis. Valentiſsima igitur non ſtatim ab initio adhibenda, ſed à mitioribus incipiendū eſt, niſi affectus ſit maximus. *Lib.1.c.ph.p.* *Lib.2.c.ph.p.*

Quoties ſimplicia aut compoſita facultatibus cōtraria miſcemus, initio parum eius quod eſt generoſius miſcendum, ſecundo & tertio vſu augendum, ſi ſucceſſerit: vt in diuturno capitis dolore ab intemperie calida, cum ſpiritu flatuoſo, in primo tranſgreſſu ad calida polygonium cum pauca ruta vel ſerpillo miſcendum. *Ibidem.*

Plethorico corpore in arthritide ſanguis primum mittatur, mox deinde fiat purgatio. Ex ſucceſſu remedii loco affecto prius admoti vel etiam ſumpti coniecta an eodem ſit perſeuerandum, vel ad aliud tranſeundum conſilio Hippocratis, Aph.52.lib.2.

Quæ ſunt polychreſta, id eſt, multi vſus ſeu multis ſimul partium aliquarum, vt aurium diſpoſitionibus accommoda medicamenta, neque multum opitulantur, neque obſunt, ſi perpetuò ipſis vtamur. Quæ verò vni tantū diſpoſitioni conueniunt, illam optimè curant, alias interdum præterquàm quòd nihil iuuant, etiam exacuunt. *Lib.3.c.ph.p.*

Medicamenta media omnibus partis diſpoſitionibus conueniunt, tamen his quæ leuiora aut valentiora requirunt, neque bonum neque malum magnum afferunt. Ob id polychreſtum, id eſt, ad multas diſpoſitiones vtile medicamentum *Lib.4.c.ph.p.*

nullum poteſt optimum inueniri, ſed quod ſingulis eſt proprium, id melius eſt. Polychreſti autem compoſitio vtilis eſt ei, qui vnum medicamentum ad multos affectus mediocriter idoneum habere cupit.

Lib.8.c.ph.p.

Lib.4.c.ph.p. initio.

Partibus laborantibus vt capiti, oculis topica ne adhibeas, niſi vacuato prius toto corpore per phlebotomen, purgationem. In oculis autem etiam caput prius per apophlegmatiſmos vacuandum eſt, errhina enim ad oculos trahunt. Quòd ſi emplaſtica oculis prius adhibes, vehementem excitant dolorem, dum fluentem materiam extra vaſa vacuari prohibent, ob idq; tunicæ horum diſtenduntur ob copiam affluentium humorum, & nonnunquàm rumpuntur vel eroduntur. Nec ſolum his vacuationibus oculum, vel aliam parti idoneam ad curãdum reddimus, ſed etiam reuulſionibus, vt in oculo primum ad inferiora corporis: deinde ad occiput & cutim capitis: interdum & in his arterias incidimus tranſuerſas poſt aures. Poſt hæc genitam in tunicis oculorum diſpoſitionem curamus, quæ etiam bonum ſanguinem affluentem per venas in oculum corrumpit. Curamus autem per deſiccantia ſine morſu humorem in oculo noxium, qui quod influit corrumpit. Aſtringentia autẽ nec ſiccant eiuſmodi diſpoſitionẽ, & mordacis ſaniei effluxum cohibent: acria verò & mordacia ſuccorũ qualitatem augent: laxantia & digerẽtia vacuant quidem hanc ſaniem, vlcus autem cicatrice non tegunt, nec affluxum reprimunt: vt nec coquentia thus, crocus, myrrha, quamuis diſpoſitiones coquere non mediocre bonũ eſt. Acida & amara rodunt, & tales diſpoſitiones exacuunt, & his magis nitroſa, ſalſa, auſtera: ſola igitur medicamẽta roſionis expertia ſanant vlcus cum acri fluxione, longiore temporis ſpatio vitioſum affectæ partis humorem conſumentia: vt collyrium libianum, quod Paulo libanium dicitur, cygnus à colore albo, ex multa ceruſa Rhodiana, terra Samia, amylo.

Lib.4.c.ph.p.

Lib.6.c.ph.p.

Per tempora morborum varia dantur remedia, vt per initia phlegmones, & vehementes influxus auſteriora, per ſtatum dolente multũ phlegmone mitigatoria, laxantia, coquentia. Quòd ſi aliquid phlegmones reliquum dureſcens & ſolutu contumax euaſerit, à repellentibus ad digerentia paulatim eſt tranſeundum. *Si* verò habes medicamentum vnum excellens, vim eius exolue miſto alio: ſi imbecillum, intende.

Oleum lentiſcinum recens in vaſe duplici eſt tepefacien- *Lib.5.c.ph.p.*
dum, ad ſedandum dolorem phlegmonarum in gingiuis, tunica linguæ, cute totius: quia citra moleſtiam & aſperitatem repellit, quam habent plurima auſtera, & citra roſionem diſcutit.

Aſsidua fiat raſura in alopecia ante medicamenti impoſi- *Lib.1.c.ph.p.*
tionem. Raſa cutis nitro tergitur ante digerentium applica- *locis varijs.*
tionem, poſteà cutis deraſa fricatur linteo ſubaſpero, aut fo- *Ibidem.*
liis fici, vt per rarefactam eam ad radices imas pilorum melius penetrent medicamenta humorem prauum digerentia. Medicamentum in alopecia metaſyncriticum, id eſt, ex alto euocans, admoue in aëre calido, & ſi potes in ſole æſtiuo: hyeme autem in laconico.

Ceratum Gal. Δι ἐυφορβίου in hemicrania frigida veteri, aut *Lib.2.c.ph.p.*
iſchiade frigida ante balneum ſemel illitum ſtatim affectui *in fine.*
medetur, ſic vt æger ſanus poſt balneum omnino euadat.

Capiti ab æſtu immodicè calenti (vnde febris diaria naſci *Lib.8.meth.*
ſolet) roſaceum niue refrigeratum ex alto per hapſum lanæ impingitur.

In dolorificis capitis diſpoſitionibus calidis aut frigidis ſed *Lib.2.c.ph.p.*
diuturnis remedia adhibentur idonea, emplaſtri vel cerati modo confecta, capiti deraſo: liquida verò eadem tonſo ad cutim, ſeu breuiſsimos habenti capillos.

In dolore auriũ ex inflammatione vehemẽtiſsimo, opium *Lib.3.c.ph.p.*
æquali portione caſtorii multò ante vſum miſcendum eſt, vt vis eius frangatur: amboq; ſapa ex muſto ſunt diſſoluenda, quia dolores magis lenit, quàm vinum dulce.

Si quid auribus infundendum eſt ſupinis, liquore idoneo reſoluatur in conſiſtentiam, quæ per auricularem clyſterem immitti poſsit, vt trochiſcus ex opio & caſtorio cum ſapa co- *Ibidem initio*
actus, ſapa diſſoluatur. Caſtorium per ſe bene tritum cum *Lib.3.c.ph.p.*
opio in ſapa diſſoluto miſce, & fac paſtillos, quos tempore vſus ſapa reſolue ad eam conſiſtentiam, quæ per otenchyten, id eſt, auricularium clyſterem in aures phlegmone detentas poſsit infundi, vel potius ſpecillum lana molliſsima inuolutum, liquore prædicto merſum in aurem dolentem blandè immiſſum eas foueat, & liquorẽ ſenſim demittat, & cætera.
Quæcunque applicantur auribus & oculis, vt lac muliebre, *Initio lib.3.c.*
albumina ouorum, mediocriter calfacta eſſe oportet. *ph.p.*

Paſtillus & collyrium diaglauciu & diacrocu ex aceto in cote medica læuigatis & calfactis auri infundendus eſt.

In vlcere aurium glaucium ex aceto infundendum: ſi verò cum fluxione ſit, aut pure, paſtillus primum Polyidæ, poſt hunc Andronis, deinde Bithinus. Cui ſimilis eſt aut etiam melior paſtillus Gal. diachartu, vt à leuioribus incipiamus.

Lib.5.c.ph.p. Ad dolorem dentium remedia in aurem lateris nunc dolentis, nunc oppoſitam infundit Archigenes. Auris initio prius tergenda, ne pinguedinem habeat, quàm infundas medicamenta narcotica, reſerantia, coquentia, laxantia, digerentia.

Quæ auribus inſtillantur, mellis aut mellis tenuis habeant ſpiſsitudinem, ſiue ex ſapa, ſiue ex aceto, melle, vino Cretenſi, mulſo, lacte muliebri, albuminibus, ſanie expreſſa ex carne bubula parum ſuper prunas aſſata Aſclepiadi, ſucco perdicii, marrubii, conizæ, cæpæ, porri, ſpondilii infundantur. tepida

Lib.3.c.ph.p. autem ſunt infundenda. In nares etiam puluis continenter

Ibidem. poteſt inſpirari polypo vel ozæne idoneus, quia perpetuo humorum affluxu eluitur, quomodò & in lippientibus oculis.

Linamenta & ſpongiæ, & alia quæ naribus ſanguine fluentibus immittũtur, lino per acum dato deliga, vt retrahi poſsit.

Lib.4.c.ph.p. In quibus oculorum collyriis aſtringentia præpollent, copioſiſsimo liquore opus eſt, pauciſsimo medicamento aſtringente, præſertim ſi id aſtringens eſt metallicum. In quibus verò collyriis eorundem crocus, myrrha, caſtorium, thus, lycium ſuperant, craſsiore medicamento vtendum eſt.

Quæ moderatè influxus in oculum repellunt, ocularibus remediis indita iuuant: quæ verò vehementer repellunt, dolorem augent, tunicas exaſperando magis quàm influentium impetum reprimunt. Vtiliſsima igitur lippitudinibus & aliis omnibus in oculum defluxionibus, vlceribus, puſtulis, quæ modicè aſtringunt, vt roſarum folia, flores, ſuccus, ericæ fructus, ſpica nardi, crocus, lycium, hypociſthis. Eadem medicamentis viſum acuentibus miſta contrahendo & conſtringendo oculorum ſubſtantiam iuuant.

Collyria oculorum in cotibus nonnulli terunt, ex mammis lac boni ſucci inſtillantes, vel liquorem tenuem oui, vel ſi vlcus eſt decoctum fœnigræci: id enim nonnihil terget, liquor oui nihil, lactis ſeroſi pars magis, ſed cum morſu, ob id noxia.

Nam

Nam quæ vlcera replent, tergent ſine morſu. Quæ oculis adhibentur, exactè trita eſſe oportet, & horum quædam inuerſa palpebra ſpecilli parte lata illinuntur. *Lib.3.meth.*

Oculi inflammati foueantur decocto meliloti & fœnigræci ex ſpongia ſemel aut bis in die, ſi parum dolent: ſi multum, ter quater, præſertim longis diebus æſtiuis. Quædam horis omnibus adhiberi poſſunt, vt xerocollyrium Galeni. *Lib.4.c.ph.p.*

Phlegmonæ oculi albumen oui craſſum & lentum ſine morſu eſt anodynum, & diu adhæret. Si in ictero oculi manent pallidi reliquo corpore perſanato, trahe in balneo naribus cochlear vnum aceti acerrimi, & multum bilioſæ ſubſtantiæ defluet. Quia ex naribus, gutture, gula facilè medicamenta ab humoribus per has partes deſcendentibus ex cerebro vel aliunde eluuntur, continuè ſunt applicanda collyria liquida, vel ſicca ſtomatica, vel ſtomachica, vel arteriaca, ſiue ozænas, ſiue polypos, ſiue vlcera narium, vel etiam alios dictarum partium affectus curas. *Initio lib.9.c. ph.p.*

Datis apophlegmatiſmis vel à dente trahentibus medicamentis, ore hiet æger, & deorſum ſpectet, vt poſt medicamenti vſum humor facilè defluat. *Lib.5.c.ph.p.*

Si affectus eſt in aſpera arteria, vel muſculis laryngis, vt laſsitudo motoria phlegmonodes ex vociferatione, ſiue ſumuntur cibi, vt lac, amylum, chondrum, oua: ſiue arteriacæ & hypoglottides eiuſdem cum arteriacis facultatis, vt ex vino thereo, gummi, tragacantha, glycyrrhiza, lenta ſint & emplaſtica, vt partibus quas attigerint, hæreant, aſperitates læuigent, reliquias inflammationis coquant & perſanent: tuncq; medicamenta linguæ ſubdita dum paulatim liqueſcunt, larynx quod in eam defluit, excipiat, æger autem oborienti tuſſi reſiſtat, & ſe contineat, vt medicamenti aliquid in laryngem & arteriam defluat. Eclegmata quoque vt decoctum hyſſopi, ireos, ficuum, nucleorum pineorũ ſorbemus, vt cùm inſpirato aëre etiam portio decocti in aſperam arteriam trahatur, aut id calidum quantitate parua dum faucibus continemus ſemiſupini, aliquoties inſpiramus, aut paulatim deglutimus ſaliuæ miſta. *Initio lib.7.c. ph.p.*

Stomaticis tribus modis vtendum eſt in laxata vua: primò cum aqua præſertim per initia, vel cum mulſa, vel cum chylo, & cremore ptiſſanæ. Secundo modo medicamentũ ſtoma-

ticum purum, vel digitis vuæ illinendum eſt, vel cochleari attingendum & apprimendum. Tertio vuam foràs ad linguam educendo, id quod maximè confert, vt abſcedat à rectitudine, quam vt plurimum ad fauces habet.

Lib.6.c.ph.p. In affectibus partium oris, vt inflammata aut laxata columella Aſclepiades per fiſtulam expirat, & flando expellit medicamenta in partem affectam, aut inſpirari iubet. Quod merito damnat Galenus, nam bona ipſorum portio in gulam & aſperam arteriam delabitur. Præſtat igitur ſiccis columellam ex cochleario attingere.

Si vlcera ſordida in ore puerorum tangis medicamento valente, ſpecillo lana inuoluto in medicamentũ intincto tangatur pars, ita tamen figurato puero, vt non deuoret: poſt colluę decocto lentis aut roſarum mellito: vt in vlcere inteſtinorum craſſorum clyſtere iniiciuntur medicaměta ei vlceri idonea: in vlcere větriculi bibuntur: in vlcere tenuiũ, vtrinq; dantur: in vlcere gulæ non ſemel, nec totum ſimul ſumendũ, ſed paulatim & aſsiduè. Nam ex tranſitu & contactu his vlce-*Lib.4.meth.* ribus vtilitas accedit, non ex continendo & diutius adhærendo, vt ventriculi vlceribus: tamen craſsiora & glutinoſa ex gulæ figura & ſitu facere ea didicimus: hæc enim cibi & potus eſt tranſitus, ob id medicamentis æger, quę hæreãt, vndique quaſi concreſcant & agglutinentur, non eluantur & defluant promptè. Craſſa autem promptè cõcreſcunt, lentè agglutinantur, ob id his tragacantha & gummi miſcentur.

Ibidem. Vlceribus gulæ & cæteris internis adhibětur hypociſthis, malicorium, balauſtium, cytinus, acacia, ſuccus rhus & roſarum, aſter ſamius, ſigillum lemnium, & cætera vlcus interdũ ſanantia, & nullam noxam inferentia viſceribus. Dantur autem ex decocto ſummitatum rubi, myrti, vitis, lentiſci, mali cydoniorum, vel vino auſtero, ſi phlegmone abſit. quæ ſi vlceribus gulæ applicas, gummi miſce, & tragacantham.

Purgantia damus nunc potione, cùm celeriore & parciore vacuatione opus eſt, aut cùm in alios meatus facienda eſt vacuatio, vt mox in hieræ exemplo audies: nũc bolo, vt vocamus, cùm diutius ventriculo immorari medicamentum volumus, vt minus ſit vomitorium quibuſdam, vel à longinquis plus attrahat: aut catapotiis, cùm diutiſsima in ventriculo mora opus eſt. Alia item forma aliis multis de cauſis damus, vt

in comp

in compoſitis patebit,& ante hæc ac poſt,vino vel alio liquore grato os abluimus,vel aniſum cõditum,vel rhodoſacchar, vel ſimile ſumimus,& illa tegimus vmbra,vaſe denſo, foliis auri,carne & cute fructuum coctorum,pane azymo : ſiphone etiam prælongo fauces attingente quidam ſic deglutiunt, vt linguam ſaporum indicem nec attingant, nec afficiant.

Sic hieræ picræ drach. vna Aſclepiadi vel Galeno cum aquæ cyathis quatuor ſine melle, quia ſtomachum euertit, datur tardè coquentibus, aut vomentibus, aut aliter fluente ventriculo afflictis, & cùm declinant phlegmonæ internæ, aut cùm vis mouere vrinam vel menſes cum hydromelite, aut potiùs cum vino,aut potiùs cum œnomelite.Sic enim ex ventriculo eius diſtributionem iuuabis & delationẽ ad vrinas,& quæ vtero inhærent,diſſolues & incides, & robur addes partibus,per quas tranſitur,& calorem partium per quas fertur,augebis: qui etiam multùm confert ad fundendum & vacuandum humores inhærentes. Ex quibus apparet magni intereſſe, quæ medicamenta cum quibus ſumantur vel admoueantur.Ob id in vſu aſteris ſtomachici liquorẽ diſpoſitioni conuenientem requirit Aſclepiades. Aſterem egregium in cephalalgia fronti idem illinit cum aceto : ad auriũ verò dolores perdicii ſucco diluit:ad ſanguinis eruptionem, cum vino myrteo:ad ſanguinis ſcreatum,dyſenteriam, choleram,cum ſucco polygoni : ad tuſſes, cum vino Thereo aut paſſo:ad phthiſes & empyemata,cum ſucco marrubii: ad ſerpentis ictum,cum rutæ decocto:ad menſes, cum ſucco arthemiſiæ:ad ſtranguriam & vuluæ ſtrangulatum,cum mulſo: ad arthritidas,cum decocto gentianæ. *Lib.8.c.ph.p.* *Ibidem.*

Sic emplaſtrum diachalciteos ex contrariis compoſitum, vt in compoſitis audies,vlceribus glutinandis & cicatrice tegendis, & phlegmonis curandis accommodum redditur, aliter atque aliter factum & liquatum. Si enim phlegmone magnum parti dolorem affert,oleum & adeps recentia ſint magis blanda & mitia : eadem vetuſta minus dolenti & diuturnæ phlegmonæ conueniunt:hæcque quò diuturnior & contumacior,hoc magis vetera illa proſunt & ſola curant, modò amplius nihil affectæ parti affluat : ſiquid verò affluit, compoſitum diachalciteos conuenit miſta facultate præditum digerente quod influxit,& repellente quod influit: paucæ verò

phlegmonæ ſunt diuturnæ, quibus nihil affluat, cùm diutinæ eſſe ſoleant ob affluentes in ipſas humores. Cùm autem phlegmonæ incipiunt, & augentur, refrigerantium & aſtringentium virtus præpolleat, emplaſtrum igitur tunc ſoluatur vino vel aceto, vel aqua, vel oleo crudo, vel Hiſpano, vel Hiſtrico, vel, ſi validius erit aſtringendum, myrteo & melino, vel dulci aliquo, vt ſit anodynum.

Lib.13.meth. Phlegmonarum in artubus initio ſpongia imponitur ex aqua frigida, vel ex oxycrato: phlegmonis autem hepatis calida applicanda, melinum, myrteum, maſtichinum, nardinũ, lentiſcinum, abſinthites, & cataplaſma item calidum.

Ibidem. Phlegmonæ irritantur à duris, qualia ſunt multa emplaſtra: niſi hæc oleo vel alio ſimili molliantur.

Lib.5.c.ph.p. Quanuis aſtringẽtia etiam ſola phlegmonas initio iuuent, id quod influit repellendo, & etiam interdum aliquid humoris in parte inflammata contenti exprimendo ad venas particulam nutrientes: tamen quod valentius aſtringit, tantum abeſt vt phlegmonas iuuet, vt etiam dolorem partibus inflammatis intendat eas velut contundendo, & ſubſtantiam earum violenter contrahendo: ſic valenter digerentia ſua acrimonia quid eroſioni ſimile in parte excitant. Quæ verò modicè digerunt, augmento phlegmonarum & ſtatui conueniunt, doloremq; leniunt: moderatum igitur vtrunque eſt præſtantius quàm immoderatum. Tamen ſi dentes dolent citra gingiuarum phlegmonen, ſiue in ipſo corpore dentis ſiue neruo ſit cauſa doloris humor aut flatulentus ſpiritus, medicamentis acerrimis opus eſt, ſiue repellere, ſiue digerere cauſam doloris libet. Ob id plurima ipſorum ex aceto acerrimo parantur.

Lib.10.meth. *Ibidem.* Ceratum Galeni refrigerans non maneat ſuper ægram partem, donec manifeſtè incaleat, ſed aſsiduè ſubinde mutandum: imponendum autem parti primò affectæ & refrigeratione egenti, vt cordi, hepati, renibus, non autem toti thoraci propter cor, nec toti ventri inferiori propter hepar vel lienem vel ventriculum, ne partes refrigerationem non poſtulantes, tamen refrigeratæ cogant te ante tempus à refrigeratione partis primò affectæ ceſſare.

Libr.11. meth. & cap.21.lib. 5.ſimpl. Ad ventriculi & hepatis robur abſinthium ponticum oleo incoctum eſt ſalubre, niſi à calore & ſiccitate laborent. quia

qualit

qualitas abſinthii amara præit,& viam aſtringenti facit.

Contra morbum, qui generosè ex arte pugnat, terminus ei ſit, vt tutò medicetur: ei verò, qui dolorem mitigat, virium totius aut partis cuſtodia terminus eſt, cùm vtendum eſt narcoticis, præcipuè in calido corpore & affectu: nam in craſsis & glutinoſis ſuccis alieniſsima ſunt narcotica. Oleum quia tædium affert, poſt actionem ab eo editam tergendum, lib. 8. in diariæ à ſtipatione, curatione in bilioſo homine. *Lib.12.meth.* *Lib.12.meth.*

Oleum phlegmonis oculorum vel oris nō infunditur: infunditur roſaceum etiam cum aceto phlegmonis incipientibus aurium non oculorum. Contrà diamorum & ſtomatica alia oris phlegmonis incipientibus conueniunt, non aurium vel oculorum, quanquàm genere ſint ex his quæ indicantur. *Lib.13.meth.*

Fomenta & penicilli, & alia id genus ventriculo & ſtomacho abundè calentia imponantur: nam tepida ventriculi firmitudinem diſſoluunt. *Lib.8.meth.*

Neruis vulneratis aqua calida eſt inimiciſsima, cùm præſertim eorum ſubſtantia ex refrigerata concretaq; humidiore materia ſit condita: omnis enim talis cōſtitutio per ea quę ſimul calfaciunt & humectant, reſoluitur ac putreſcit. *Lib.6.meth.*

Vnguenta & nardinum ad roborandum fomento ventriculum & ſtomachum, ſoleo calfacere in vaſe duplici vtique coniecta prius in vas maius aqua feruente: nam aliter calfactis vitiatur eorum facultas. *Lib.8.meth.*

Vteri, & veſicæ vlcera iiſdem medicamentis ſiccantibus egentia, requirunt præterea inſtrumenta quę intrò ea liquore aliquo ſoluta tranſmittant, vt crocum, myrrham cum ſucco plantaginis vel ſimili miſtum: ſiphonibus, aut catheteris, aut metrenchytis infundimus. *Lib.9.c.ph.p.*

Vlceribus quæ ad cicatricem veniunt, multis conſequenter diebus pharmacum epuloticū immanere debet, quò melius & citius ita cicatrix ducatur. Ob id medicamentum ex aqua & oleo copioſiore & lithargyro coctum donec liquetur & alteretur, tam fit glutinoſum, vt ne à lotis quidem decidat. Vtile autem eſt epuloticum teneris corporibus, pueris, mulieribus, grandioribus, cute candida mollem corporis habitum teſtante præditis, ſi vlcera habent parua ſed praua, & dyſepulota ob vitioſum ipſorum ſuccum. *Lib.1.c.ph.g.*

Lib.2.c.ph.g. Sinibus implendis emplaſtrum diachalciteos, vel aliud idoneum oleo largo ſolutum, per cornu recta perforatum cum veſica porcina clyſteris modo infundendum. Ex roſaceo autem ſoluatur, ſi paruæ phlegmones ſuſpicio adhuc adſit: ſi paulò latius eſt foramen ſinus, clyſtere infundendum, vtendumque piulcis, id eſt, pus attrahentibus inſtrumentis, quales ſunt noſtræ clyſterum ſyringes. Quæ enim ſunt ſub-*Ibidem.* ſtantia craſsiore, vt emmota, infundi ſinibus nequeunt. Contrà in ſuperficie caua vlcera craſsioribus egent medicamentis, quòd liquida ſtatim defluunt, & linamentum ſiccum relinquunt. Ob id in iis ceratis validè tergentia miſcentur, in ſinibus oleo, vt dixi, largiore ſoluuntur.

Ibidem. In ſinibus item & fiſtulis ſplenium exſcinde, vt excernendo humori liber ſit exitus: hic enim mora in parte eam exedit, & vim medicamenti obtundit. Eadem cauſa cannulatas turundas, hoc eſt, pertuſas, ex ſolidiore aliqua materia penna, plumbo, argento, auro, iiſdem immittimus, vt puris emiſ-*Lib.13.meth.* ſarium perpetuò ſit liberum. Vbi vlcus erit penitus repletum & planum & æquale, nec quicquam illi cauum manebit, ipſis vlceris oris ſpecilli mucrone imponendum ſiccum epuloticum medicamentum: ſuper reliquum linamento dato, quod imbutum ſit aliquo medicamento conſiſtentia humido ex his quæ cicatricem inducunt.

Eodem pertinẽtia exempla perquàm plurima poteſt proferre, qui vult ex lib.3.4.5.6. methodi, vt exempla rectè vtendi medicamentis intemperaturas curantibus, & morbos partium organicarum proprios ex libris aliis methodi, & lib. comp.ph.part.& gen.

Li. 10.c.ph.p. & alibi. Repellentibus initio chiragræ & podagræ vt aliorum affectuum à fluxione pendentium vtimur: iſchiadis autem initio vt pleuritidis mitigatoriis non repellentibus, quia ſanguinem ex vaſis ambientibus & muſculis in iſchion & thoracis partem affectam protruderent.

Ambientis temperatura rectiorem quorundam medicamentorum vſum facit, ob id prius alopeciis medicamenta docuimus adhibenda in aëre calido, vt ſub ſole æſtiuo, vel hyeme in laconico. Item in ictero oculorum acetum in balneo naribus trahendum, & pſilothra in balneo tentãda. Quæ res magni eſt momenti, vt apertis à calore poris, humores ab

eodem

eodem liquati promptè trahantur.
Emplaſtrum liquidum ex farina fœnugræci, ſinapi, man- *Lib.9.c.ph.p.*
na thuris, myrobalanu pyeſmate, ſpuma nitri, oleo cedrino
decocto,applicatur lieni ſcirrhoſo,quandiu id pati poteſt:de-
inde in balnei ſolium ducto homine faſcia in aqua ſoluitur.

Malagma ex fœnugræco, calce viua, nitro, melle impoſi- *Ibidem.*
tum lieni ſcirrhoſo aut iſchiadi, donec mordeat, ſi tũc ductis
in balneũ auferatur(alioqui ægreſcerẽt) ſani balneo exeunt.
Archigenes apud Galenũ. Herbæ iberidis(quam nonnul-
li lepidium vocant, alij naſturtium ſylueſtre)radicem tuſam
adipe ſuillo excipe,emollitam emplaſtri modo applica iſchio
ad horas tres,deinde in balneum dimitte. Eadem etiam vetu-
ſtos capitis dolores liberat vice ſinapiſmi & thapſiæ.

Si in ictero oculi manent pallidi reliquo corpore perſana- *Lib.9.c.ph.p.*
to,trahe in balneo naribus cochlear vnum aceti acerrimi, &
multum biliosæ ſubſtantiæ defluet.

Medicamẽtum in alopecia metaſyncriticum, id eſt,ex al- *Initio Lib.1.c.*
to euocans, admoue in aëre calido, & ſi potes, in ſole æſtiuo: *ph.p.*
hyeme autem in laconico, id eſt, prima domus parte , quam
ſtuphas vulgò vocamus.

Ceratum Galeni dia euphorbiu in hemicrania frigida ve- *Lib.2.c.ph.p.*
teri, aut iſchiade frigida ante balneum ſemel illitum, ſta-
tim affectui medetur, ſic vt æger poſt balneum ſanus omni-
no euadat.

DE LIMITATIONIBVS AD RECTVM *medicamentorum & aliarum cauſarum ſalubrium vſum neceſſariis.*

Διορισμὸς Latinis diſtinctio, limitatio, determinatio eſt,
definitio ac declaratio facultatis remediorum,cui affe-
ctui differentiæ, à qua cauſa, in qua natura, quo aëre
idoneorum : citra quas cùm quid abſolutè pronunciat Gale-
nus,ad naturam temperatam in aëre temperato referri vult:
vt cùm ſcribis remedia ad achoras,id eſt, tineam,vel alios af-
fectus, adſcribe ad quales & quantos, & quo affectuum tem-
pore illa ſint ſalubria. Si vino quoque intus aut foris vten- *Lib.1.c.ph.p.*
dum erit,ad rem mergendam vel diluendam, quale velis di-
ſtingue.Nam multæ eius differentiæ facultatibus etiam con-
trariæ,

trariæ, quanuis interdum ex ſcopo medicamenti potes vini genus inuenire, vt auſterum, ſi aſtringendum: acre, ſi digerendum: ſic in cæteris differentibus. aut virtutes contrarias habentibus, obſerua quem ſcopum medicaměti compoſitio habeat, vt ſcripta abſolutè & ſine limitatione diſtinguas. Et in reliquis remediis ſimiliter.

Porrò limitationes ad rectè vtendum medicamentis non mediocriter conducunt: neque ſunt recipiendi, qui medicamentorum vſus citra diſtinctiones ſcripſerunt, dicentes ad dolorem idoneum eſt hoc medicamentũ, non addentes, à qua diſpoſitione & cauſa ortum dolorem intelligant. Rectiùs hi qui diſpoſitionem, doloris cauſam expoſuerũt, ratione nixi: vel etiam experientia, quæ ſigna euidenter apparentia ſequitur: qualia in oculo dolěte fuerint affluens ſanguis largus, paucus: rodens, roſionis expers: rubor maior, minor. Venæ plenæ ſanguine multo, pauco, ſed vaporoſo. Phlegmones oculi tumor, maior, minor. Color eius præter naturam varius. Lippitudo in angulis oculi craſsior, tenuior: largior, parcior, ſeu maior, minor. Dolor & doloris ſpecies ab ægro nobis declarata, tenſiuus, rodens, pulſatorius, cóprimens, & contrahens, & quaſſans, & contundens.

Non manifeſtè verò apparet, an internis vel externis cranij partibus fluxio fiat, multò minùs an per venas, vel per arterias: ob id diſtinctiones ab his ſumptæ parum ſunt efficaces. Specta igitur differentias diſpoſitionum dolorem excitantium, ſecundum quas ſcribendæ ſunt tibi diſtinctiones, vt lib. 13. methodi in oculorum affectibus à Galeno ſcribuntur. Ad frigidas & pituitoſas diſpoſitiones, ſi albę ſint: ad melancholicas, ſi liuent, & melãcholici humoris malitiam prodant: ad calidas & igneas diſpoſitiões inflammatorias quidem, ſi rubẽt: eryſipelatodes verò, ſi flauent: ad dolorem mediocrem, vehementem, tendentem, grauantem, pungentem, pulſantem. Ad vlcera ſimplicia, caua, plana, ſordida, ſinuoſa, paſcentia, phagædenica, chironia, Telephia, cacoëthea, dyſepulotica. cum phlegmone, cum eryſipelate, vel ſine his.

Ad aphthas albas, nigras, depaſcentes, citra depaſtionem, depaſcere incipientes, & ob id multam ſaliuam reddentes.

Lib. 6. c. ph. p. Ad affectum quenuis incipiětem, augeſcentem, vigentem, declinantem, exiguum, ſimplicem, mitem, magnum, medio-

crem,

crem, aliis complexum, malignum, putrem.

Qui cephalalgię remedia citra diſtinctionem ſcripſerunt, plus noxæ quàm commodi attulerunt his, qui fidem ipſis adhibuerunt. Cephalalgia enim omnibus non accidit ob vnam corporis diſpoſitionem, ſed ob plures cauſas, quibus ſingulis propria eſt curatio. Aliæ etiam diſtinctiones ex particularum affectarum natura ſumuntur: aliquando enim extra cranium, aliquando intra, aliquãdo vtrobique cauſa doloris eſt, aliquando in venis, vel arteriis, vel neruis, vel membranis, vel cerebro, vel cute, vel quibuſdam horum, vel omnibus ſimul. Difficillimum igitur eſt locum affectũ in his inuenire, niſi Medicus ſit doctus, & multa ægrorum inſpectione exercitus. *Initio lib. 2, c. ph. p.*

Species igitur affectus eſt explicãda, cui vtile auxiliũ dicimus, ſiue ea ſit morb⁹, ſiue morbi cauſa, ſiue ſymptoma, & in horũ triũ ſingulis ſpecialiſsimũ eſt explicãdũ, vt ad febres biliofas, melancholicas, pituitoſas, & à qua bilis alterutrius, aut pituitę ſpecie ſint. Ad diariã à tali vel tali cauſa externa, niſi remedia ſint omnibus diariis cõmunia, vt balneum aquę dulcis in declinatiõe. Ad febres eaſdẽ clementes, recentes, vel malignas veteratas. Ad phlegmones principiũ, augmentũ, ſtatum, declinationem, in hoc vel illo corpore, in tali parte.

In infantibus, adultis, ſenibus alia atq; alia vſurpanda ſunt medicamenta, vt etiam reliqua auxilia. In pueris item, mulieribus, eunuchis, & cæteris molli carne præditis: vel contrà in agricolis, foſſoribus, nautis, baiulis, & cæteris duræ carnis hominibus hoc, illud vtendum adſcribas, quod ab ætate, temperamenti ratione, & virium, & à corporis habitu diuerſæ ſumuntur indicationes limitationibus exprimendæ.

Frequenter vnica ſufficit limitatio, vt à tempore, vt ad incipientes alopecias: ſæpe non ſufficit, vt butyrum benefacit parotidibus incipientibus: addendũ enim eſt mitioribus, modicè dolorificis, paruum abſceſſum faciẽtibus. His enim ſufficit butyrum, præſertim in molli corpore, vt pueri, eunuchi, mulieris, & reliquorum molli carne præditorum: non ſufficit autem vehementioribus cum dolore magno & pulſatorio, & cum vigiliis, & cum magno abſceſſu. *Lib 3. c. ph. p.*

Diſtinctio etiam fuerit ſufficiens, ſi dicas remedium ad capitis dolorem à tali vel tali cauſa vel affectu, & ſine febre, vel cum febre. Item ad achoras incipiẽtes, ſine malignis corporis

poris totius humoribus,aut ſaltem ſine his copioſis,vel ad inueteratos cum copia humorum prauorum.

Quidam ſuis medicamẽtis limitationes adſcripſerunt, ſed generales tantùm, aut ſi particulares,non integras, & in quibus multas adhuc requiras : vt qui ſcripſerunt remedia cum his titulis, ad aurium affectus, ad aurium dolores, ad vocem abſciſſam : & adhuc alij generaliùs,ad vocem læſam, non ſignificantes qua offenſa,& à qua diſpoſitione ſeu cauſa læſam vel abſciſſam vocem intelligant:cùm tamen quæuis cauſa,et ab ea diſpoſitio in corpore relicta,remedium flagitet ſibi proprium. Scribendum ergo fuit ad aurium dolorem, grauem, pulſatorium,&c. à tali vel tali cauſa.

Initio lib. 8. c. ph. p. Ad ſtomachicos Andromachi & hieræ limitatio eſt, ſed confuſa nimis:quia cùm ſtomachicorum ſignificatio latè pateat,non addunt ad quos ſtomachicos ſua remedia velint efficacia : ob id ea quibuſdam proſunt,quibuſdam nocent plurimùm,vt cætera indiſtinctè ſcripta.

Eſt tamen quando promptiſsimũ eſt cuiuis in ſimplicium facultatibus verſato,& affectuum naturas callenti dicere vim medicamenti alicuius compoſiti, etiam ſi eam titulo non exprimat,& inuenire qualenam ex his vel illis indiſtinctè ſcriptis qui partis huius diſpoſitioni,& quali & quantę idoneum fuerit præſidium,& quo tẽpore, quæ qui ignorat,maximam ſæpe noxam ex vſu indiſtinctè ſcriptorum infert. Quia tamen id diſcernere non omnes poſſunt, neq; in omnibus poſſunt, commendandi maximè ſunt, qui limitationes integras medicamentis non ſolùm generales, ſed etiam particulares maximè adſcripſerunt. Inter quos primas iure meretur Herophilus perpetuò iubẽs,vt Medicus ſciat,quæ,qualis,& quãta ſit morbi cauſa,& quod cuique potiſsimum ſit remedium, vt ſingulis congruam curationem moliatur, lib.3. comp. ph. part. Non ſunt recipiendi, qui diminutè ſcripſerunt, multò minùs qui abſoluto ſermone ſine limitatione ſcripſerunt, vt ad vlceratam arteriam, vel aſperatam, vel vocem abſciſſam aut raucã. Multæ enim poſſunt eſſe cauſæ vocis abſciſſæ vel raucæ,vt deſtillatio vetus à capite,empyema,tabes, vociferatio multa, inſpiratus aër frigidus, potus frigidior, raucitatis ſunt cauſæ.Qualia plurima in libris Archigenis, Heræ,inuenias:& quod mireris in lib. Apollonij Herophilæi,cùm tamẽ

Herophi

Herophilus omnium maximè diſtinctiones commendarit: Apollonius autem eas alicubi ſequitur, eſt vbi malè negligit, vt ad aurium dolorem cùm ſcripſiſſet remedia, ſubiecit calida, frigida, humida, ſicca, & omnibus propè ſecundis qualitatibus diuerſa, lib. 3. comp. ph. part. Debuit enim diffinire, cui aurium dolori, & à qua cauſa ſingula remedia ſua ſint vtilia. Sic enim ſcriptis indiſtinctè qui fidem adhibent, non mediocriter decepti ægros plerunque offendunt. Ex quibus apparet, parum probandam medicamenti compoſitionem, niſi diſpoſitio indicetur, in qua eo medicamento ſit vtendum. *Lib. 7. c. ph. p.*

Sed ne fallare, omnibus citra iudicium ne crediderís. Nam multa medicamenta titulo magna promittunt, opus autẽ eorum interim nullum eſt, interim valde exiguum apparet, vt ad ſuffuſiones diſterendas myrrha, ſtacte, & collyrium ex felle ſcari piſcis, inualida enim deprehendes. Expende igitur vires ſimplicium, & totius, & quid affectus huius, hec illa differentia, ab hac vel alia cauſa procedens, in hac corporis natura, ætate, conſuetudine, in hoc aëris ſtatu pati ab hoc remedio queat: tum demum te in conſilium adhibe, & ſi potes, peritos, an tali remedio ſint vſi, & in quo affectu, & corpore, & in quo ſucceſſu. *Lib. 4. c. ph. p.*

Sine periculo non imitamur eos, qui indiſtincta ſcribunt remedia, nam pro varia cauſa ſunt mutanda, vt aurium dolori à frigore, ſtatim medentur calorifica. Eadem tamen dolorem capitis pulſatorium ab inflammatione aut acrimonia mordaci exacerbant: quanquàm ea ipſa inflammationes mediocres & non pulſantes ſanant, vt acetum miſtum roſaceo exactè & calfactum. Archiginem reprehẽdit lib. 5. c. ph. p. quòd abſinthium, hyſſopum, origanum ad ſuggillata ſcripſerit admouẽda, nec addidit, coctá ne an cruda vellet adhiberi. Adhæc quòd voluit illa applicari aut ſeorſum, aut cum melle, aut cum aceto, aut cum aqua, perinde ac ſi hæc viribus eſſent ſimilia, aut proxima cũ aqua, nec cutim nec vlcera mordeat, acetum ambo mordeat, mel ſolùm vlcera. *Lib. 5. c. ph. p.*

Malè item Apollonio apud Galenum ſcribitur, lithargyros cum oleo laurino vel albo, id eſt, communi, quod malè ceu ſimile laurino adſcribitur, et à laurino ex aduerſo diſtinguitur, cùm tamen à laurini virtute multùm abſit. Idem malè loco lithargyri ceruſa vtitur, & mergit eam oleo myrteo, vel laurino,

rino, medicamentis multùm differentibus: nam illud repellit, aptum igitur incipientibus: hoc admodùm calidum & digerens, vtile eſt cùm humor achoras gignens infixus eſt ac firmatus, vt prædiximus.

Abſurda ſimiliter eſt ſcriptura, ſi ad aliquē affectum ſcribis cataplaſma, vel alia remedia viribus diuerſa, aut etiā contraria: vt ſi ſcribis ad affectum aliquem, fiat cataplaſma ex blito cum oleo leuigato, vel ex ſemine melanthij cum oleo ricinino: nam eidem affectui ambo conuenire non poſſunt, niſi diſtinguas, vt illud quia imbecilliter refrigerat, humectat phlegmones initio, & affectibus calidis attribuas: hoc quia calfacit, ſiccat phlegmones declinationi, & affectibus frigidis magis minùs pro vi remedij & natura partis.

Neque ſolùm ad rectum medicamētorum & aliorum remediorum vſum valent hæ limitationes, ſed etiam ad rectam medicamentorum compoſitionem ſunt neceſſariæ. ob id ſi rutam ſcribis, adde vtrùm ſiccam an viridem velis: illa enim quàm hæc multò eſt calidior & acrior. Quòd ſi indiſtinctè ſcriptum legis, cōiecta ex viribus & ſcopo in quem affectum potiùs vtra ſit vtenda. Sic ſerpillum acre & calidum magis quàm viride, ſic mētha. Ob id malè ſcribit Archigenes, menthæ viridis aut ſiccæ, & roſarum viridium aut ſiccarum, vt malè ad achoras ſcribunt quidam apud Galenum oleum roſatum, vel vrina tauri aut cameli acerrima. Illud enim minima virtute præditum repellendi incipientibus achoribus auxiliari poſsit: hęc vrina admodùm calēs & digerens vtilis eſt, cùm humor achoras gignens ibi eſt infixus ac firmatus.

Lib.2.c.ph.p.

Limitationes in compoſitione requiri facilè oſtendit vinum miſcendum, cuius qualitates & tempus ſunt adſcribendæ. Multùm enim intereſt, an acerbum, auſterum, acidum, dulce vel acre ſit vinum, craſſum item an tenue, & album an rubrum vel nigrum, & an oligophorum vel valens & vinoſum, & an recens aut vetus. quod enim calidæ naturæ & vetus digerit, acerbum & auſterum repellit. Tamen inueniuntur compoſita vt ſimplicia, quæ ſiue à tota ſubſtantia, ſiue cauſa alia ignorata ad omnes ſunt affectus efficacia, vt hepaticum admirabile Pharnacis herbarij apud Gal. lib.8.cōp.ph.part. quanta eius promiſſa licet Galenus non reprehendat, falſa tamen mihi videntur. Cùm enim aromatum catalogo conſtet, qui ca

qui calidos hepatis affectus iuuare poſsit? Galeni theriace omnes à peſtilentia ſeruat, qua ſi correpti fuerint, omnes euadunt vſu theriaces, qui fuerunt ſanabiles: ſic quæ à tota ſubſtantia agere diximus. Tamen in his etiam quædam limitationis neceſsitas videtur, aut cur Aeſchrion recens morſis à cane rabido dabat ſemel in die cochlearium magnum puluerις Διὰ καρκίνων, iamdiu verò morſis dabat cochlearia duo. Cur item Galenus ad præcautionem mitius remedium ſufficere ait, ad curationē largius & valentius, etiam ſi id tota ſua ſubſtantia agit, vt alyſſon in morſo à cane rabido. Hæc tamen quæ tota ſua ſubſtantia ſeu ſuæ totius ſubſtantiæ proprietate vel ſimilitudine vel qualitate, aliquē affectum profligant, hoc eſt, elementorum 4. miſtione ſimili ſi trahunt: contraria, ſi pellunt, ſed vtraque nobis nulla ratione, nullaq; coniectura comprehenſibili: ſola enim experientia, vt antè docui, cognoſcitur diuina illa rerum quarundam proprietas nobis indicibilis & incomprehenſibilis. Ex his patet, quantam vim habeat ad artis medicæ conſtitutionem diſtinctio medicamentis ad partium affectus varios inſcriptis adhibita: contrà autem quantū noceat confuſio & indiſtincta verborum ſeries, qualis toto propemodum Dioſcoride, Celſo, Scribonio, Apuleio, Actuario, Simeone, Pſello, Celio, Plinio, & aliis propè infinitis, qui medicamentorum vel ſimplicium, vel etiam compoſitorum facultates deſcribere tentauerunt. Quibus carere fortaſſe æquius ac præſtātius fuerit, quàm veſtigia ſequi, niſi quis Galeni methodis exercitus ex natura affectuum & facultate medicamenti cognita, facilè inueniat, cuius talis affectus ſpeciei, & in quo tempore, & an recēti aut veterato, & in qua parte, & in quali corporis habitu, virtute, ætate, conſuetudine, viribus, ſenſu tactus, hoc illud medicamentum tantum, ſic ſumptū & admotum, cum his, poſt illa, ante illa eſt idoneum. Veriſsimum enim eſt, quod Galenus vſurpare cōſueuit, Curatio agnitionem & prænotionem ſequitur. Rectè nanque is ſolus curabit, qui omnium nunc dictorū vires tanquàm ipſas literas cognoſcet, & qui præuideat, quale & quantum ab his vel ab illis remediis effectum proficiſcetur, vt ſi moderatius eſt futurum, prohibeatur: ſi inferius quàm opus ſit, intendatur: ſi prout rei propoſitæ conuenit, ſinatur.

DE SIMPLICIVM MEDICAMENTORVM AD COMPOSITIONEM PRAEPARATIONE, LIBER III.

*

MEDICAMENTA componendi methodo à nobis abſoluta, cōpoſitionis modum, exēplaq; varia ſed celebratiora trademus, ſi prius pauca quædam docuerimus, partim prædictis affinia, partim ſequuturis nō vtilia ſolum, ſed etiam neceſſaria. Ad medicamentorum ſiquidem delectum (de quo multa libro ſuperiore diximus) non minimum pertinet ſcire ſimplicium verorum & natiuorū ſigna, quibus à nothis & adulteratis probè ſecernantur. Adhæc cùm nomen vnum multis eſt ſimplicibus commune, quod ex his, nomine ſimpliciter pronunciato, intelligēdum ſit. Poſtremò cùm ſimplex aliquod compoſitioni neceſſariū deſideratur, quodnam eius loco ſubſtituiſſe liceat. Ad ipſum verò compoſitionis modum felicius obeundum neceſſaria eſt, ſimplicium quorundam delectorum præparatio per ignem, lotionem, trituram, ſolutionē χύλωσιν, id eſt, vt ſic dicam, ſuccationem, muccationem ſeu muccilaginem, purgationē, & quam vocant clarificationē, quæ ad purgationē referri poteſt, vti & colatura, clarificationi neceſſaria. Cuius præparationis etiam in theriaca meminit Galenus, & alibi paſsim, præparationumq; libros à quibuſdā ſcriptos ait idem lib.2.ſimpl.cap.15. Præter hæc inſtrumentorum non paucorum, vt ponderum, menſurarum, vaſorumq; aliorum elegans, pura, proba ſupellex ad rectè componendum, & compoſita recōdenda eſt neceſſaria. De quibus omnibus vbi dixerimus, ad rem nobis propoſitam aggrediemur.

DE DOLIS SEV ADVLTERIIS MEDICAMENTORVM.

MEdicamenta ſimplicia, præcipuè rara, & ob id pretioſa adulterantur, & falſa pro veris, fictitia pro natiuis ſup-

ponuntur

ponuntur, idq; multis modis. Nam ſimplex idem eſt interdum ſed facultate dolo ablata: vt rhabarbarum maceratione dierum quinque in aqua exanimatum, deinde ſiccatum, vel alia virtute, ſed improbiore addita, vt ſi idem rhabarbarum aqua pòſt maceretur, vel deſtillata ex tithymallis, vel ſimplici quidem, ſed in quam ſuccus tithymallorum ſit diſſolutus, aut ſcammonii. Interdum ſimplex idem genere eſt non ſpecie aut loco, vt lib. I. in cinnamomo & caſia diximus: & plurima quoque docebimus titulo ſequenti. Nonnunquàm idem eſt etiam ſpecie & loco, ſed vel intempeſtiua collectione, vel improba ad repoſitionem præparatione, vel ipſa repoſitione in loco parum idoneo, vel ſeruatione diuturniore vitiatum eſt, quorum tam magna eſt copia, vt exempla deeſſe nequeant.

Eſt frequenter quando ſimplex pro ſimplice ſubiicitur, vt pro coſto radix enulæ Campanæ, pro acacia ſuccus prunorum ſylueſtrium. Frequentius pro ſimplici multa eius ipſius ſubſtantiam, magnitudinem, figuram, qualitates denique omnes quoad fieri poteſt mentita, ſubſtituuntur: vt pro galbano colophonia cum farina fabarum purgatarum, & quæ mox plurima leges. Frequentiſsimè ambo ſimul miſcetur, portio ſcilicet ſimplicis alicuius veri, ſed vel ligni ſui vel aliorum miſtura aucti & conſpurcati, quod in myrrha, ladano, opopanace, & aliis propè infinitis, malum euidentiſsimũ eſt. Huc pertinet, quòd verorum ſimplicium nunc puluere fictitia integuntur, ac velut incruſtantur, interdum illorum decocto vel infuſione macerantur & imbuuntur, vt etiam qualitates ipſorum & ſubſtantiam ſimulent.

Hæc autem ſimplicium medicamentorum adulteria fieri conſueuerunt primum & maximè ab his, qui à ſe ignoranter, animo malo, intempeſtiuè collecta in vrbes conuehunt & vendunt: deinde à mercatoribus in regiones alias transferentibus, & poſtremò ab ipſis rhopopolis ac pharmacopolis. Adeò autem callidè nonnulla hi omnes adulterant, ſicq; veris aſsimulant, vt etiam exercitatiſsimis quandoque imponant: id quod ne frequenter accidat, quorundam figmenta partim prius diximus, in multis ſimplicibus, partim hic dicentur. Quanquàm hæc adulteria non publicanda cenſet Gal. ne praui homines vbi ea obiter didicerint, opere ipſo vitiẽt & cor-

Lib.1.antid.et lib.9.ſimpl.in diphryge.

rumpant. Eadem ratione eos accuſat, qui lethalium pharmacorum deſcriptiones inuulgant. Tamen cùm vix regio iſta aut velit aut poſsit hæc vitiare, non raro autem ab inſtitoribus & interpolatoribus externis fallatur, è re publica Gallorum fuerit ſcire, quibus quædam falsò repræſententur, & quibus notis deprehendantur: præſertim cùm etiam ipſe Galenus ſuam illam ſententiam interdum non ita anxiè ſeruarit, ſed quorundam ſimplicium adulteria in antidotis, & alibi paſsim leuiter attigerit: licet quorundam aut nulla aut non exacta eſt diſcretio, ſed eorum & dolosè paratorum notæ confunduntur. Quædam contrà nullam adulterationem recipiunt, vt agaricum, xylobalſamum, carpobalſamum, pentaphyllum, polium, zingiber.

Lib.1.antidot.

Cùm igitur omnium nobis bonorum poſt Hippocratem author Galenus planè intelligeret, quantam vim habeat ad rectè medendum integritas medicamentorum, vt aliarum materiarum medicarum, ſolicitus magnoperè fuit, vt medicamenta ſingula apud ſe præſtantiſsima haberet, partim ea quotannis ex omni regione ab amicis fidelibus recipiens, partim ipſe in loca ipſa profectus, vt Cyprum, Lemnũ, quæ volebat exportans, quantum ſibi in vitam reliquam ſufficeret. Vbi verò ſimplex aliquod præſtantiſsimũ nactus erat, identidem explorabat totam eius naturam, ſubſtantiam, colorem, odorem, ſaporem, vires, vt experientia illa crebra verorum medicamentorũ perfectam haberet cognitionem. His enim veris cum vitiato collatis, facilè ſecernebat tanquàm indice quodam germanum & natiuum à ſpurio. Vt enim rectum ſui & obliqui eſt demonſtratorium, ſic verum mendacii, ſic præſtantiſsimum medicamẽtum ſui & vitiatorum. Quæ via præterquàm quòd breuiſsima eſt, (veritatis enim ſimplex oratio, & in vnoquoque genere rerum quod perfectum eſt idem ſimplex: imperfecta verò ac vitiata propè infinita, vt à ſigno ad ſignum linea recta eſt vnica, infinitæ autem obliquæ eſſe poſſunt.) etiam eſt tutiſsima, ob id quòd ſimplicis etiam vnius tantum vitiati miſtio, totam ſæpe compoſitionem conſpurcat & vitiat, vt medicamentum vires non ſit habiturum, quas illi maiores dederunt, & quas tu fortaſſe ſæpe es expertus: quo fiet, vt ſpe tua fruſtratus triſteris & irridearis: & mirum ni etiam calumniam ſuſtineas, ægro ſcilicet

licet per id non ſanato, quod futurum promiſeras, & fortaſſe ne adiuto quidem: eſt etiam quando grauiter offenſo.

ADVLTERIA SIMPLICIVM MEDICAMENTORVM.

ACacia ſucco & carne prunorum agreſtium repræſentatur dolo parum malo, cùm vtraque viribus conueniant. *Auicenna 2. canone.*

Aloës craſſæ partes & impuræ lotione ſeparatæ aqua marina & croco Meſuæ adulterantur: ſed croci odor dolum aperit. Alii acacia, alii gummi immiſcendo adulterant, tuncq; minus eſt ad minima friabilis, & odor & ſapor eſt alius. *Dioſcor.*

Ambra puluere ligni aloës, ſtyracis, ladani, ambræ largioris moſcho in aqua roſarum ſoluto. Sed hæc manuum attritu multo ceu cera molleſcit, vera non molleſcit, Platearius.

Amomum planta amomide ſimili, ſed inodora, ex Armenia delata, ſeminis diſsimilitudo vitium detegit. *Dioſcor.*

Aſphaltum, id eſt bitumẽ pice miſta Dioſcoridi licet adulterari non poſſe, vt neque carpobalſamum, neque xylobalſamum ſcribit, Gal. lib. 1. antid. *Serapio.*

Aerugo multis modis adulteratur Dioſcoridi: ſed hodie ſyncerior videtur, ſi adulteratã ſuſpiceris, notas ex eo repete.

Aeris flos delimata æris ſcobe. *Dioſcor.*

BDellium adulteratur gummi, ſed ita vitiatum minus eſt amarum, & ſuffitu odoratum, Dioſcorid.

Balſamũ, id eſt opobalſamum, vitiatur terebinthina pauco opobalſamo miſta, vel ſine hoc, croco oriẽtali & ſucco foliorũ citri, vel oleo nardino. De quo in opobalſamo plura leges.

Bitumen adulteratur pice, vt in Aſphalto dixi. *Dioſcor.*

CAſtorium variè adulteratur: vitium autem facilè deprehendes attentus notis, quas in vero & laudatiore caſtorio diximus, in partibus animalis medicamentoſis.

Coſtus radice prædura Helenii Comagenii, ſed odor Helenii minus vehemens, neque caput tentans, & ſapor minus acer quàm coſti. *Dioſcor.*

Crocus miſto crocomagmate tunſo, flore cneci, vel oleo & puluere berſilii, vt vocant, qui fricando dolũ detegit: vel ſapæ *Dioſcor.*

ſublitu & lithargyro, vel plumbagine ad pondus augendum, vtrunque minus odore vegetum eſt: prætereà hoc eſt puluerulentum. Adulterati quoque croci color & odor celeriter euaneſcunt: veri diu permanet, Gal. primo antidot.

Caſia odorata, corticibus capparis & radicis tamaricis miſtis.

Caphura, gummi iuniperi: ſed hoc eſt minus odorum & durius: illa eſt friabilis, & odore valentiore. Platearius.

Caryophylli vetuſtate exanimati vino puluerẽ optimorũ caryophyllorũ habente irrigantur, ſiccantur, foris ſolùm caryophyllos olent, & vix ad dies decẽ: molliores ſunt integris.

Carpobalſamum adulterari ſemine hyperici ſimili, quod Petra Palæſtinæ oppido affertur, autor eſt Dioſc. adulterari tamen non poſſe affirmat Gal. lib. 1. antidot.

Dioſcor. EVphorbium lacte hœdino, ſarcocollę, & glutini miſtione conſpurcatur, experientia veri eſt difficilis: nam euphorbium leui guſtu os diu accendit, ita vt omnia guſtata euphorbium reſipiant. Idem iniectum igni odorem edit faſtidiendum. Dioſcor.

Ebur vſtum (quod cur ſpodium vocet vulgus non video) oſsibus canis vſtis vel albo marmore vſto: id verò grauitate proditur, illud forma oſsis, & linearum deſiderio.

GAlbanum mutatur reſina, farina fabarum excorticatarum, hammoniaco, Dioſcorid. ex cuius notis ſyncerum deprehendes.

Galanga acris cypero europeo inſipido, vel ſalſo, vel biſtortæ (vt vocant) radice auſtera: ſi verò dictæ radices aceto puluerem veræ galangæ & piperis habente biduo macerentur, foris ſolùm galangam referunt. Platearius.

LAdanum ſtercore caprino & puluere nigro, id autẽ tractando non molleſcit, ſed in puluerem abit modo ladani vetuſtate exucti. Viribus prętereà & odore ladani caret, quod ſic vitiatum eſt.

Dioſcor. Laſer omne antequàm ſicceſcat adulteratur ſagapeno, aut fabæ lomento, ſed maleficium deprehenditur colore, odore, ſapore, dilutione, Dioſcorid.

Dioſcor. Licium quibuſdam amurca, ſucco abſinthii, felle tauri, ſed

id à

id à viribus ſynceri multum receſsit.

Lemniam terram ſic adulterant, vt nemo verã à falſa poſſit ſecernere : ſic & Lycium Indicum, & plurima alia, vt verorum notæ à falſorum notis non exactè diſcerni poſsint. *Gal. 1. lib. antidot.*

Liguſtici ſemen adulteratur ſemine quodam ſimili, quod facilè guſtu diſcernitur, amarum enim eſt: alii ſemen fœniculi aut ſeſeleos admiſcentes liguſticum dolo vitiant. *Dioſc.*

Lentiſcina reſina, id eſt, maſtiche thuris & reſinæ pineæ nucis miſtura. *Dioſc.*

MOſchus pelliculis inciſis puluere carnis colũbinæ ſiccatæ, ſanguine hœdino, pane aſſo. Si eius certum pondus pelui madenti impoſitum aliquandiu fit grauius, eſt legitimum: ſi priſtinum pondus ſeruat, ſuppoſititium. *Symeon.*

Manna arabum ſaccharo & folliculis ſennæ.

Myrrha adulteratur gũmi macerato in aqua, in qua myrrha madueri, Dioſc.

NArdus adulteratur ſtimmi, ſeu ſtibio cum aqua aut palmeo vino inſpiſſationis ponderiſq; cauſa inſpirato. *Dioſc.*

Nardus Celtica adulteratur impoſita herba ſimili, quæ hirculus ab odoris grauitate vocatur, ſed herba candidior ſine cauliculo, minoribus foliis, radice nec amara nec odorata, vti vera nardus eſt. *Dioſc.*

OPi omnes adulterantur addito ſagapeno, antequàm inareſcant, colore, odore, ſapore dolus deprehenditur : & quia cũ aqua vel ſaliua nõ mox ſoluũtur adulterata: adulterantur etiã furfure & farina præcipuè καυλίας, id eſt, qui ex caule defluit, quia dilutior : ῥιζίας verò, id eſt, qui ex radice perlucidior & purior. Quauis enim radice inciſa aut caule quod effluit craſſum & lentũ ὀπὸς, id eſt, liquor dicitur, lib. 8. ſimpl.

Opium, ſemine lactucæ agreſtis.

Opopanax, hammoniaco aut cera, tunc in aqua ſi digitis teratur, non ſoluitur, nec lateſcit vti ſyncerum, Dioſc.

Os ex corde cerui cartilaginoſum, ſimili ex maiorum animalium corde. *Gal. 1. lib. antidot.*

Opobalſamum tam variè adulterant & aſtutè, vt eius adulteria etiã exercitatiſsimos fallant. Hæc verò adulteria inuulganda non cenſeo, ne maligni etiam vitient à nobis edocti. *Dioſc.*

Vitiatur miſto vnguento terebinthino,lentiſcino, Cyprino,balanino,ſuſino,metopio, melle, vel Cypria cera liquida: ſed maleficium facilè deprehēditur. Nam verus liquor in veſtem laneam fuſus maculam non facit, & poſt lotionem notam non relinquit:cùm vitiatus inhæreat.adhæc merus,lac ſi inſtillatur coagulat, & in aqua aut lacte celerrimè liquatur, & colore lacteſcit. Alias quaſdam notas apud eundem & Simeonem ſi libet, legeris potius,quàm apud barbaros hoc ſeculo adhuc legi ſolitos,profunda hominum ignorantia,& magno mortalium incommodo.

PIper longum fraudulenter præparatum, eſt herba quædam flaua,quæ à Xene affertur,aſpectu quidem,non autem guſtu macropiperi ſimilis:hæc autem aqua irrigata ſoluitur:natiuũ macropiper inſolubile permanet, Gal.lib.1. antidotorum.Piper longum verum ex Barbaris affertur: adulteratum verò duplex eſt,alterum,quod in Alexandria maximè conficitur:alterum herbæ cuiuſdã germen. Quod factitium eſt, ſi per diem totum in humore maceretur, illico liquatur ac ſoluitur,lib.4.ſanit.tuend.Illud fortè ex maza ſubacta aqua,in qua diſſolutum aut maceratũ ſit piper,& in formas effictas,coniecta pòſt ſiccata.Vidi etiam adulteratum ex germine & velut nucamento betulæ & coryli.

Paſtilli theriaci ex radice pentaphylli, id eſt,tormentillæ, Venetiis malè componuntur,non ex viperarum carne, Hermolaus in Coroll. Muſa.

Dioſcor. Phu radice ruſci admiſta vitiatur: ſed maleficiũ facilè deprehēditur, quia hæc dura eſt, frangi contumax, & ſine vlla odoris gratia.

Dioſcor. Pompholyx taurino glutine, ouillo vel marino pulmone, aut groſsis vel quibuſdam aliis crematis.

Lib.1.antid. Pentapetalon,Pentaphyllon,Polium nihil ſimile habent in plantis,ob id non adulterantur.

RHa Ponticum,radice centaurii magni.

Meſues. Rha barbarum exanimatur maceratum aqua diebus quinque,poſteà ſiccatum idem minus in crocum tingit, intus nigricat, varietatem in fracturis amiſit,denſius eſt, aſtringit magis:ex aqua verò illa ſiccata trochiſci fiunt regibus.

ῥέον cùm viget ac integrum eſt, valẽter aſtringit, denſum eſt ac contractum tota ſubſtantia, tamẽ celeriter perforatur. Incolæ regionis in qua gignitur, coctione vires eius in aquã trahunt: deinde rheum ſiccatum tanquàm integrum ſit, nec coctum tranſmittunt, ſed id rarius eſt & laxius integro, nullam aut minimam aſtrictionem retinens. Quantum aliis notis rheon à rha barbaro differat, alibi diximus. Gal. lib. 1. antidot.

SAgapenum ſucco laſaris & galbano Dioſc. id non eliqueſcit, ſed verum vino vel aqua affuſa ſtatim diſſoluitur, Gal. lib. 1. antid.

Sarcocolla puluerizata eſt ſuſpecta adulterii, Dioſcor. à quouis puluere miſto: integra eligatur.

Styrax modis multis Dioſcoridi adulteratur, ſed dolus facilè deprehenditur notis ab eo dictis. Dioſcor.

Santala lignis aliis, rubrum berſilio inodoro: flauum & album ligno cedrino odoratiore linguam calfaciente.

Scammonium lacte tithymalli & ſarcocolla, vel erui farina, tunc linguam minus valenter pungit & mordet. Dioſcor.

Saccharum intus fæculentum aut ſpuma ſucci cannæ eius auctum, tunc in ore vaneſcit, & fractum nigricat.

TVrbith, gummi diſſoluto quibuſdã radicibus extremis illito: verum autem ſi frangitur, gummoſum eſt intus.

Tamar Indi prunis adulterati non ſplendent, humidiores ſunt, ſapore & nucleo prunorum, multum à ſemine Tamar Indorum diuerſo.

Thus pini reſina & gummi: ſuffitum autem gummi flammam non edit, reſina autem in fumum vaneſcit, thus ſtatim ardet: odore etiam maleficium proditur. Dioſcor.

Thuris cortex pini aut nucis pineæ cortice horum tamẽ index, lignis: nam reliqui cortices ſuffiti quanquàm incenduntur, ſine odore fumant. Thuris verò cortex ardet, & odorum fumum edit. Dioſcor.

Thuris manna adulteratur cribrata pini reſina, aut polline aut cortice thuris contuſo, ſed hæc igne deprehenduntur. Dioſcor.

Hæc abundè fuerint ei, præſertim qui veras ſimplicium ſyncerorũ notas ex libro primo accuratè didicerit. Nã cùm rectum ſui & obliqui ſit index, vt initio huius docuimus, &

in vnoquoq; rerum genere quod perfectiſsimum eſt, idem ſit ſimplex ac vnicum. Id ſi cognoueris, alia ei cógeneria aut etiam arte affinia nullo negotio ſecreueris.

IAm tradamus ſimplicis alicuius nomine ſcripto abſolutè & ſine determinatione ſexus, coloris, magnitudinis, figuræ, loci, temporis, vel notarum probitatis aliarum, vel partis eius ſimplicis, radicum, foliorũ, florum, ſeminũ, & cæterorũ, quodnam ſit eligendum: nam pro variis ſcopis varia, ſed in ſcopos efficaciora deligimus. Quam in rem te iuuabit noſtra ſimplicium per locos communes deſcriptio. Quæ enim radicibus ſolis ſunt efficaces plantæ, illarum nomine, radices veniunt, quæ foliis, floribus, fructibus, ſeminibus, cortice, ligno, liquore, ſucco, gummi, ſunt vtiles ac medicamẽtoſæ magis, dum plantæ nomen effertur, partem eius vſurpari ſolitam elige: quum verò pluribus ſuis partibus ad res etiam varias valent, quibus ſit opus, coniecta ex partium illarum facultate & affectus natura, & medicamẽti conſtituendi forma, vt ammi, aniſum, apium, carum, cnicus, cuminum, gith, libyſticum, naſturtium, pſillium, ſeſeli, ſtaphis agria, ſemine ſunt præſtantiora, idq; ſolum illarum nomine intelligendum, in aliis multis ſimiliter.

Aniſum Cretenſe lib. 4. ſanit. tuend.

Hagnus, id eſt, flos eius aut ſemẽ, licet folia etiã ſint vtilia.

Agaricus, albus & fœmineus.

Aloë. i. ſuccus ei⁹: aloë Indica lib. 9. ſimpliciũ in diphryge.

Alumen, ſcilicet ſciſsile, quia præſtantiſsimũ. libro comp. pharm. gen. primo.

Acetum, ex vino non hydromelite vel cereuiſia.

Lib. 6. ſimpl. Ariſtilochia pro re propoſita explicanda eſt: rotunda enim cùm multum tenuare craſſum humorem, tergere vlcera, digerere ex vtero: longa autẽ cùm mitiora hæc volumus. Clematitis autẽ, quia fragrantior in vnguentis expetitur.

Amomum, Scythicum lib. 8. comp. ph. part.

Ammi Illyricum lib. 9. eiuſdem Aegyptium alii laudant.

Balſamum, opobalſamum potius intelligẽdum quàm carpobalſamum aut xylobalſamum, lib. 2. comp. pharm. part.

Bryonia alba quia efficacior quàm nigra.

Bugloſsũ vtrũq; foliis & flore efficaci⁹ radice tñ nó inutile.

Caſia

Caſia vel caſsia in libris Græcorum. Caſia ſyrinx optima, & cinnamomo viribus & toto habitu finitima. In libris Arabum eadẽ lignea dicitur: altera verò fiſtula his dicta ponitur, cùm medicamentum eſt purgatorium.

Cardamomum, maius. Capparis, cortex radicis.

Centaurium, minus in purgantibus medicamentis, in cæteris maius dictum à facultate multiplici & efficaciore. *Gal. in ſimpl.*

Calaminthe, montana, quia efficacior quàm domeſtica.

Coſtus, amarus, cùm ſubamarus & valde acer ſolùm nominetur: dulcem tamen neſcio quem Arabes inuexerunt.

Cypreſſus, id eſt, nuces eius in aſtringentibus medicamentis, lignum aut folia in diureticis.

Cinnamomum, optimum, de quo in ſimplicibus abundè.

Corallium, rubrum.

Cuminum, Aethiopicum, lib. 4. ſanit. tuend.

Daucus, agreſtis: nam ſatiuus paſtinaca eſt alimentum verius quàm medicamentum.

Elleborus, niger Meſuæ, quia ſalubrior, albus Galeno, Aph. 1. lib. 5. Obſerua igitur, an compoſitio ſit Arabica aut Græca. Elleborus vterq; & helenium ex locis æditis præſtãt.

Eruca, ſylueſtris, quia efficacior hortenſi.

Epithymũ, Atticum, melancholiã ex ventriculo purgat: id in Græcis cõpoſitionibus vſurpãdum, in Arabicis Arabicũ.

Fœniculus, ſemẽ, ſed in collyriis ſucc⁹ foliorũ aut radicũ.

Galla, ſolida efficacior quàm perforata.

Gũmi, Arabicũ: id ẽm oĩm pfectiſsimũ vel Plinio authore.

Gluten, maſtiche, cæteris glutinis efficacior, vt vitrũ etiã glutinet, quibuſdam intelligitur: aliis ichthiocolla, aliis taurocolla magis placet glutinis nomine.

Hyſſopus montanus hortenſi melior, vt calaminthe montana efficacior domeſtica. Hyſſopum Cilicium Dioſc. Creticum verò Archigenes, apud Gal. lib. 8. c. ph. p. Hyoſcyamus, albus, ſeu album eius ſemen: quod tamen interdum exprimitur, frequentius tacetur.

Iris, radix ireos Illyricæ veteribus, nunc pharmacopolarum ignauia Florentina vſurpatur, cùm illa per Venetos facilè haberi queat.

Lupinus amarus: nam dulcis eſculentus eſt, vt ille amaritudine per macerationem in aqua depoſita. *Lib. 6. ſimpl.*

Lactuca, ſemen, præterquàm in victus ratione, vbi herba potiùs intelligitur.

Lapathum, oxylapathum efficacius rotundo.

Lithargyros, auri: tamen lithargyros chryſitis aliquoties in lib.c.ph. Gal. legitur.

Maſtiche, Chia lib.7.meth.& alibi paſsim. Aegyptiã tamẽ ac recentem ob id pinguiſsimam laudat lib.2.ad Glaucon.

Marrubium, album præſtantius nigro.

Mel, apum, alterum aëromeli ſeu mel aërium & roſidum.

Margaritæ, ſolidæ meliores perforatis, niſi etiam ſint flauæ, obſcuræ, ſolidis pares.

Medulla ſi non additur cuius animalis, & valens futurum eſt medicamentum, ceruina miſcenda valentior quàm vitulina, lib.6.comp.ph.part.

Nuclei, pini, oliuæ: dactyli autem Auicennæ.

Oleum, oliuum ex oliuis expreſſum.

Opium, Thebaicũ Galen.lib.7.ſimpl.& poſt eum omnes.

Petroſelinum, Macedonicum, & in hoc Aſtreoticum, & huius ſemen maximè in vſu eſt lib.8.comp.ph.part.

Pruna, ſi aluus deiicienda eſt, Damaſcena, & Hiſpana ſeu Iberica, hodie Auguſtana & Cathalaunica Italis dicta, ſunt multò præſtantiora, vel ſi qua his ſimiliter ſunt pinguia, dulcia: ſi ad cohibendum & aſtringendum ſit medicamentum, Damaſcena immatura, vel potiùs quæ Iorana nobis dicuntur. s. Iuliani & Turonica.

Papauer, album ſemen.

Piper, album quia acrius, & linguam magis pungit quàm nigrum, à quo per aduſtionem vis exhalauit, Gal.lib.8.ſimpl. ſed album id maturum intellige. Nam album ex macropipere in racemum granatim dehiſcente, recens factum, minùs eſt acre, & macropiperi facultate proximum, quale apud Serapionem eſt accipiendum. Pix, liquida in ſuppurantibus & tergentibus: ſicca, in ſiccantibus, vnguentis epuloticis & glutinantibus, Gal.lib.7.ſimpl.

Pæonia, mas ſeu eius radix, vel ſemen, Manardus ætatis noſtræ medicus longè doctiſsimus in epiſtolis.

Polypodium, quernum vulgò vſurpatur, murale & à ſaxis prætulerim cum Narbonenſibus quibuſdam, quod frequentiſsimum, & pro querno omnes venditant, niſi ſiquando aſtri-

ctione

ctione opus eſt: qua ratione hederam quoque quernam nonnulls experi audio.

Quatuor emollientia,malua,althæa,viola nigra, acantibus.

Quatuor ſemina	Frigida	Maiora	melonũ,cucum.cucurb.citru.
		Minora	lactucę,portulacę,ĩtybi,cich.
	Calida	Maiora	cumini,carui,aniſi,fœniculi.
		Minora	apij,dauci,ameos,amomi.

Quinque radices vreticæ,apij,petroſelini,aſparagi,graminis,ruſci.

Reſinarum, primas non iniuria meruit lentiſcina, id eſt, maſtiche:inter alias verò prẹfertur terebinthina, quia melior quàm colophonia, & phrycta dicta:aut illius loco ponitur larix dicta,terebinthinæ propè ſimilis, Gal.lib.1.comp.ph.gener.recentioribus verò pinea intelligitur. *Lib.8.ſimp.*

Ruta,folia rutæ agreſtis, Græcis verò folia rutæ domeſticæ.Illam verò & illius ſemen,moly vel beſanum, vel beſaſa, vel cum Syris,apud quos naſcitur Hermola ferè vocant. *Lib.9.c.ph.p.*

Roſa,rubra recens in purgantibus, ſicca in aſtringentibus.

Raphanus,ſylueſtris.

Roſmaris,folia,interdum flos,quem neſcio cur hodie vulgus ἄνθος,id eſt,florem abſolutè appellet.

Rhus,cortex fructus ſumach dicti.

Stœchas,ſtœchados Arabicæ flos.

Styrax,calaminthes:nam liquidus vulgò dictus eſt myrrha ſtacte,ſi verus ſit.

Santalum,flauum. Spica,nardi Indicæ.

Sulfur, ἄπυρον,id eſt, ignem non expertum ſeu viuum eſt nobiliſsimum : ad quædam extinctum ceu nobis familiarius præfertur.

σχοῖνος,id eſt,iuncus,pro ſcœnu anthos.

Tres flores cordiales, violarum,bugloſsi vtriuſque.

Thymum, Atticum aut ex editis locis & ſiccis, libro 4. ſanit.tuendæ.

Viola,nigra ſeu purpurea,vulgò Martia & quadrageſimalis, quòd in ea tempora flos ferè incidat, & eadem recens ſi haberi poteſt:nam ſicca inefficax.

Zizipha,id eſt,iuiubæ recentia & bene matura, aut ſaltem integra, non putria aut vetuſtate exucca, quod illis poſt ſextum menſem ferè accidit.

Sic quæ

Sic quæ ſingula in ſingulis regionibus ſunt præſtantiſsima & laudatiſsima.

Alumen Mileſium.

Agaricus Ponticus Andromach. iuniori in theriaca,

Myſi Cyprium

Lib.6.ſanit. tuendæ. Nitrum Berenicium Sinon Syriacus

Cuminum Hiſpanum, alibi Aethiopicum, melius Aegy-
Lib.9.c.ph.p. ptio. Aniſum & Thymum & alia plurima Cretica, lib. 4.
Lib.1.antidot. ſanit.tuend.in diatrion piper.& diacala.

Meon Hiſpanum & Macedonicum.

Ariſtolochia Pontica,& hac melior Cretica,lib.10.c.ph.p.

Phu Ponticum, Caſtorium Ponticum.

Daucus Creticus, ſemine & radice bonus, cæteri ſolo ſemine. In Dicearchia quæ nunc vocatur Puteoli,ærugo,ceruſſa,æs,ſquama æris,& alia nonnulla. Romæ argenti ſpuma fit optima:ex Sicilia item,magna Libya & Creta quotannis multa præſtantiſsima Romam afferebantur.

De his multa libro ſecundo in delectu medicamentorum diximus,quædam dicturi quoq; libro quarto in theriace.

QVID PRO QVO.

Quid, id eſt, quod medicamentum pro quo ſupponendum.

ANτιβαλλόμενα, hoc eſt, ſimplicia, quæ aliorum facultate ſimiliũ penuria ſupponi poſſunt Medici conſilio, quæ nomine Galeni circunferuntur, & à Paulo ad verbum propè citantur, Galeni non eſſe hinc liquet, quòd ſtatim ipſo initio Galenum citat. Adhæc anacardij fructus mẽtionem facit,qui Galeno ignoratus fuit. Poſtremò multa ſupponit abſurdiſſima,vt loco agarici,euphorbium:pro ſerpyllo, potamogitona:vice gallæ, ſordes gymnaſiorum:in locum polypodij, radix chamælææ aut chamæleontis: pro polythrico,abſinthiũ, & alia eius generis plurima viribus diſsimilia. Tamen quæ recipienda magis ſunt,tum indidẽ,tum ex Galeni libris, tum etiam ex Arabibus vtcunque proferemus,vt pro

Aqua pluuia,ſupponi poteſt aqua fontana pura: & ab omni miſtione ſyncera, Galenus lib. primo comp. pharm.part.in diacodio.

Acacia,ſuccus & caro prunorũ agreſtium,vel hypociſthis,

Auicen.2.canon.

Aſaro,acori par pondus & dimidium. Carpeſium quoque pro aſaro & cum aſaro,lib.2.c.ph.p.

Abſinthio, cum Galeno abrotanum: & contrà pro abrotano abſinthium.

Acanthij ſemine,lychnis,& cōtrà,ἀντιβαλλομένων author.

Acantha Arabica ſeu Aegyptia herba (quæ ſucaha Serapioni dicitur)acantha leuce noſtras,eidem dicta bedegar.

Alicacabo,ſemen ſolani.

Aſphalto,pix liquida,brutia. Aethiopicæ oleæ lacryma,lacrymarum acaciæ partes duæ,ſeu pro gummi elemmi, gummi Arabicum.

Acoro ad flatus & hepar ac lienem iuuandum, cumini par pondus,& tertia pars ariſtolochiæ Auic.

Anchuſa,hyacinthus. Arſenico,ſandaracha.

Amylo,ſicca farina. Amygdalis amaris,abſinthium.

Ariſtolochia quauis, vna ex tribus ariſtolochiis, quancūq; habueris,Gal.lib.3.comp.pharm.part.

Adipe vulpis,vrſinus.

Adipe ceruino,anſerinus. Alumine,ſal foſsitius.

Pro Balauſtio,malicorium. Buccinis,oſtrea vſta.

Balſami liquore,myrrha ſtacte.

Pro Cinnamomo,caſię aut amomi duplum ad odoris gratiam Gal. lib.5.comp. ph.p.in dentifricio. Pro cinnamomo, duplum optimæ caſiæ, vel cum Quinto Medico duplum vel multum carpeſij,vel certè non paucior caſia,Gal.lib.2.3.& 8. comp. ph.p. & lib.1. antid. Quidam carentes cinnamomo in vicem eius ponunt æquale pondus ex ſemine cardamomi, Damocrates in Cyphi lib.2.antidotorum Gal. *Lib. 6.ſanit. tuendæ.* *Lib.1.antid. Gal.*

Caſia,cinnamomum,Gal.lib.2.comp.ph.part.

Caſiæ cortice,nardus indica vel malobathri foliū: vel contrà,lib.6.comp.ph.p.

Chamæmeli floribus,duplum foliorum & radicum.

Coſto hodie rariſsimo,pyrethri dimidium, vel baccæ cedri,vel radix helenij,vel ireos.

Cimolia terra ex Cimolo vna cycladum, retrimētum ferri & molæ ſimul attritorum.

Struthio,in ſternutamentis elleborus albus.

Cardamomo maiore,minus:& contrà.

Calamin

Calaminthe omnis,mentaſtrum, pulegium ſimilia ſunt facultatibus,ob id inuicem ſunt antiballomena.

Pro croco, crocomagma. Cypero,iuniperus maior.

Cumino,ſemen rutæ vel agni. Clinopodio,heliotropiũ.

Colocynthide, ſemen ricini. Capparis radicis cortice, cortex radicis tamaracis vel ericæ.

Cicutæ ſemine,coriandrum.

Pro dictamno,elelisphacus vel nepitha.

Doronico,dimidium ſeu duæ tertiæ caryophyllorũ, Auic.

Damaſonio , eryngium. Pro Elaterio, ſuccus foliorum cucumeris agreſtis.

Ebeno,lignum Gaiaci:& contrà. Nam quas vires hodie in ligno Gaiaci experimur,ebeno tribuit Gale.lib.6.ſimpl.

Eupatorio Meſuæ,abſinthij & aſari ana dimidium pondus eius, vt ambo ſimul miſta æquent pondus eupatorij Meſuæ, ab eupatorio Græcorum diuerſi.

Pro Folio,folium caryophylli, nardus Indica ſi inuenitur, caſsia.i.vulgare cinnamomum,macis,Auicenna 2.canone.

Ferrum, ferrugo,ſquama ferri idem propè pollent, & pro ſe mutuò ponuntur. Fimo palumbis,fimus columbæ.

Felle ſuillo,vel perdicis,vel piſcium.

Pro Gentiana,aſari & radicis capparis ana dimidium.

Gongilide, heliotropiũ. Glycyrrhizæ ſucco, æquale radicis eius,Androm.in arteriace 15 apud Gal.lib.7.c.ph.p.

Gnidio cocco,ſemen lathyridis,& contrà.

Galbano,ſagapenum. Pro Hammoniaco,propolis.

Hermodactylo, in doloribus iuncturarum folia anchuſæ & dimidium bdellij.

Hederæ gũmi,gummi perſici. Hyacintho,flos Iſatidis.

Pro Iride Illyrica,helenium odoratum.

Pro Lapide aſio,lapis gagates. Pro lapide magnete, lapis Phrygius. Lapide Phrygio, pyrites lapis vel argyrites.

Libyſtico,ſemẽ ſtaphilini.i.paſtinacæ, pręſertim agreſtis.

Lepore marino,cancer fluuiatilis.

Lanariæ radice,radix veratri nigri.

Lycio,ſuccus radicis cẽtaurij magni, lib.7.ſimpl.aliis ſuccus baccarum periclymeni, autor libelli Dynameôn, Galeno malè adſcripti. Pro Melle,mel aërium vel ſaccharum.

Malabathro,caſia,vel nardus Indica.

Myrrha

Myrrha troglodytica,calamus odoratus. Myrrha,Smyrinum,& contrà,Dioſcorid.in Smyrnio.

Pro naſturcii ſemine,folia eius ſicca.

Nuce moſchata,par ſpica.Nardo Syriaca,iuncus odoratus.

Pro oponanace,hammoniacum,vel galbanum,vel ſagapenum,vel bdellium,lib.2.ad Glauconem in curando ſcirrho.

Ozimo caryophyllato,meliſſa in affectibus cordis.

Oleo laurino, pix liquida, licet illo inferior, vel oleum cedrinum, vel cicinum, vel vetus, vel oleum ex lucerna cum Hera,Galen.lib.1.comp.pharm.part.vel coctum,ſic enim tenuius fit, & veteri ac cicino ſimile, vel ſordes lucernarum luti craſsitie. Ibidem.

Oleo roſato, violatum, nymphææ: amygdalinum autem loco raſacei boni, id eſt,ex multis roſis cum oleo omphacino inſulſo facti,lib.3.c.ph.part.initio.

Oleo ricinino ſeu cicino,rhaphaninum.

Opobalſamo, opocarpaſum Galen.vel myrrha ſtacte, vel liquor myrti.

Oriza,hordei farina. Oeſypo,medulla ceruina. *Lib.6.c.ph.p.*

Omphacio,ſuccus rhois,vel vinum auſterum.

Pro Pipere longo, album: pro albo, nigrum optimum, id eſt,grauiſsimum: & contrà,4.ſanit.tuendæ.

Periclymeni fructus drachmis tribus, radicis eiuſdem drachmæ tres.lib.9.comp.pharm.part.

Phœnicobalanorũ pinguium carnis drachmis tribus, palmulæ ſeu dactyli tres, aut ſex, Galen.lib.7.c.ph.p.in arteriace 15.Andromachi. Pſyllio, lens paluſtris.

Petroſelino Macedonio in theriaca, alterius regionis petroſelinum,Gal.lib.1.antid.

Pro reſina phrycta,pix,aut pix brutia, Gal.lib.9.cõp.ph.p.

Rubigine, ſcoria ferri. Rhaphani ſeminis drachmis decem,ſucci eiuſdem cyathus vnus, Gal.lib.9.comp.ph.part.

Roſis,flos roſarum,vel contrà,Gal.lib.6.comp.ph.part.

Rhoë coriario,rhus obſoniorũ,& contrà, Gal.lib.6.comp. pharm.part.

Pro Staphide agria, pyrethrum. Spodio Græcorum, cinis ſuper fornacem aurariam inuentus melior quàm ebur vſtum,quod neſcio cur hodie Barbari ſpodium vocent.

Styrace,caſtorium. Sale Indo,ſaccharum candefactum.

Sagapeno,gummi cedri,hammoniacum,reſina picea ſicca.
Spuma nitri,nitrũ molle,vel aphronitrũ,Gal.li.3.cõp.ph.p.
Sulfure viuo,flauum vel vſtum & purgatum.
Satyrio,ſemen erucæ,vel ſcincus: vel contrà.
Sinapi,cardamomũ vel cardamũ. Scammonio,ricinus.
Stibio cõtuſo,ſquama æris,ſtannũ vſtũ. Sepiæ oſſe,pumex.
Serapiade,pæoniæ radix. Scilla,bulbus.

Pro Terebinthina, larix dicta reſina, ei propemodum ſimilis,Gal.lib.1.c.ph.gen.

Thapſiæ ſucco, chamæleontis nigri ſuccus,vel naſturtiũ, vel naſturtii aut erucæ ſeminis pondus æquale, licet illa ſint multò inferiora thapſia,Gal.lib.1.c.ph.p.

Tamaricis ſucco,ſuccus ſambuci,Gal.lib.9.comp.ph.part,
Pro Veratro albo,nigrũ. Viſco querno,chamæleõ niger.

Vino falerno, aliud quoduis colore fuluum ſubſtantia tenue, vt perluceat, & ſit odorum vehementer, vt Ariuſium ex Chio,Lesbium ex Mitylene,Creſſo, Methymna & Tmolites,Gal.lib.1.comp.ph.gen.

Pro Zedoaria,ariſtolochia. Zingibere,pyrethrum.

Αἰτιβαλλέμενα,vel horum aliqua vel alia poteſt quæuis regio noua deſideratis facultate affinia facere doctorum medicorum conſilio: nam ſi Arabibus & Græcis pro ſinapi cardamomum fortè ipſis frequentius licet ſubſtituere, quidni pro cardamomo frequẽtiſsimum nobis ſinapi vſurpabimus? præſertim cùm vt pro cinnamomo caſiam,ſic contrà pro caſia cinnamomum aſſumi probauimus: idemq; in aliis faciendum puto. Ob id Galenus lib.7.ſimplicium meliſſophyllum (inquit) marrubio facultate ſimile, ſed ipſo multò imbecillius, ob id meliſſophyllo vtitur nemo. Nam abſurdum fuerit,præſente vbique terrarum magno marrubii prouentu,vti meliſſophyllo. Si cui verò ad manũ non fuerit marrubium, meliſſophyllo vti poterit,obſeruata eius præ illo imbecillitate,vt ob id quantitas eius augeatur: hæc Gal.qua ratione pro cinnamomo duplum caſiæ optimè miſcemus medicamentis, vt quantitate qualitatis imbecillitatem redimamus.

Quæ igitur apud ſingulas gentes ſunt copioſa, modò ſint facultate proxima his quæ deſiderantur: quia faciliora ſunt paratu ponantur, vt in Aſia in frigidis capitis affectibus, aut in declinatione calidorum ruſtici cedrio dicto vtuntur: eius

penuria

penuria piſſelæo, id eſt, pice & oleo miſtis liquida forma: interdum etiam cedrio & piſſelæo ſimul magis & minus miſtis, prout vires eius intendere ſtudent: hoc autem linunt ſinciput, nares, frontem, aures, & quibuſdam plantam & ſedem, Gal. lib. 2. comp. ph. parr.

Sed videmur antiballomenis non egere, qui magna cura iam ſimplicia generis omnis in promptu habeamus: imò maximè egemus, cùm multa ſimplicia veteribus laudatiſsima (vt Theriaces compoſitio docebit) hodie nobis parũ ſint cognita. Quæ vbi certa erunt, his vtendum potius quàm antiballomenis. Vt enim pluris eſt equo domini oculus quàm equiſonis induſtria: pluris agro domini veſtigium, quàm villici ſtercorizatio: pluris familiæ paterfamilias, quàm procurator: pluris prætor, cõſul, rex, paſtor, quàm proprætor, proconſul, prorex, mercenarius: ſic plus tribuendum puto his, quæ maiores magno delectu & ratione optima in cõpoſitiones cooptauerunt, quàm quæ illorũ loco coacti adoptamus.

MEdicamenta quædam tum purgantia, tum non purgantia, & ſumenda, & admouenda, ad compoſitionem per ignem præparamus calfaciendo, nutriendo, liquãdo, coquendo, deſpumando, colando, clarificando, aſſando, vrendo, extinguendo, lauando, infundendo, deſtillando, vt ſint mitiora, vel valentiora, vel gratiora, vel ſalubriora, vel facultas vna tollatur, aut detegatur, aut noua acquiratur. Multa enim ſolum calfiunt, vt dum calfacto piſtillo maſtichen ſiccam alutæ intendimus in epithema: dumq; calfacto mortario & piſtillo gummi Arabicum & tragacãtha ſiccata promptius in puluerem tenuiſsimum ducendo læuigantur, præſertim aëre humido: nam ſicco, qualis æſtate & gelu, præſidium illud non admodum requirunt, niſi ſint admodum recentia.

Nomine ignis intelligo calorifica omnia, ſolem, fimum, putrentes cortices, calorem animalis, calcis irrigatæ, & ſiqua ſunt alia præter hæc calfacientia.

Oleum, cera, pix, reſina, & ſimilia prius calfacta abluuntur.

Calfacta promptius & perfectius miſcentur, ſed in calfaciendo ſunt certi fines, quos vltra & citra vis medicamentorum non cõſiſtit. ob id aromata miſcemus aliis ab igne depoſitis, ne ab igni ipſo vis eorum diſſoluatur, vt poſteà dicemus.

Medicas portiones hyeme calidas damus, & cùm vomitorias eſſe volumus, tepidas: cùm hydroticas, plurimum calidas propinamus.

Semina ſaccharo incruſtanda antè calefaciendo modicè ſiccamus, vt promptius in his ſaccharum ſiccitate concreſcat & albeſcat. Caloris vis in medicamentorum præparatione tam latè patet, vt me dies prius ſit defecturus, quàm caloris illius exempla, ſi omnia perſequi liberet.

Lib.9.ſimpl.et lib.1.c.ph.g. Nutriuntur, ſuper eineres calidos lythargyrum & molybdena, & cum oxelæo celerrimè liquantur: cum hydrelæo diutiſsima coctione opus eſt.

Turbith lacte nutritur & myrobalani oleo, aqua, & aliis apud Meſuen. Sarcocolla lacte muliebri, vel aſinæ, vel capræ nutrita aliquandiu pòſt ſiccata, idq; aliquoties, reponitur ad vſus. Fit hæc ſimplicium quorundam nutritio & velut refectio atque auctio interdum ſine igni, præſertim aëre calido, vt etiam vnguentum nutritum declarat.

LIQVATIO.

Liquantur calore ignis, quæ frigido concreuerunt, butyrum, oleum hybernum, adipes, medullæ, cera, reſinæ: gummi melius aqua ſoluuntur, & ei miſcentur, non oleo, vti ſucci lenti bdellium, hammoniacum, & ſimiles, vel aceto, vel alio: reſinæ verò oleo liquatæ eidẽ probè miſcẽtur nõ aquæ.

Lib.1.c.ph.g. Chalcitis metallicorum celerrimè liquatur, & alumen omne, ſed ſciſsile molleſcit tantum: liquatur & ſandaracha & auripigmentum. Lithargyros per ſe tardiſsimè liquatur cum ærugine vel duplo oxelæi cocta citius liqueſcit, quàm cum hydrelæo duplo, vel paulo plus duplo. In medio horum ſunt ærugo & miſy: ſori autẽ quia terreum magis eſt ac ſaxeum, quàm chalcitis & miſy, etiam tardius liquatur.

DISSOLVTIO.

Crocum, thus, myrrham læuigata vino diſſoluit, & medicamento propè cocto miſcet, quæ vbi modicè liquata erunt ab igni, deponit Andromachus in arteriace 16. lib. 7. comp. ph. part.

Galbanum, opopanax, ſagapenum, hammoniacum ex vino vel aceto, vel alio liquore cocta diſſoluuntur. Cum ſiccis verò trita abeunt in puluerem.

Gummi ferè diſſoluuntur liquore aliquo, aut piſtillo cali-

do, item & pingues ſucci niſi ob ſiccitatem teri poſsint, vt frequẽter gummi Arabicum, tragacanthi, iuniperi, thus maſculum, maſtiche, & propè reliqua vetuſtate vel igni ſiccata: recentia verò & adhuc vuida etiam calentibus digitis liqueſcunt, aut ſaltem molleſcunt. Eadem tundendo lacteſcunt, multò magis ſi piſtillo calido in mortario calido tundantur. Gummi quia aquea eſt natura promptius cum aqueis miſcetur, quàm cum oleaginis: reſina contrà quia eſt oleagina, vt in ſimplicibus diximus. Multa item cõpoſita, vt cõſeruæ, trochiſci, antidoti aliis miſcenda, antè liquore aliquo diſſoluuntur.

Non modò autem hæc ad compoſitionem ſunt neceſſaria, ſed particulares quædam compoſitiones ſæpe ſunt antè faciendæ, quæ in alias maiores recipiũtur: vt cyphi in mithridation: paſtilli theriaci & ſcillitici & hedychroon magma in theriacen. Gallia moſchata, & alipta moſchata in multas Arabum compoſitiones: & præter hæc non pauca, quæ in ſequentibus compoſitionibus inuenies.

INFVSIO.

INfunduntur medicamenta parum trita, & maceratur liquore aliquo calente à ſole, vel igni per ſemihoram, per horas etiam plures, vt octo, noctem totam, etiam diem, biduum, triduum, pro medicamenti natura, & vario medici ſcopo & neceſsitate, vt interim vis eorum tota in liquorem illum trahatur & tranſeat. Hac vtimur non modò in apozematibus & ſyrupis, ſed etiam in potionibus quotidianis purgatricibus, vt hac ratione ſint gratiores, quàm ipſa ſolidorum ſubſtantia. Citius etiam ſubeunt aut diſtribuuntur liquida quàm craſſa: quomodo potũ quàm cibo facilius & iucundius eſt impleri. *Aph. 11. lib. 2.* Nec ſola medicamentorum facultas in liquorem tranſit, ſed eius ſubſtantiæ portio tenuior: interdum etiam craſsioris aliquid, præſertim dum infuſum valentius colando exprimitur, aut per colum rarius tranſmittitur. Colandum enim ac exprimendum magis aut minus pro ægri, & affectus, & medicamenti natura. Infuſio veteribus parum frequens eſt, quanquàm multa ſæpe in liquore aliquo ante decoctionem macerauerunt, non tamen ad purgationem, quo more nos hodie in ægrorum delicatorum & diuitum gratiam ſolemus, atque adeò alteramus ſaccharo & pſeudocinnamomo adiectis, vt æger ſumpſiſſe ſe medicamentũ neſciat.

Eſt quando vice infuſionis iuſculo aliquo eadem nodulo ligata incoquimus. Galenus verò ſemen abietis tritum & flores populi nigræ tritos oleo dulci & tenui macerat dies 40. interdum menſes duos, tres, quatuor, plures, in domo calida, & ſub ſole mouet meridiano, poſteà linteo colatum & expreſſum oleum reponit, reliqua abiicit.

Lib. 4. ſanit. tuendæ.

Infunduntur ſeu macerantur liquore aliquo medicamenta, vt eorum vires in ipſum tranſeant (vt dum agaricum, ſennam, rhabarbarum, & alia multa ſuper cineres calidos temperamus aliquandiu humore idoneo) vel vt ſimplicis facultas vehemens corrigatur, vt turbith lacte caprino recẽs multo maceratum & pòſt ſiccatum fit clemẽtius, neque ventrem poſteà conturbat: Mezereon quoque & eſula aceto macerata acrimoniam effrenam deponunt. Vel vt facultas noua medicamentis acquiratur: ſic turbith ſucco cucumeris agreſtis temperatum materias à partibus remotis valentius attrahit & vacuat. Hermodactylus item ſcillæ, aut rhaphani ſucco, vel aceto ſcillitico infuſus à iuncturis potentius euocat. Agaricus etiam oxymelite maceratus fit purgatior. Vel vt medicamentũ fiat lubricum, ob id medulla colocynthidis, chylo tragacanthi promptè per ventrem totum lubricat, vt neque ventriculo, neque inteſtinis, neque veſicæ adhæſu ſuo ſit moleſta. Scammonium quoque oleo violato vel ſimili maceratum promptè ſubit deorſum, nulla aut minima partium noxa, quas permeat. Aut igitur liquor ipſe medicamenti vires in ſe trahit, aut mutat ac frangit, vel auget pro varia cuiuſque liquoris natura: vt ſi aloë decocto aromatum mergatur, illorum vires in ſe trahet. Sed hæc fuſius & clarius noſtris tabulis in canones Meſuæ expreſſimus.

Meſues in canonibus.

MVCCILAGO.

Χυλὸς, id eſt, ſuccus ſeu ſuccago ac lentor, ac veluti muccus ac muccago fit infuſis quibuſdam ſeminibus in liquore calfacto ſole vel igni. Cuiuſmodi ſunt ſemen pſillii, ex quo fortem facere expreſſionẽ contra falſam Arabum opinionẽ ne dubita: ſic etiam extrahitur ex ſemine cydoniorũ, maluæ, biſmaluæ, lini, fœnigræci, vrticæ. Lini ſemen in aqua coctũ refrigeratũ χυλὸν, id eſt, cremorẽ lentũ, efficit. Quomodo ex radicibus maluæ, biſmaluæ, ſymphyti, periclymeni, & ſimiliũ: vnde emplaſtrũ eſt διαχυλὸν, ſeu διὰ χυλῶν, id eſt, de

Lib. 6. ſanit. tuendæ.

muccag

muccaginibus:diuerſum tamen ab eo quod de muccilaginibus vulgò dicitur,vt leges in emplaſtris Meſuæ. Ex quo autem liquore ſuccus ille ſit educendus, Medico cõſultore opus eſt,vt in dyſenteriis cum aqua roſarum & plantaginis clyſtebus iniicitur hæc muccago. In pleuritide cum aqua tuſsilaginis aut adianti, aut hyſſopi, aut ſcabioſæ extracta illinitur, & in aliis affectibus cum liquore alio pro variis Medici ſcopis. Ex gummi item Arabico & tragacantho infuſis materia ſic lenta educitur,vt ex cæterorum gummium diſſolutione. Iniiciuntur autem prædictorum libræ vni aquæ calentis libræ tres,ſi craſsiorẽ vis chylon: aut 4. aut 5. ſi aquoſiorem, & nocte vna,vel horis aliquot macerantur recalfacta, & ſacculo lineo impoſita exprimuntur: baculo interdum etiam batuuntur,donec totus humor glutinoſus effluat.

χυλὸς autem etiam ſuccus ex tritis plantarum partibus expreſſus,vt lib. primo docuimus. Semperuiuum autẽ vtrunq;, portulacam, maluam, ſymphytum, bugloſſum, cotyledon, aloë, telephium, & alia permulta lentore multo prædita, vix ſuccum trita reddere, niſi inter tundendum liquorem aliquẽ affundas tenuem & aquoſum,non craſſum & lentum. Aut calatho impoſita, in cella vinaria herbas tuſas aliquandiu in catinum ſuppoſitum deſtillaturas colloces, aut prius quàm exprimas, mediocriter calfacias in vaſe duplici, ſi refrigerationem obtundi times. Quòd ſi liquorem affundas, is herbæ huius virtutem non vitiet, ſed vel augeat, vel foueat, & ſeruet. Sic polygono mari præſertim ex loco arido, & quando ſementeſcit,maioranæ,thymo,ſaluiæ,rorimarino,foliis lauri, hederæ ex locis aridioribus liquor aliquis eſt affundendus his facultate conueniens, ſi ſuccum aliquem ex huiuſmodi ſiccioribus educere libet. *Lib. 6. ſanit. tuend.*

CLARIFICATIO.

CLarificantur,hoc eſt, purgantur & puri fiunt, ſucci quidam per ſe,(reſidendo enim, quod terreum eſt ac fæculentum ſubſidet)quidam coctione & colatura,quidam vt decocta,alia quæ vix ſine albuminibus in ſingula decocti libras ferè ſingulis(quanuis tria etiam ſex libris & pluribus ſufficere poſsint)purgantur, idq; immiſſo vel paulò antè, vel illico pòſt melle aut ſaccharo: alioqui & albumina vruntur,& purgatio parum bellè procedit. Quòd ſiqua apozemata aut ſyrupi,

rupi,quos vocant magiſtrales,agaricum recipiunt in fine ponendum, albuminibus non egetur. Albuminum loco etiam eſt acetum,aqua vitæ dicta,ſuccus limonum & aranciorum. In quibus enim acetum eſt, deſpumentur coquendo, & coquantur deſpumando, donec ſpumam emittere ceſſent: tunc enim clara ſunt quatenus eis datum eſt.

Veteribus non fuit in vſu,ſed horum loco colum panneũ, nunc ſimplex,nunc duplex,interdũ etiam triplex, vel rarum, vel denſum pro re varia & ſcopis diuerſis aliquo ſcilicet interuallo vt trium digitorum: anguſtiſsimum verò erat & rariſsimum ſummum, latiſsimum & denſiſsimum imum, mediocre in amborum medio fixum ſtabat: ſi quod fæcis craſsitie obſtructum non patebat,abluendum erat.

Albumina autem ouorum vel in aquam frigidam iniecta ſcopulis concutiuntur, donec in ſpumam abeant, quæ particulatim ſaccharo cum aqua feruefacto,vel decocto alicui iniiciatur,cùm ſcilicet prior nigreſcit,aliam ſubſtituẽdo donec clareſcat, vel eadem iniecta primùm ſaccharo cum aqua coquendo, vel decocto alicui, vel ſimul miſtis ambobus (quod frequentius fit) ſcopulis ſimiliter in ſpumam agitatu multo abeunt, ſimul coquuntur, donec ſubſidat ſpuma. Dum verò id decoctum refrixit, modicè quidem ſi decoctum mediocrẽ habiturum eſt conſiſtentiam, vel potius liquidæ proximam.

Magis autem,ſi decoctũ futurum eſt liquidiſsimũ, vt oxymeli,hydromeli,apozemata propè omnia colantur per pannum album laneum ſemel,& ſi non ſint clara ſatis,bis & ter.

Quæ verò decocta ſuccum habent craſſum & lentum, vt qui paulò antè ſucci lenti & craſsi ſunt dicti,& ſyrupi & ſaccharum cum aqua coctum incruſtandis ſeminibus, vel aliis bellariis aptum,calida omnino ſunt per pannum colenda.

Aëtius & Paulus ebullitionem ad tertiæ partis conſumptionem faciebant ante mellis miſtionem,ne,opinor, coctione multa mel amareſceret: id quod Galenus in oxymelite non metuit,quod tribus aqua,aceto,melle initio ſimul miſtis poſſe coqui ſcribit.

COCTIO.

Ariſt. cap.3.li. 4.meteor.

COctio medicamentorum ferè fit elixando in humore calido, rarius aſſando in calore ſicco: ſimplicia enim non modò alimenta,vt radix ari,dracontii,cæpæ,allii, porri: ſed etiam

etiam medicamenta in liquorem cui incoquuntur, vim ſuam tranſmittunt, & liquores illius virium aliquid adipiſcuntur. Ob hæc alimenta & medicaměta acria elixando euadunt mitiora & gratiora (niſi liquore medicamentoſo elixentur) ipſum verò decoctũ vires ſimplicium ſortitum à medicis in apozema vel ſyrupũ, vel forum, vel id genus alia vſurpatur.

Quinetiam coctione fiunt antidoti, catapotia quædã, olea permulta, vnguenta, cataplaſmata, emplaſtra, & reliqua propè omnia, quæ libro ſequenti compoſita docebimus: in quorum multis non ſolùm facultates ſimplicium miſcentur, ſed ipſæ etiam ſubſtantiæ. Quid quòd ellebori radicem rhaphani radici inter cineres aſſandæ impoſitam, vt rhaphanus iſte purget mitius, quàm per ſe elleborus (cuius rei meminit Gal. quos medicamentis purgare oportet, & quibus, & quando) elixari dicit Meſues: & ſcammonium malo cydonio circundatum, & in eo aſſato coctum, vt ipſum etiam malum clementius purget, quàm per ſe ſcammoniũ. Coquimus igitur medicamenta permulta, vt eorum vires imbecillas augeamus, aliorum validas nimis minuamus, aut alienas in totum abigamus, vt quoque ex omnibus etiam facultate diuerſis & ſæpe contrariis facultas vna concreſcat & coaleſcat. Adhæc ad cuſtodiæ diuturnitatẽ coctione longa quædam ſiccamus, quædam etiam diu coquimus, ob deſtinatam medicaměti formã: vt ſyrupum diutius coquimus, quàm apozema vel iulep vulgare: emplaſtrum diutius, quàm ceratum aut malagma. Quæ medicamenta mel liberalius accipiunt, coqui largius poſtulant: & item quæ paucũ mel accipiunt, ſi his parantur, qui mel & dulcia cætera auerſantur. Nam eo pacto minus eſt dulce, & minus ſtomachum eorum qui à melle abhorrent, ſubuertit. Longo tempore etiam coquuntur: ob id initio decoctioni imponuntur ariſtolochia, polypodium, hermodactylus, & cæteræ radices, ſemina propè omnia, fructus, ligna (niſi ſint aromatica, aut virtute imbecilla, aut ſuperficiaria:) violæ eadem ratione diu coquuntur, quando vis purgatrix in centro earũ poſita quæritur: rha barbarũ, myrobalani omnes quando aſtringendum, acerba, auſtera, metallica omnia. Parcius verò coquuntur, quorum virtus imbecilla, aut eſt ſuperficiaria, aut facilè ob tenuitatem diſſoluitur, aut ſubſtantia eſt parum firmiter contexta, hoc eſt, rara, vt flos violæ nigræ, ſi vis

Libr. 4. ſanit. tuend. in diacalaminthe.

Meſues.

leniens quæritur, roſæ, & reliqui propè flores (excepto chamæmelo) epithymum, adiantum album, agaricus, ſemen cucumeris, cucurbitæ, melonis, citreoli, rha barbarũ, myrobalani omnes, quando per hæc duo, vt roſas recentes purgãdum, aperiendum, tergendũ. Manna quoque & caſsia, & tamar Indi, & cætera dulcedine, vel aciditate lubrica & humiditate multa purgantia. quia vim lubricandi aut comprimendi in tamar Indis imbecillã coctio multa perdit. Aromata quoque, vt nardus, coſtus, amomum, caſia, cinnamomũ, iuncus odoratus, calamus aromaticus, iris, ladanum, folium malobathri, ſtyrax, bdellium, opobalſamum, xylobalſamum, non coquuntur: ſed cùm vas ab igni deponendum eſt, aut mox vbi depoſitum eſt, iniiciũtur. Quod autem in diacydonio zingiber & piper poſt modicam coctionem & legitimam deſpumationẽ imponit, deinde percoquit ad mellis conſiſtentiã, priori loco non repugnat, quia piper non eſſe aroma colliges ex lib. 9. comp. ph. part. Si tamen hæc maceratione vires in aliquo liquore depoſuerint, etiam ſi prius erant euanidæ, nunc volunt poſſe vt libet concòqui, & in liquore firmas & integras ſeruari, vt in ſyrupo de abſinthio Meſuæ.

Meſues.

Libr. 7. meth. & 6. c. ph. p. in diamoro, & 9. eiuſdem, & 1. antid. in theriaca.

Decies deferueſcente cortina Plinio dicitur in oxymelite Dieuchis, id eſt, rebus ipſis decies ſufferuefactis, ſeu poſt decem ebullitiones: ſic per alios numeros, vt cùm leges apud doctos, Coque donec ferueſcat ſemel, id eſt, vna ebullitione. Coctio cuique medicamento eſt ſua pro variis ſcopis, citra quam & vltra medicamentum eſt deterius, pro natura ſimplicium, affectuũ, aëris tẽperatura & forma conſtituenda. Nam minus cocta quo ſunt liquidiora, eo gratiora, ſed minus diu ſeruari poſſunt: vt oxymel Galeni multò gratius, quàm quod officinæ ad mellis craſsitiẽ coquũt, vt ſcilicet diu ſeruari poſſit: cùm illud aëre calido vix dies 4. integrũ ſeruari poſsit. Sed de gradibus coctionis cuiq; medicamento compoſito conuenienti dicetur libro quarto in ſingulis propè compoſitis.

Coctio ad dimidias nullam habet ambiguitatem, ſiue interpreteris ad dimidiæ partis conſumptionem, ſiue donec pars dimidia ſuperſit: vtraque enim oratione res eadem ſignificatur. Sed coctio ad conſumptionem duarum partium ex tribus ſcilicet vt trium ex quatuor intelligenda eſt, qualis multa hodie fit, vt in ſyrupis audies. Coctio autem ad ſecun-

das,

das,tertias,quartas ſcilicet partes,& cæteras Galeno lib. 4. ſanit. tuendæ in oxymelite vſurpatur ad conſumptionem tertiæ vel quartæ partis: vt oxymeli ſit potu iucundiſsimum,& etiam in febribus nullo caloris metu bibi poſsit: quæ dos ad mellis craſsitiem cocto pharmacopolarum oxymeliti per ſe non adeſt. Apud Plinium autem oppoſitum intelligitur: nam lib. 14. cap. 9. ſapę coctio (inquit) fiat ad tertiam partem: & de eadem ſapa lib. 22. cap. 2. vult ejus coctionem fieri, donec tertia pars ſuperſit, ſeu donec duæ partes ex tribus coquēdo ſint reſolutæ. Qui coctionis ſcopus ſæpe Galeno & Meſuæ exprimitur. Alibi Galenus hunc ſcopum neglexit, vt in diacodio, cuius finem coctionis eſſe vult non tertiam aut quartam, aut omnino talem aliquam aquæ partem relinqui, ſed cùm primùm capita coquendo in aqua intabuerint. In ſtomaticis & ſtomachicis, & aliis multis ſumendis ſcopum coctionis ſtatuit mellis aut fordium craſsitiem, in multis dum manu tractatum digitos non inquinat, nec ipſis hæret. Sed hi coctionum ſcopi in ſingulis compoſitorum generibus libro ſequenti plenius explicantur.

Lib. 7. c. ph. p.

In fine lib. 6. ſanit. tuendæ.

ASSATIO.

QVæ aſſando in vitro, ſartagine, alio vaſe, vel patella, vel prunis, vel cineribus coquuntur, nó admodum multa ſunt: neq; enim raphani radix aut malum cydonium propter ſe aſſantur tantùm, ſed multo magis vt vires illa ellebori, hoc ſcammonii coquendo trahat: aſſando verò propter ſe coquuntur Medicis. Cuminum modicè frigitur in vaſe fictili, quod coctum in camino quàm optimè ſit ad dioſpoliticum. Eryſimi ſemen toſtum valentius ſit, lib. 7. comp. pharm. part. Scilla aſſatur in lienoſis, lib. 9. comp. ph. part.

Lib. 4. ſanit. tuendæ.

Alia non pauca Medici aſſando, ſeu (vt vocāt) torrefaciendo præparant diuerſis rationibus. Quædam enim vt ſiccatiora facilius ad læuorem terantur, vt gummi, tragacantham, herbæ, radices, flores, vt roſæ, crocus, vbi celer vſus pulueris requiritur: crocus etiam papyro impoſitus igni vel ſole ſiccatur. Sericum Arabibus torretur, vt puluis fiat. Pſillium vulgò, nuclei pini, & bdellium torreſiunt Andromacho, libro 6. comp. ph. part. Sic ſideritem & perdiciadem aſſat Galenus lib. 5. comp. ph. p. in ſuo dentifricio.

Quædā vt vis eorum per ignem augeatur: vt ſcilla toſta & in ſart

in ſartagine frixa maiorem aſſumit acrimoniam, humiditate largiùs abſumpta, ob id purgantior euadit. Scillam grandem luto circundatam torret Cryſermus, & corticem, ac quod in fundo duriuſculum aufert, & πυρῆνα, in eſt, nucleum, accipit, lib. 9. ph. p. in ſplenicis.

Quædam vt vis eorum minuatur, ſic cæpa, allium, ari radix ſub cineribus aſſa, minùs acria & magis veſca euadunt. Sic aſsi fructus, vt poma, caſtaneæ flatus deponunt, quomodò elixum hordeum, & alia pleraque præter fabas, niſi iis acria, vt cæpas miſces. Eadem ratione opium & meconium ob eius narcoticam malignitatem Apollonius & alij quidam inſignes viri torruerunt: ſed quia torrendo omnis eius in ſtupefaciendo ſenſum efficacia aboletur, non toſtum Galenus mauult caſtorij caliditate obtundi. lib. 3. ph. part. Sic pſillium aſſando ſiccatum minùs aluum ſubducit Arabibus, cùm ei ſolam refrigerandi facultatem Græci dederint, non etiam lubricando purgatricem, multò minùs cauſticam in medulla ipſius conditam: quæ Arabum ſomnia videntur.

Alia virtute duplici, & interdum repugnante prædita, aſſando facultatem vnam vel perdunt, vel minuunt, alteram intendunt, vt myrobalani & rha barbarum aſſando vim purgatricem amittunt, aſtrictoriam augent: & balanus myrepſica, id eſt, ben aſſando vomitoriam facultatem in humiditate nitroſa largiore poſitam deponit, deiectoria remanet, vel hoc valentior, quòd à vomitoria motu contrario non impeditur.

Vt rara aut virtutem imbecillam vel ſuperficiariam ſortita decoctionem longam non ſuſtinent: ſic neque longam aſſationem, quæ ex illis aſſanda veniunt, non autem vrenda ſunt, ne ipſorum facultas corrumpatur.

V S T I O.

Ariſt. c. 3. li. 4. meteor.

QVòd ſi aſſatio fiat maior quàm cõueniat, à calore ſicco aduſtio eſt maioris tantùm ratione ab aſſatione differens: niſi hoc etiam quis ad amborum diſcrimen congerat, quòd vrẽdis ſimplicibus multis, vt terreis, metallicis, alia quędam miſcentur, quæ vel flammas edant, vt ſulfur, ſal petræ, mel: vel ignis vim celeriùs in vrẽdum corpus deducat, vt pro ſua natura ipſum corpus alteret, hoc eſt, rarius, leuius, tenuius, purius, ſplendidius, acrius, ſiccius, calidius efficiat.

Vrendorum medicamentorum cauſę ſunt variæ: quædam enim

enim vruntur, quò ſicciora reddita & ſolutiora, læuigari & tenuiſsimè comminui poſsint, pili, lana ſuccida, teſta oſtreorum, buccinorum, purpurarum, vngues & cornua multorum animalium, & oſſa & coria, & alia, quæ vel ob terroſam duramque corporis conſiſtentiam & concretionem condenſatam ſunt ſortita, & partes impendio craſſas, quia ab ea vim quandam cogendi, vel ob lentorem immodicum, aut humiditatem aliquam vſui eſſe non poſſunt. Sic enim rectè vngues caprarum vſti ex aceto alopeciis illinuntur: & vngues aſini, & cranium hominis vſtū ad epilepſiam bibuntur: & oſsium aliorum cinis ad arthritidem: & cornua cerui & capræ vſta veniunt in dentifricia: & teſtæ oſtreorum in emplaſtra: pompholyx & hæmatitis in collyria. Nitrum ſi lapidoſum eſt, vri vult Gal. lib. 8. meth. vt ad frictionem ſit aptius.

Alia verò vruntur, vt eſſentiæ craſsitiem deponant, & tenuitatem induant, aliasq; facultates igneum calorem ſequentes. Metallica vrendo tenuiora euadunt, ſed etiam ignis commercio mordacia & rodentia: elota autem roſionem deponunt, & lenia prorſus redduntur. Arſenicum vſtum & non vſtum eſt cauſticum, ſed vſtum tenuioris eſt eſſentiæ.

Gypſum vſtum tenuioris fit eſſentiæ & ſiccantius, quàm non vſtum, & fit minùs emplaſticum. Pumex vſtione tenuitatem & aliquid acrimoniæ acquirit, quam lotione deponit. Cornu cerui & capræ vſtum terget. Cinis corij veterum calceorū ſiccat vlcera. Pili & lana ſuccida vruntur, vt acris, calida ſicca, tenuium partium fiat. Teſta oſtreorū & cætera terrea vruntur, non modò vt in puluerem minui poſsint, ſed etiā vt tenuioris ſint ſubſtantiæ, & cogendi quandam facultatem deponant, et contrariā digerentem accipiant. Cinis radicis aſphodeli magis calfacit, ſiccat, tenuat, digerit. *Hæc lib. 11. ſimplicium.*

Abrotanum vſtum, anethi radix, & anethum ipſum, κολοκύνθα vſta ſiccandi vim magnam acquirunt, & abrotanum etiam mordendi. *Lib. 6. ſimp.* *Ibidem.*

Alia vruntur, vt vis quędam noſtro ſcopo aliena in ſuperficiem trahatur, poſteà lotiōe ſeparetur, quo fine hæmatitem & pompholygem ſæpe vrunt, & lauant ophthalmici, & Galenus lapidem Phrygium (vt pòſt leges.)

Alia vruntur, vt colorē nouum induant ægro gratiorem: ſic ærugine vſta Galenus emplaſtra faciebat melina, id eſt, co- *Lib. 9. ſimp.*

loris

loris mali cydonij, quòd viridis multos terreret. Sic ceruſſa trita vſta, rudicula ferrea mota tranſit in ſandyca, & fit rubra, vt ochra & auripigmentum: & oſſa multùm vſta albiſsima fiunt, & cornua cerui potiùs quàm capræ vſta dentes dealbant ſua ſubſtantia, non ſola vi deterſoria ſine morſu, quam vtrunque vſtum obtinet.

Alia vruntur, vt in aliam tranſeant ſpeciem: ſic ex viperis vſtis ſal fit theriacus: ex cinere braſsicæ aut betæ, & aliorum ſapore nitroſo præditorum, fit à quibuſdam nitrum: ex calce vſta & fæce vini vſta cauterium: ex antimonio vſto, ſulfure vſto, ceruſſa vſta, calciti vſta, oleum. Sunt qui aloën, acaciam, bolum Armeniam, opium, & alia quædam adurant, ſed paruo aut nullo ſucceſſu.

Vrendi modus non eſt omnibus vnus: quædam enim humore pingui prædita per ſe vruntur, vt pili, lana, cornua, vngues, oſſa, coria, hirundines, & aues quædam aliæ, viperæ, & alia quædam pedeſtria. Et hæc in olla noua operculo foraminulẽto tecta ſunt vrenda, preſertim cùm cinefacta diſperdi poſſunt: quæ verò etiam vſta manent integra, vt vngues, oſſa, cornua, hæc etiam viuis carbonibus tradi poſſunt, niſi quædam ſint addenda, quæ vim eorum mutent: tunc enim etiam in olla noua vruntur: ſic viperas cum ſubſtratis quibuſdam medicamentis Galenus vrebat ad ſalem theriacum.

Lib. 11. ſimp.

Alia materiam aliquam inflammabilem requirunt ſubſterni, vel aliter miſceri, adipes, reſinas, olea, ceras, mel, ſulfur, & id genus alia, vt libro ſecundo Pharmacopœæ ex Dioſcoridis libro quinto & aliis abundè explicabimus. In præſens verò ſufficere exiſtimaui, cauſas vſtionis, & modum vrendi proponere, quem vno Galeni exemplo indicare non fuerit alienum ex lib. 4. cõp. ph. part. Vritur (inquit) lapis Phrygius ad oculorum ſanitatem, in minuta confractus fruſtula, magnitudine nucis auellanæ, & in ollam recentem iniectus, luto deinde extrinſecus circumlito, vbi operculum impoſueris perforatum, vel in ſolo vertice, vel (quod eſt melius) etiam pluribus aliis partibus, vt fumoſi & fuliginoſi effluxus eorũ quæ vruntur, per ea foramina efferantur. Vbi iam lapis totus euaſerit ignitus, in vas purum ex olla traducto butyrum ſuperfunde recens, agitando lapidis vſti particulas. Id fac, donec extinguantur omnes, & tunc ceſſa. Rurſus ollæ redditũ vires

iterum

iterum carbonibus peruſtis, vt nihil fumidum habeant, ſemper euentilando, vt citiùs combuſtio abſoluatur. Vbi erunt igniti, nec vlla ampliùs fuligo emergit, effuſos lapides reſtingue vino falerno, aut quodam rubro & odoro. Tertiò vre vt priùs, & vbi ignitus erit, extingue melle Attico non largo. Sic alia multa ſunt comminuenda, & ollæ imponenda, non tamẽ omnia toties vrenda. In quo exemplo obſerua operculum cum vaſe lutari, & ipſum eſſe foraminulentum, & carbones peruſtos, & à materia, in qua extinguitur, igni rarefactum corpus, vires quaſdam ocularias in ſeſe trahere.

LAVATIO.

Medicamentorum lauandorũ ſcopi ſunt quatuor. Primus, vt partes eorum impuræ tollantur, qua ratione herbæ ſi puræ ſunt, etiam ſi intybus eſt, aut ſonchus: radices, multa ſemina, metallica lauantur aqua pura & fontana: nec metuas cum Meſue vim ſuperficiariam dictarum herbarum hac lotione diſsipari, quod in roſis & floribus aliis metui poteſt: ſed hi ferè puri ſunt, neque lotionem requirunt.

Secundus, vt facultas eorum velut in profundo merſa & parum efficax ſit euidentior. In cadmia etiam non vſta, & aliis quibuſdam tergendi vim occultam lotio detegit: ſic aloë lota ventrem magis roborat. *Lib.4.c.ph.p.*

Tertius eſt, vt virtus medicamenti malefica, vel nobis in affectum præſentem incommoda tollatur, & quæ expetitur, maneat: ſic vſta omnia ſi lauentur, moderatiora fiunt, & acrimoniam vſtione acquiſitam deponunt, ac minùs mordacia redduntur, ſed ignea illa natura in aquam depoſita ipſam efficiunt tenuem & calefacientẽ: quod verò terrenum remanet, morſus expers vlceribus humidis fit epuloticum. Ob id æs vſtum acre & ſubaſtringens lauari vult, vt cicatricem inducat in carne molli: in dura enim eſt epuloticum citra lotionẽ. *Li.7.method.* *Lib.9.ſimp.*

Chalcanthum vſtum & lotum fit moderatius, lib.4.comp. ph.part. & chalcitis, pópholyx, os ſepiæ, & id genus alia ſunt abluenda, præſertim cùm vlceri, vel oculo, vel parti alij inſigniter ſentienti acrimonia mordax eſt noxia. Teſta oſtreorum, buccinorum, purpurarum, vſta & lota vlcera caua & fiſtuloſa, & ob fluxionem diuturna carne implet.

Ceruinum cornu vſtum lotumque dyſenteriis ſalubre. *Lib.11.ſimp.*

Semen vrticæ ſucco tragacanthi lauat Meſues, ne deuo-

Lib.6.ſimpl. rando fauces & œſophagum adurat, cùm tamen non vehementer calfacit Galeno, neque mordicet, ſed tantùm eſſentiæ tenuitate & detergendi facultate titillet, ac vētrem ſubducat. Quòd verò partes vrtica herba conťectæ pruriant, id punctura fit aculeorum minimorum, quibus tota hæc armatur, magis, & minùs, quos non ſentias, ſi infernè ſurſum prehendas: *Ibidem.* ſed contrà ſentias maximè. Eodem ſucco aloën lauat, ne hæmorrhoïdas excitet, vſu multo & crebro.

Lauantur eadem ratione plurima citra vſtionem acria: acaciam lauat Galenus, vt acrimonia per lotionem depoſita ſiccet ſine morſu. Oleum quoque, picem, reſinam, ceram, & alia permulta lauat (quod pòſt audies) vt morſus & acrimoniæ ſint expertia. Gummi Arabicum in aqua lotum ad arteriacen vult Andromachus, lib. 7. comp. ph. part. Aloë lota *Lib.7.meth.* minùs vacuat, magis ventrem roborat. Lacca lota minùs ſoluit, magis aperit obſtructiones ventriculi, hepatis, lienis.

Cyanus & lapis Armenius lotione vim vomitoriam deponunt, & purgandi moleſtiam, deiectoriam retinent.

Quartus denique ſcopus abluendi medicamentum eſt, vt à liquore facultatem aliquam nouam acquirat: vt ſi ſucco tithymalli aut decocto medicamentum aliquod lauas, eius vires in ſe transferat: ſic aloë lota decocto aromatum ſtomachicorum ventrem potentiùs roborat. Turbith decocto agarici lotum aut infuſum valentiùs eſt purgatorium pituitæ: decoctum ſcammonij, tithymallorum, & aliorũ id genus in ſe lotis vim *Lib.1.c.ph.g.* ſuam largitur. Aqua vel vino albiſsimo lauantur metallica ad emplaſtra alba. Aqua lauantur, ſi affluens in vlcus humor eſt acer & mordax. Vino auſtero, ſi humor affluit largior: aceto vel aqua marina, ſi vlcera ſint tumida, & cum oris craſsis & calloſis attenuationem multam requirentibus: ſicq; in reliquis eſt liquor mutandus pro affectus & partis natura, & aliis indicationibus curatoriis. Sic calida ſucco refrigerante, vt cucurbitæ, lota frigiditatem depoſita aut ſaltem diminuta caliditate induunt. Cõtrà verò frigida ſucco calfaciente lota, et in cæteris ad portionẽ: quomodò in decoctionibus diximus.

Lib 2.ſimp. cap.15. Lauandi autẽ modus is eſt Galeno, vt quæ calfacta liquantur, nec poſſunt aquæ miſceri (qualia ſunt oleum, cera, pix, reſina, & alia quędam) modicè calefiant, ac mox infundantur in vas magnum oris lati, ſemiplenũ aqua puriſsima omnis qualitatis

litatis experte (quando ſcilicet medicamento nullam vim nouam addere volumus, ſed id tantum purgare, aut facultatem eius merſam detegere, aut noxiam tollere) ſed quæ ex ſole vel igne tepeat. Tum id corpus lauandum in aqua ipſa teritur, tunditur, frãgitur, ſubigitur manibus, vt vnaquæque medicamenti abluendi particula aquam tangere poſsit, & in ea ſuam acrimoniam exuere. Denique aqua hac effuſa, in ſynceram aliam vaſi infuſam recalfacta ipſa medicamenta immitte: rurſus admodũ diu contunde: mox idem tertiò, quartò, ac ſæpe deinceps faciendum, donec omnem ſuam qualitatem in aquam deponat medicamentum, ſeu donec aqua nullam ex loto medicamento qualitatem amplius recipiat, quam rem guſtu, colore & odore cognoſces.

Oleum hac ablutione non modò mordacitatem & ſalſuginem exuit, ſed etiam fit candidius, aquea ac rufa eius ſubſtantia ſeparata ac deterſa: ipſum tamen lauando minus verberabis, quàm ceram, picem, reſinam, ne adeò aquæ miſceatur, vt ægrè poſteà ſeparari poſsit: ſed ita verbera, vt dum quieſcere paulisper ſiueris, innatãs detrahere poſsis: non ſalſum verò & omphacinum lotione non admodum indiget.

Quæ verò lapidoſa & dura ſunt, vt cadmia, æris ſquama, æs vſtum, ea tenuiſsimè contrita ex aqua fontana & puriſsima multum diuq; teruntur, ea aqua ſubinde effuſa, & pura in eius locum affuſa, quoad nihil ſordium medicamenti in aqua innatet, maneatq; aqua medicamenti qualitatum omnino expers. Quandiu enim aliquid eius aquæ ipſi innatabit, aut qualitatis eius quidpiam ſenſui apparebit, tam diu terendum & effundendum. Sic lithargyrum, diphryges, ceruſſam, miſy, ſori, ſtymmi, & omnes lapides, præterea calcem lauari vult Galenus lib. 1. comp. ph. g. non tamen ſemper aqua, ſed etiam vino, vel aceto, vel aqua marina, vel alio liquore, cui metallica & terrea ob innatã grauitatẽ facilè ſubſidẽt. Vult autẽ hæc toto die cum liquore illo medicamẽtoſo contrita per noctem in eo relinqui: poſtero die manè illum abiici, & alium mox ſuperfundi: poſteà rurſus ſimiliter teri, & ſequenti aurora liquorem iterum effundi: idq; fieri, donec morſus ſint expertia hæc metallica, & ſordes nullas in aqua relinquãt, ſintq; pura & perſpicua. Quòd ſi hæc æſtate ſub ſole feruenti laueris, medicamentum potentius ſiccabit, tenuius erit & albius. *Ibidem.*

Lauandi ſcopos quidam numero definiunt, vt pompholygem & hæmatitem vtenda in collyriis oculorum ſepties lauant ophthalmici medici. Armenium lapidem & cyaneum etiam quinquagies Alexander Trallianus & Meſues aqua bugloſsi lauant. Alia diutius vel parcius lauanda pro ipſorum facultate, ſubſtantia, & medici indicationibus.

DESTILLATIO.

DEſtillatio eſt humoris alicuius à planta, animali, terreo, vi caloris facta extractio. Deſtillatio veteribus intentata, næotericis vſitatiſsima propter hominũ huius ætatis mollitiem, aut nouorum morborum malignitatem, præcipuè inuenta naturæ imitatione, quæ in maiori mundo vi ſolis & aſtrorum & caloris in terra conditi vapores ex terra, præcipuè aqua & aquoſis in mediam vſque aëris regionem educit, cuius frigiditate denſati in nebulam coguntur, aut nubẽ, quæ ſoluta in pluuiam, niuem, grandinem deſtillat. Eadem in homine (vt animalia quædam alia catarrhis quoque obnoxia omittam) minore mundo, ex ſpiritu, humoribus, ſolidis partibus, cibo, potu, caloris aut natiui, aut etiam aduentitii vehementia vapores tollit in cerebrum, cuius frigiditate denſati in pituitam coëunt, ſubſtantia, quantitate, odore, colore, ſapore, tam variam, quàm vaporis elati & cerebri cogentis varia eſt natura: vt omittam, quòd ei ex mora in cerebro, & ſæpe ex putredine vitium accedit. Tollitur autem vapor hic maximè à partium ſubiectarũ, vt hepatis, cordis, ventriculi, ſanguinis totius, calore: ex humore non minimum tamen trahitur & à capite calidiore, aut natura, aut per tegmina multa, craſſa, denſa, aromatibus farta, perq; ſolis & lunæ radios præcipuè perpendiculares, aut his proximos. Collectus poſteà in cerebro hic humor, dum quantitate aut qualitate, aut vtraque ipſum moleſtat, à vi eius expultrice detruditur, nunc qua data porta in partes ſubiectas, nunc in nares, meatus purgando cerebro à natura inſtitutos, nunc verò calore interno, vt per febres: nunc externo, vt per æſtum liquatus fluit: nunc à frigore externo compreſſus. Cùm autem dixi, ex terra & ſolidis partibus tolli vaporem, ne terram intellige elementarem, ſiccisſimam, duriſsimam, & oſſa iam planè terrea, aut partes alias in nobis continentes ſicciſsimas, ſed terram nobis notiſſimam,

ſimam ex elementis 4. conflatam, & in qua humoris aliquid ineſt: partes item ſolidas nondũ exuccas. Quando vapor mediæ inter aquam & aërẽ naturæ non tollitur, niſi ex corporibus humiditate aliqua præditis, isq; ſolum vi caloris alicuius.

Hanc ſeparandi à re aliqua humoris rationẽ imitata mortalitas, humida corpori (ſic enim vocant latius vas, à quo vapor tollitur) impoſita vi caloris tenuat in vaporem, qui capitelli, vel alterius frigiditate coactus in aquam alueolo in marginem capitelli inſerto fere excipitur, mox per naſum (ſic enim etiam vulgò vocant capitelli partem, naſo noſtro figura & vſu finitimam) in ſubiectum vas (receptorium & matellam dicunt) aliquod deſtillat: ſed aliæ ſunt & vaſorum deſtillantium & humorum ſpecies, de quibus poſteà fuſius.

Planta ergo aut corpore alio ad deſtillandum compoſito, pars eius quæ tenuari eſt aptior (quæ ſcilicet natura tenuior, leuior, rarior, liquidior, ſuperficiaria magis) illa primum vi caloris tenuata tollitur, poſteà alia illi natura propinqua: poſtremò id quod ceu humidum rei ſubſtantificum terreas partes glutinans, pingue & oleaginum vi ignis validiore ſeparatur, integrumq; attollitur: quo omnino extracto, velut cinifactum corpus & diſſolutum cernitur. Quomodo calor in nobis valentior ſpirituoſam primum humidamq; ſubſtantiam, & recentẽ, tum carnem, tũ adipem diſsipat, deinde veterẽ, poſtremum inſitum ipſum humorẽ abſumit ignis modo in lignis vel candelis, cineritias ac terreas faciens reliquias.

A planta igitur omni & animali ac omnibus vtriuſque partibus aqueum aliquid crudum, ac velut pituitoſum excrementoſumq; primum extrahitur, mox coctius & tenuatum magis, poſtremò oleaginum, quod etiam ex oſsibus ipſis extrahitur, non modò ex aliis partibus ſolidis, niſi quòd quædam eſſentiæ tenuioris vires propè vniuerſas remittunt primas. Quin & chymiſtæ etiam ipſa elementa ex corporibus ſimplicibus ſeſe vi ignis ſeparare affirmant. *Arnoldus de villa noua.*

Porrò hæc omnis humorum extractio calore perficitur. Nam quæ per licium, penicillum (filtrum vocant) arenas, vas figulinum crudum, ciſsimbium, id eſt, vas hederaceum fit humoris tranſmiſsio, deſtillatio non fuerit, niſi abuſiuè loquentibus. Calore enim propriè dicta deſtillatio perficitur, & eo vel à ſole, vel ab igni, vel à putredine. Vidi & à

vino in lacu feruente, & à puteis cellisq; vinariis, ac aliis locis ſubterraneis per hyemem elatum vaporem in operculo, qualiter in olla vſuuenit, concreuiſſe in aquam, quomodò per hyemem animalium expiratio in proximis corporibus in pruinam cogitur. A ſole flores magna quorundam induſtria aquam reddunt, floribus ipſis odore & gratis qualitatibus aliis proximam.

Ab igni autem, id eſt, à flamma, quæ ex aëre, & aëreis corporibus producitur, vel à carbone ignito, qui fit ex terra vel terreis corporibus accenſis, deſtillatio fit vel nullius alterius interuentu, vel mediis aquis feruentibus, vel etiam ab his vapore, cineribus, arenis tenuibus, ſcoria læuigata.

Flamma prætereà ipſa vti & carbo non parum variat non ſolùm maioris & minoris ratione, ſed etiam lignorũ vel putrium, vel graueolentium, vel beneolentium, & integrorum vel viridium, vel ſiccorum. Adde quòd clibani magnitudo, & figura, & connexio magnã vim habet caloris mutandi. Præter hæc carbo ex ſuffocatis & ſemiuſtis lignis graueolentiam & qualitatẽ quandam alienam rebus deſtillandis, vt coquendis & aliter præparandis imprimit: quomodò qui accenditur in panibus corticeis, quos coriarii confingunt, & qui ex carbone terræ, & qui ex ceſpitibus, & qui ex ſiccatis ſtercoribus etiam bubulis. Sint igitur carbones omnino accenſi & ſemiuſti, vt ex eis malignitas antè expirauerit, quàm his res deſtillanda committatur, præſertim ſi in corpus eſt recipienda. nam admouendorum ratio minor habenda eſt. Prætereà aquæ feruentes, aut ab his vapor mitius agunt in rem deſtillandam, quàm vel ignis ipſe per ſe, vel etiam per media alia ſicca prædicta. Ob id vt Galenus in diplomate, id eſt, vaſe duplici (balneũ Mariæ vocãt cum chymiſtis pharmacopolæ) liquat, calfacit, coquit ea, quorũ vires ignis violentia diſsipari non vult: ſic quæ mitia integriora volumus, in aquis feruentibus impoſita deſtillamus, vel earum vapore. Quæ quamuis minus duratura putantur, ſunt tamẽ minus à ſua natura mutata. quam rem odor priſtinus declarat. Fornacem huius generis habeas, cui vas æneum grande ſuperponatur aqua plenum: ei verò vaſi æneo vaſcula in arcũ ſuperponantur quàm plurima poſſunt, in quorum fundo res deſtillanda inſit. Alii aliter fornacẽ velut in arcẽ ſcilicet extruunt, & eius lateribus

vaſa

vaſa inſerunt terrea,longa,fundo latiore res deſtillandas continente intro penetrãte,ore foris tanquàm lagena operculato, in qua vapor per apertilem eius ventrẽ elatus concreſcit,per os eiuſdem prælongũ deſtillat. Talis eſt Godefredo Cochuo Medicorum Pariſienſium viatori optimo ac diligentiſsimo pharmacopolæ. Quæ denique deſtillatio à putredine fit vel fimi equini tam ſolius quàm cum calce paulatim irrigata & ſæpe mutata, vel corticũ humectatorũ, vel aliorum putrentium, vt chymiſtis fuerit in multis vtilis: medico tamen non eſt recipienda,propter cauſam in lignis putribus & ex putredine vel alia de cauſa graueolentibus,ſi præſertim intra corpus eſt recipienda:nam admouendorũ minor habetur ratio.

Facienda igitur deſtillatio medicis vel ſole, vel igni per flammam lignorum integrorum, vel carbonum iam ardendo ſemiuſtorum, maximeq; in vaſe duplici, aut aquæ bonæ feruentis vapore,præcipuè quoties ſumenda deſtillantur.

Quoniam præter hæc variant multum vt cocta ſic deſtillata vaſorum ratione,magna in his cura eſt adhibẽda, vt terrea ſint vel vitrea potius quàm metallica: & quæ terrea ſunt, ex luto ſint puriore,& diligẽter cocto,qualia ſunt figulina nobis Bellouaca,& Britonia,& Hiſpanica. Vitrea autem ſunt præſtantiora,quia puriora & denſiora, ſed etiam chariora & fragilia magis,niſi paulatim incaleſcant & refrigerentur. In quo etiam diſcrimine ſunt terrea. Ob id vtraque luto ſapientiæ, quod vocãt,paulatim vndique circumlinunt,& ſiccant,quantum vaſis eius, ignis violentiã attingere debet, etiam ſi cineribus,arenis, ſcoriis primum excipienda ſit. Nam quæ aquis aut ipſarũ vaporibus inſident, vaſa munimẽto nullo indigẽt.

Metallica verò, plumbea, ferrea, ærea, ſtannea, argentea, aurea, cur damnem, in promptu Galeni ratio eſt, in ſingulis propè horum metallicorum generibus. Si enim aquam plumbeis tubis delatam affirmat dyſenteriam generare, quis metus ab aquis receptorio & capitello plumbeo deſtillatis?

Adde quòd ceruſſa non pauca in ſuperficie interna plumbei capitelli vt aceto deſtillando colligitur, ſic vi empyreumatis cum vapore plerunque etiam acri, nempe ex plantis acribus, aſcendentis, ea quæ aquas ipſas inficit, & magna parte lacteas reddit, donec ſubſederit. Ex cæteris metallis, quæ vel ferruginem vel æruginem gignunt vaſa, tantum

 habent

habent periculi, quantum ferrugo & ęrugo nocētior ceruſſa. Purgatiore argento & auro facta vt ſunt innocentiora, ſic paratu ob ſumptum magis difficilia.

Neque corporum quæ vocant, neque capitellorum (quæ alembica dicunt) vna omnibus ad omnes ſuccos deſtillandos eſt forma. Nam aqua trahitur quibuſdā ex vino impoſito in vas æneum magnum igni incubans. Cui collum craſſum tripedale ineſt, & collo huic inſidens capitellum etiam æneum in pyramidē faſtigiatum, ambiente id velut ſitula aquam frigidam continente, vt celerius vapor largus à capitello refrigerato denſetur, & ne ignem ſic referat aqua vini. Aliis loco colli & capitelli vaporem excipit fiſtula ex ferro albo vel alio metallo, prælonga in multos anfractus mœandrorū modo & ſerpentum contorta (vnde ei vulgò ſerpentinæ nomē eſt) in aquam magna ſui parte merſa.

Aliis alia quoq; eſt forma. Sic quæ corporibus ſeu corpulentis vaſis nō erectis, ſed velut cubātibus imponūtur capitella limbo carent, ſuntq; lagenis terreis vulgaribus proxima.

Interdū capitelli forma eſt, vt dixi, in acutum pyramidis modo mucronata, interdum parte ſumma capitis modo lateſcit, vt plus vaporis capiat, & largiorē aquam cogat, ſed tunc ferè in vas corpulentum ex vertice relabitur.

Alii vtriculos vitreos aut terreos mutuò applicant (quos muſas cornutas vocant) quorum alter lutatus igni inſidet, materiam deſtillandam continens: alter ab igni procul abeſt, humorem recipiens, in ambobus collis concretum.

Eſt quando per deſcenſum fiunt aquæ & olea quædam, quomodo ex reſinoſis arboribus vrendis pix.

Sunt verò formæ vaſorum aliæ propemodum infinitæ, præſertim chymiſtis vſurpatiſsimæ, de quibus plura dicere ſuperſedeo, præſertim quòd intellexerim Ioannem Baptiſtā Montanum Veronenſem medicum doctiſsimum in id opus magna cura præcipuoq; ſtudio incumbere, vt habeat Medicus, quæ remedia ex metallicis corporibus, & aliis arte fuſoria & ſublimatoria vires habent pręſtantiſsimas & efficaciſſimas, ad morborum pertinaciſsimorum curationem.

Vidi & capitella duo, vt per inferius pertuſum materiæ portio in ſuperius ferretur, quod cum inferiore clauiculatim iungebatur, ne inferius lutatum eſſet auferendū, cùm recens

materia

materia vaſi corpulento erat infundenda. Hæc autem deſtil-
lata vires ſimplicium à quibus ſeparantur, retinent: niſi quòd
tenuiora & valentiora fiunt, quò frequẽtius deſtillantur: quod
in aqua vini ferè experimur, raró in aliis.

Huius liquoris vires quidam alterant vel illito capitello ali
qua materia, vt melle, ladano, aliis: vel ea naſo impoſita, quod
ferè fit ad odoris gratiam: moſchum enim caryophyllos, ca-
phuram, id genus alia nodulo ligata ſummo naſo impingunt,
vt per has materias tranſmiſſus liquor odoris ſuauitatem
contrahat.

Vt verò empyreuma quod his ineſt paulatim expiret, ſa-
tius fuerit phialas, quibus hi liquores ſeruantur, apertas ali-
quandiu tenere: obſeruando tamen, ne interim odoris gratia,
& cum ea virium multum exhalet.

Hactenus quæ per ignem fit medicamentorum præpara-
tio diximus, & quæ per lotionem obiter expreſsimus, quòd
vſta ferè lauantur, & quæ alia præter hæc lotionem requi-
runt, magna parte ignem aut ſolem quoque poſtulant. Nunc
dicendum qualis eſſe ignis debeat, & ex qua materia.

Carbones iam peruſtos vult Galenus in vrendo lapide
Phrygio, lib. 4. comp. ph. p. ne quid fumidum habeant. Vtq;
emplaſtrum ex lithargyro ſit albus, eligit idem oleum pu-
rius, lucidius, & aquam puram & candidam. Eadem lignis *Lib. 1. c. ph. g.*
peruri cœptis vel peruſtis antè carbonibus exactè incenſis
coquit in aëre ſyncero, ſub dio, in ſole, quia oleum craſſum,
aqua turbida, aër nubilus, vmbra, fumus, medicamento nigre
dinem facilè conciliant. Quæ cura in his admouendis, & ho-
rum tantùm colore naturam rei parum mutãte, tanta Galeno
adhibita nos magnoperè admonet noſtri officii, vt ignis &
aëris in coquendo etiã admouenda, multò magis ſumenda, ra
tionem magnam habeamus. Hac ratione theriacen ſarmen- *Libr. theriaces*
tis vitis perçoquit, quæ etiam boni ſunt odoris. Sic antido- *ad Piſonẽ, &*
tos ſtomaticas, arteriacas, ſtomachicas, & alia omnia coquit *lib. I. antidot.*
in lib. comp. ph. ſuper carbones accẽſos, vel igni ex lignis fic- *Lib. 7. c. ph. p.*
cis, & ob id ſine fumo: quia fumi acrimonia præterquàm
quòd nullius in his eſt vſus, etiam incommodat ſuo morſu.

Tali quoque igni mel deſpumat, & cum tenuiſsimo pul-
uere trium piperum aniſi, thymi, zingiberis ad finem adden-
do perçoquit, lib. 4. ſanit. tuendæ. Eſt enim deſpumatio hæc

Libr. 4. ſanit. tuendæ. *Lib. 7. comp. phar. p.*

non mellis ſolùm, ſed etiam aliorum quæ coquuntur, præparationis ſpecies per ignem facta. Mel enim curioſius deſpumatum miſcetur compoſitioni dia trion pipereon, & dioſpolitico theriacæ, Mithridatio, & aliis. quia verò mellis acrimonia eſt pauca & vtilis in arteriacis, retinetur.

Nec ſatis eſt ignem ex carbonibus accenſis omnino aut ex lignis ob ſiccitatem *ἀκάπνοις*, id eſt, fumi expertibus fieri ad rectam medicamẽtorum compoſitionem, ne odor ſcilicet teter ex cõtrariis in medicamentũ tranſeat, ſed in multis quoque & *ἐμπύρευμα*, id eſt, ignea vel qualitas vel ſubſtantia vitatur, maximè in his, quibus vis eſt refrigeratoria. Vitatur quoque virium in tenui ſubſtantia poſitarum facilis per ignẽ diſſolutio. Ob id medicamenta, in quæ cautiones hæ cadunt, in diplomate ſeu vaſe duplici (de quo poſteà quoque in inſtrumentis pauca dicenda) coquimus: quod balneum Mariæ vulgò cum chymiſtis vocamus.

Ibidem. Omnes arteriacæ, quæ vim mitigãdi, leniendi, digerendi habẽt, optimè in diplomate, id eſt, vaſe duplici coquũtur carbonibus aut lignis peruſtis, vt in magno lebete aquam calidã infuſam habente, vas alterũ continens medicamentũ coquendum collocetur: vt ſi arteriacam coquis ex melle & terebinthina coqui in vaſe duplici ad ſpiſsitudinem qua iam coaleſcat: deinde galbani obolos tres adde & coque donec manus non inquinet, deinde refrigerato læuia cætera miſce. *Ibidem.*

Sic coquendum oleum anethinum Galenus vult, lib. 4. ſanit. tuendæ: & chamæmelinum, & acopum abietinum, & *δι᾽ αἰγείρου*. Et ſemina, ac flores cùm dies 40. vel duos, tres menſes oleo maceramus, & ei ceram & reſinã liquando miſcere opus eſt, in diplomate miſcemus.

Libr. 5. c. ph. p. Oleum lentiſcinum recens in vaſe duplici eſt tepefaciendum ad ſedandum dolorem phlegmonarum in gingiuis, tunica linguæ, cute totius.

Aromatibus quoque ad ſaporis vel odoris gratiam, & ſæpe vires maiores condiunt medicamẽta, iisq; nunc ſimplicibus, vt amomo, caſia, cinnamomo, ambra, moſcho: nunc compoſitis, vt alipta moſchata, gallia moſchata, pulueribus aromaticis, electariorum, quorum exempla non pauca in componendi ratione per ea quæ melius compoſitum reddunt, audiuiſti: multa quoque libro ſequenti auditurus.

Terere

TErere ſeu tundere eſt cōminuere crebro percuſſu, nō ſolum humida, mollia, & virentia, ſed etiā ſicca, ſic vt hæc in puluerem abeant, vnde Plinio trita in farinam & tuſa cribrataq; dicuntur: quanquàm hoc poſterius etiam de humidis intelligi poteſt, quæ trita per cribrum vi cochlearis aut rudiculæ aut manus cernuntur: ſicca verò trita cribri ſuccuſsione deſcendunt. Vtrunq; humidum & ſiccum ſcilicet λεαίνειν Græci dicunt, id eſt, læuigare ſeu læue & politum reddere, & in puluerem tenuem comminuere, & cum vino vel alio liquore multum ſubigere: vulgus batuere, pilare, piſtare, vt herbas, fructus, ſemina, radices, ligna, & cætera tam mollia quàm dura. Succi tamē lenti gummium modo, vt galbanum, hammoniacum, ſub piſtillo dilatantur magis quàm læuigentur. κόπτειν etiam, id eſt, ſcindere in pila, & tundere herbas, radices, & ſemina libr. 1. antidot. in theriaces præparatione. Lib.6.c.ph.p.

τρίβειν quoque, id eſt, terere non tantùm in puluerē comminuere, ſed etiam de vuis paſsis, de bdellio, & vino, & myrrha, & aliis ſimul tuſis & per ſe dicitur in lib. c. ph. p. & g.

Vtq; illa patent latius, ſic quæ ad purgationē horum pertinent: nam lib. 9. cōp. ph. p. σακκίσας τὸ ὑγρὸν, id eſt, vbi ſacco tranſmiſeris liquorem, quod hodie de farinis & ſiccis ferè vſurpatur, vti ſaccus pro cribro & incerniculo magis ſiccorū quàm humidorum. τὸ ὑγρὸν ὀθονίῳ διηθήσαμεν. id eſt humidum ſcilicet oleum linteo percolauimus, libr. 4. ſanit. tuend. in acopo ex ſemine abietis, quod etiam hodie ad ſicca præcipuè terrea & metallica tranſtulimus, idq; cicotrinizare ſpeciatim dicimus, verbo opinor corrupto ex κοσκινίζειν. id eſt, cribrare & incernere, vnde & κόσκινον ἰατρικόν, id eſt, cribrū medicum dicitur lib. 6. comp. ph. part.

Ducere piſtillo ſcilicet per mortarium aut ſuper marmor leui cōpreſſu thus, maſtichen, & ſimilia, quæ tundendo lateſcunt: ſic rha barbarum per ſe, ſic lithargyrum cum oleo vel oxelæo vel hydrelæo nutritum, & alia permulta non humida modò, ſed etiam ſicca, quæ trituram illam verberatu multo faciendam non tolerant. Quinetiam metalla vel aliud quidpiā elaboramus, & pluribus diebus, præſertim in ſole cū aceto vel alio ſimili diu conterimus, vt lib. 1. comp. ph. p.

Teruntur medicamenta præcipuè ſicca, interdum & humida, multis rationibus. Nunc vt promptius quod potentia Lib.1.ſimpl. cap.11.

ſunt, id actu fiant, vt medicamenta poteſtate calida quo tenuius ſunt trita, eo citius & facilius à noſtro calore actu calida euadunt, & nos vehementer calfaciunt, cùm integra ipſa aut nullam aut minimam calfaciendi energiam aſſequi poſſint: quomodo ligna craſsiora ægrius incenduntur, quàm eadem minutim conciſa. Piper enim ſi integrum aut ore contines aut deuoras, parum id calfacere deprehendas etiam poſt tempus longũ, cùm eius puluis tenuiſsimus mox vbi linguæ impoſitus eſt, eam vehementer incendat. Eodem modo calida omnia poteſtate: ſic folia plantarum calidarum tuſa calent nobis & magis & citius quàm ſi integra vel ſumãtur vel admoueantur. Qua ratione ſuccos plantarum, & liquores, & gũmi, & reſinas, & ſi qua ſunt alia ex his liquidiora, tenuiora, calidiora reliquiis harum plantarum, ex quibus ſeparãtur, docet paſsim Galenus. Idem indicium tibi eſto de frigidis potentia, quæ vti calida, à calore noſtro accipiunt, vt actu frigida euadant. Sic vſta vt magis ſiccent, accuratè pollinis modo ſunt læuiganda, & cribro tenuiſsimo cernenda.

Nunc ad miſtionis neceſsitatem. Quæ enim trita ſunt tenuiſsimè, & cribro tenuiſsimo creta, ſimul compoſitioni miſcentur, cùm partibus ſuis minimis ſe mutuò cõtingãt, promptius & valentius ſe inuicẽ afficiunt, ac tandẽ cõpoſiti virtutem vnã rectius cõflant. Quæ terendi ratio in cõpoſitis propè omnibus locum habet. Nunc medicamẽta teruntur magis vel minus, vt facultatem acquirant à priore diuerſam. Quæ
Lib. 4. ſanit. tuendæ. enim tenuiſsimè ſunt tuſa, & cribro tenui creta, maximè in totum corporis habitũ digeruntur: ediuerſo craſsiora in ventre hærent, quia anguſta venarum ora ſubire nequeunt: ob id dioſpoliticon craſsius facio, cùm aluum per id ducere ſtudeo: tenuiſsimũ verò & minutiſsimum pollinis modo, cùm vrinas mouere. Cuius præcepti in omniũ medicamentorum cõpoſitione meminiſſe oportet. Hæc Galenus. Eodem fine rha barbarũ, aſarum, cyminũ, & alia permulta negligẽter trita aluũ ſubducunt: tenuius vero cõminuta in corpus promptè ſubeunt, & venas perreptant celeriter, vrinasq; mouẽt. Eadẽ ratione facilius eſt impleri potu quàm cibo: aqua itẽ & oleũ terebinthinæ vel aliorum hepar, lienem, renes purgantium celerius munere ſuo funguntur, quàm ipſa rerum corpora. Sic ſcammonium tenuiſsimè terunt, ſi medicamentis corpus

peruad

peruadentibus miſcent: craſsius autem, ſi catapotiis aut aliis, quæ diu in ventriculo manere volunt. Aerugo item chalcitis, miſy, ſori, chalcanthum, æris ſquama, & alia ſimiliter valentia diu ex aceto trita morſum & roſionem obtundunt, vires augẽt: quia cùm partium ſint natura craſsiorum, vim ſuã in altum vſque corporis curandi non demittunt: ob id vt tenuiora fiant, diu ex aceto terenda ſunt & diſſoluenda, vt ſic curioſè attenuata ad penitiora vſque penetrent, & corporis meatus pertranſeant, nuſquàm inter eundum retenta; & ſi calidioris ſint naturæ, ſine morſu munere ſuo fungentur. Lib.2.c.ph.g.

Quomodo humores corporis tenues facilè citra roſionem perſpirant, craſsiores retenti & obſtruentes grauãdo aut rodendo: ſi acres ſint, moleſtant. Ex multa autem tritura in ſole cum aceto quippiam vſtioni ab igne ſimile rebus ipſis accedit, tamen calorem igneum non aſſequuntur. Vſta tamen & ſic trita ex aceto ac læuigata multò præſtantiora fiunt. Sic aromata (quæ εἴδη, id eſt, ſpecies Paulus & Actuarius ſæpe appellant) negligenter tundũtur, cùm vires eorum diu integræ ſunt ſeruandæ: tenuiſsimè verò, cùm his viribus in præſens eſt opus. Præſtantius quoque eſt dentifricium, quanto exactiùs ſimplicia ſunt trita, Gal. lib. 5. comp. ph. p.

Terendorum verò non vna eſt natura. Quæ enim ſubſtantia ſunt tenuia, ſi ſunt ſicca, promptè in partes minimas diſteruntur, vti humida mox per ſe ſparguntur, & altè corpus imbuunt: craſſa verò contrà. ob id illa minùs diu, hæc longiori tempore in eũdem ſcopum terenda ſunt. Quapropter metallica & terrea cætera quòd craſſa ſint, etiam poſt vſtionem maximè diu ſunt terẽda, pręcipuè quæ oculis ſunt imponenda collyrio vel ſicco vel liquido. Qualiter ſi tenuia & rara, & imbecilla ac ſuperficiaria facultate prædita, parum diu ſunt coquenda: contraria diutiùs.

Rara quoque mediocriter & friabilia parum diu terenda ſunt, vt rha barbarũ, ſcammonium Antiochenum (quod laudatiſsimum Meſues exiſtimat.) Accuratiùs dẽſa & lenta mediocriter, vt aloë.

Rara mediocriter addidi, quòd quæ ſunt immodicè rara, vt agaricus, colocynthis, per ſe in puluerem tenuem comminui nequeunt, ſed vel cum aliis ſunt puluerizanda, aut priùs in trochiſcos fingenda, ſiccandaque. Tunc enim nullo nego-

tio te

tio tenuiſsimè teruntur : quæ res facit,ne ventriculi & inteſtinorum tunicæ præ mole hæreant, humoreque ſuperfluo imbuta moleſtiam his partibus afferant magnam ex oppreſſione, & diuturnam ex pertinaci adhæſu.

Lenta quoq; mediocriter dixi, quòd quædam ex his etiam ob ſiccitatem mediocriter iam dura, nondum tamen per ſe pulueriꝫari poſſunt,ſed ſub piſtillo lateſcunt. Quapropter aut vetuſtiora ſunt eligenda , aut ſole vel igni ſiccanda , aut cum aliis ſiccioribus & friabilibus & tenuioribus terenda,vel aliquo liquore idoneo ſunt diſſoluẽda. Sic tragacantha, gummi Arabicum,thus,myrrha,maſtiche, ſarcocolla,ſtyrax,bdellium,euphorbium, ladanũ,ſuccus glycyrrhizæ, & alia gummi,reſinę,liquores,ſucci, dum vetuſtate aut aliter ſunt ſiccata in puluerem terendo,aut piſtillo diu multumq́ue per mortarium ducendo comminui poſſunt,vel per ſe, vel cum ſiccioribus : cùm verò ſunt recentia , meliùs aliquo liquore diſſoluuntur. Eodèm pertinent ſemina quædam , vt cnici, lini, canabis, cydoniorum,citri, bombacis, melonum, cucurbitæ, cucumeris,citreoli,amygdalas vtraſquę,& fructus quoſdam, vt dactylos, baccas halicacabi ob lentorem & pinguedinem, quia etiam ducendo lateſcunt,nõ terenda eſſe,ſed vel ſcalpro, vel cultelli acie identidem verberata minutim inciduntur, vt in compoſitiones veniant tota ſua ſubſtantia.

Adde quòd vt coctione longa non modò vires imbecillæ reſoluuntur,ſed etiam empyreuma coctis rebus imprimitur: ſic longo attritu corporum durorum piſtilli, mortarij, & terendorum etiam cum humore (vt ſcriptum priùs Galeni teſtimonium probat) calorem in terendis præſertim diu medicamentis vel gignit,vel auget,qui medicamentorum facultatem mutat:& ſi imbecilla eſt, diſsipat,difflatiõe adiutus per agitationem illam excitata.Quam caloris ex attritu durorum generationem planè indicat farina, quæ ex breuiſsimo contactu molarum calida tamen in ſubiectam arcam decidit. Ob id thymum & hyſſopum vt coctionem , ſic trituram mediocrem ſuſtinere ſcribit,& in aliis ſimiliter.

PVRGATIO.

PVrgantur, ſeu vt vulgò loquuntur, mundantur medicamenta quædam intus,quædam foris,quædam intus & foris,quędam nuſquàm. Intus,à ſeminibus,vuæ paſſæ,ſi Medicus

ius imperarit: myrobalani omnes (exceptis Indis enucleatis, & magna ex parte emblicis) vua rhois, niſi in decoctum veniat, quando nec pruna paſſa, nec myxa, nec zizipha purgantur à nucleis: niſi quòd expreſſa pruna nucleos in colo relinquunt: myxa, zizipha non exprimuntur. Foris, quæ excorticantur, vt ſemen cucurbitæ, cucumeris, citruli, melonum, cnici, ricini, dente, vngue, cultello, forpice purgantur. Semen quoque citri, limonum, aranciorum, pæoniæ vtriuſque, ſtaphidos agriæ, & nucleus ſtrobili, id eſt, pineoli, piſtaciorum, bombacis, ceraſi, perſici, anacardorum, nucis Indicæ, cultello, vnguibus, malleo.

Semen tamen cucumeris arefactum & cõtuſum & cribratum vſurpat lib. 8. ſimp. Gal.

Bacca lauri in emplaſtro de meliloto. Ficus in diacnico Gal. lib. 5. ſanit. tuendæ. Amygdala vtraque ſi in confecturas recipiuntur, aqua calida parũ maceratæ, facilè digitis depellãtur, vt ſtrobili & piſtacia, & alia ſimilia, ſine aqua in marcipanes & cõdituram recipienda. Si verò in oleo exprimuntur, integra priùs tunduntur: ſi in decocta veniunt, integra iniicis: ſi verò foris admouenda ſunt, cum cute teruntur: omnia prædicta foris non purgantur. Hordeum, triticum aqua calida parum diu maceratum pîſtillo ligneo in mortario æreo promptè deglubitur, zea & oriza, molis: zea iterum vt hordeum purgatur. Radices quędã ſolùm recentes abluuntur, & circuncifis radiculis ſeruantur vel vſurpantur, vt cichorij, ruſci, aſparagi, bugloſsi vtriuſque.

Aliæ vtendi tempore cultello raduntur, vt radix glycyrrhizæ, gentianæ, rubiæ, pæoniæ, tormentillæ, & doronici, tunici, vt vocant.

Quarundam ſuperficies tota circunciditur, & ſi quid intus inutile apparet, exciditur, vt rha barbari, agarici, ireos

Intus & foris ſimul, mala cydonia in diacydonio. Dactyli etiam edendi, colocynthidis fructus cortice & ſemine purgantur, vt ſola maneat medulla ſeu caro.

Radices quæ intus habent ſubſtantiam lignoſam, vt rhaphani, apij, petroſelini, fœniculi, ſaxifragiæ, oxalidis, peucedani, ellebori vtriuſque, pſeudodictamni vulgaris, pityuſæ, id eſt, turbith, eſulæ, ſcillæ, capparis, tamaricis. Scilla etiam nucleis & agnatis purganda. Tamen cyperus, enula, coſtus, acorus verus, integra teruntur aut coquuntur.

Lib. 9. c. ph. p. in lienoſis.

Ellebori radicũ fibræ aqua paulùm macerantur, pòſt cortices

tices extracti in vmbra ſiccantur in vſus: vt & zingiber, calamus aromaticus, caſia, cinnamomum, galanga vulgaris.

Et baccæ myrti, iuniperi, interdum etiam baccæ oxyacanthæ, aſparagi. Piper omne, carpobalſamum, cubebæ, cardamomum, amomum. Semina fœniculi, apij, cari, ameos, dauci, cumini, ſeſeleos, cardui benedicti, lini, fœnigræci, aniſi, anethi, papaueris, portulacæ, lactucæ, cichorij, pſyllij, milij vtriuſque, & cætera ſemina parua nec intus nec foris mundantur à pharmacopola, ſed vel trita vel integra vſurpantur. Ex magnis item cicer, faba, lupinus, eruum, vicia, ſemen agni (manibus confricandum, vt depoſita canicie nigreſcat) hippo ſelini, cydoniorum.

Gummi quædam & ſucci ſolidi, & liquores, & reſinæ, terra, foliis, ſcobe, ligno, cortice ſuæ parentis adulterati purgantur liquore idoneo fuſi vel diſſoluti, poſteà colati.

Quorundam ſeminum ſola medulla in compoſitiones recipitur, vt cnici lib. 5. ſanit. tuendæ: melonum, cucumeris, cucurbitæ, citruli, & aliorum magnorum. Tamen ſolus cortex rhois eſt vſui, vt multarum radicum, apij, eleoſelini, fœniculi, rhaphani corde lignoſo execto. Semina illa ſole ſiccata tere leuiter in mortario, frica manibus, cerne cribro medullam ſolam tranſmittente, ſi non ſuccedit, forpicibus, vnguibus, dẽtibus, cultello excortica. Semen tamẽ lathyreos, daphnoidis, & alia id genus non pauca vno die inſolata, aut ignita patella parũ aſſata rupto cortice promptè exilit. Amygdalæ, ſtrobili, piſtacia, nuces, aqua frigida per noctem, vel calida parum diu macerantur, aut ignita patella toſta excorticantur.

INSTRVMENTA PHARMACOPOLARVM PRAECIPVA.

Ολμος & θυεία Gal. in præparatione theriaces, lib. 1. antidotorũ ſæpe: θυΐδιον Damocrati in compoſitione Cyphios, lib. 2. antid. Gal. eſt mortarium ſeu pila. Ea autem eſt lignea, terrea, lapidea, marmorea, eburnea, vitrea, aurea, argentea, ferrea, plumbea, ſtannea, ærea, multiplex, & ex quauis materia: magna eſt pila, vel parua, vel mediocris. Ex eadem materia eſſe poſſunt ὕπεροι, id eſt, piſtilli, & in vſus eoſdem ὄχλοι, id eſt, vectes, vt in pręparatione theriaces Galenus, & magni-

tudine

tudine proportioni pilarum reſpondent. Et ſuæ materiæ ferè applicantur lignei pilæ ligneæ, ferrei ferreę, plūbei plumbeæ: tamen lignei etiam pilæ lapideæ, eburneæ, æreæ in quibuſdam terendis, aut frangēdis, aut deglubendis applicantur. Ferrei autem propè ſoli mortario æreo hodie ſeruiunt ob vtriuſque duritiem. Ob quam pilas Aegyptias commendat Galenus in præparanda theriaca: quoniam, inquit, cùm duriſſimæ ſint, nihil inter contundendum ex earum ſubſtantia in ipſa. quæ læuigantur, exteritur. Quapropter etiā hodie margaritas & alia ſic dura ſuper lapidem prophyrium terunt, nō in mortario æreo aut ferreo, vt à quibus multum ſubſtantiæ in margaritas trahatur & deradatur. Lapidei, marmorei, vitrei fragiles maximè fuerint, vt & eius generis mortaria, quorum craſsities fragilitatem penſet.

ὀδοῖδυξ, id eſt, cochlear paruum, magnum, ad commiſcendum, ſubigendum in mortario, vt in theriaces compoſitione, & ad eximēdum trita, vt mox ex Critone diſces. Crito pilam in qua teruntur medicamēta, pelle tegit duplici in medio forata, quātum piſtillo terenti, & hoc ablato, manui & cochleari ſatis pateat ad eximenda quæ trita ſunt, vt incernantur. Altera illi ex superna parte iniecta, quę foramen habeat minus, quantum ſcilicet ſoli piſtillo ſatisfaciat. Hæc autem tollitur, vbi tenuiſsima medicamenti portio in puluiſculum ſoluta ſubſiſtit. Item quod cretū eſt tegatur, donec motus eius conſtiterit, tūc cribrum aperi. Quam conſuetudinem hodie vellē in vſu noſtris eſſe, præſertim cùm pretioſiora terunt. *In fine lib. 1. antidot.*

Sint autem tam pilæ quàm piſtilli & vectes puri exactè, & nihil æruginis habentes, cùm ferrei ſunt, vel ærei, vel argentei. In pilis per piſtillos quaſſantur, teruntur, molliuntur, ſubiguntur, miſcentur, ducuntur materiæ medicæ ad varias compoſitiones. Quædam molis etiam exiguis ſinapi & ſegetum modo teruntur quibuſdam locis.

Diabeſaſa ſtanneo vaſe reponi vult Heras, lib. 8. comp. ph. part. Theriacam verò non ligneo, ſed pretioſo aliquo vaſe vult ſeruari lib. antidot.

Medicamentum ſtomachicum vaſe corneo reponitur, lib. 8. comp. ph. part. Terebinthina vaſe ex ferro albo aut veſica ſicca meliùs ſeruatur, quàm ligneo, lapideo, vitreo, terreo duro etiam ſeruatur.

κόσκινον

De his paulò antè.

κόσκινος & κοσκίνιον ἰατρικὸν, id eſt, cribrum medicum, Gal. lib.6. cōp.ph.part. σάκκος etiam & σάκκιον, id eſt, ſaccus Medicis, & hodie vulgo Gallorum dicitur, vti & Hebræis: vnde κοσκινίζειν, id eſt, cribrare, & σακκίζειν lib.9. comp.ph. part. Cribrum eſt ſetaceum, ſtamineum, vt nobis dicitur, ex pilis caprarum, lineum, ſericum, ex ea ſcilicet panni ſerici ſpecie, quam tafetum vocamus: & ex his quædam rara, alia denſa, alia amborum media. Item quædam parua, alia magna, alia mediocria.

Τὸ ὑγρὸν ὀθονίῳ διηθήσωμεν. li. 4. ſanit.tuend. id eſt, humidū linteo percolamus.

Vaſa oris latioris & anguſtioris permulta ſunt neceſſaria ad continendum, macerandum, infundendum, coquendum, aſſandum, vrendum, reponendum, cacabi, lebetes, pelues, patellæ, frixoria, hydriæ, pocula, & hęc lignea, lapidea, marmorea, ex alabaſtro, achate, terrea ſolùm vel etiam plumbata ſeu vitrata, ſtannea, ferrea alba, ærea rubra, ærea flaua, ærea ſtannata, argentea, aurea. Vaſa tamen è ſtanno & argento parum purgato vitanda, quia illud plumbi miſtura adulteratum eſt, hoc citò ducit æruginem, Gal. lib. antid.

Et in his quædam vtrinque anſata, alia ſine anſis, alia vnicam anſam nacta, alia item caudata à manubrio his vocantur, alia ſine cauda, alia deniq; magna, alia parua, alia mediocria.

Inter terrea vaſa ſunt optima Valentina ex Hiſpania, pocula intus candore, nitore, læuore alabaſtritis proxima, foris pictura nitenti mirè variegata, conſeruis, ſyrupis deſtinata.

Præter hæc ἀγγεῖον δίπλουν lib. 1. antid. quod ibidem paulò pòſt vocat τὸ ἐνεστηκὸς ἀγγεῖον τῷ ὕδατι: in methodo autem vocat διπλώματα, nos ad verbum vas duplex, vulgus balneum Mariæ cuiuſdam chymiſtidis, magni vſus ne frigida calore perdantur, aut pretioſa vrantur, vireſque eorum vaneſcant, quia calorem per vas aqua calida plenum & igni ſuperpoſitum recipit. Lebetes prædicti præcipuè ærei ſtannati ad medicamenta coquenda fornaci exemptili incenſos carbones habenti imponuntur, rudiculis (quæ σπάθαι Galeno dicuntur lib. 1. cōp.ph.g. vulgò ſpatulæ) nunc ligneis, frequentiùs ferreis magnitudine variis mouentur ac miſcentur. Sic lebetem ſtanno inductum coquendo oleo Sicyonio adhibet Dioſc.

Pyxides medicamētis ſiccis ſeruandis ſimplicibus & com-

poſitis

poſitis ferè ſunt addictæ,& hæ ſunt vitreæ,terreæ,plurimum ligneæ ex trunco ſolido tornatæ & cauatæ, vel aſsiculis coagmentatæ, ſed illæ ſemper rotundæ: hæ verò nunc rotundæ, nunc quadrangulæ, nunc etiam quadratæ, nunc ouales, nunc ex rectis lateribus in extremo rotūdantur: at verò ambæ tam tornatæ ſcilicet quàm ſutiles magnitudine plurimū variant. Pyxide lignea pulueres quoſdam reponit Gal.lib.6. cōp.ph.p. Sub abaco ſupputatorio multæ cōduntur arculæ exemptiles,ſeminum multorum & aliorū velut loculamenta.

Sunt & ſtateres magnitudine varia plurimi, & menſuræ, & pondera, capacitate & grauitate multū variantia, ac etiam forma inter ſe differentia,de quibus poſteà.

In marmor ſeu lapidem duriſsimum alium,penidia & ſaccharum roſatum effuſa paulatim concreſcunt. In porphyrio lapide ſeu ſquama maris,vt vocant, ſeu vitro, margaritas & lapides pretioſos ducendo paulatim comminuunt. λοπὰς ἐρυθρου χαλκοῦ, id eſt, patella æris rubri, in qua Aeſchrion cancros vrebat ad morſus canum rabidorum. Cuminum frigit in vaſe fictili, quod quàm optimè ſit coctum in camino. Quæ enim exactè penitusq; cocta non ſunt,hæc lutoſa potius quàm figulina ſunt, & qualitatum ſuarum nonnihil medicamento imprimunt. *Lib.11.ſimpl.* *Lib.4.ſanit. tuendæ.*

DE PONDERIBVS ET MENSVRIS, *quæ Galeno præcipue, & ætatis noſtræ Medicis in vſu ſunt frequentiore.*

MEdicamēta ferè ſunt ſicca,aut liquida: illa magis pondere, hæc potius menſuris metimur. Tam pondera verò quàm menſuræ, quamuis propè ſunt infinitæ,etiam hodie pro diuerſitate regionum & conſuetudine vtentium,tamen in ordinem ac numerum referre conabimur. Primum autem pondera quanta poterimus maxima breuitate & perſpicuitate explicabimus, quòd horū frequentior eſt vſus in medicamentis conficiendis: ad menſuras poſteà tranſibimus. Quoniam autem medici ferè Attica obſeruatione vtuntur, vt lib.21.cap.vltimo ait Plinius, non alienum à re propoſita fuerit,pōdera primum Attica enarrare, & à minimis ad maxima per media ceu per gradus quoſdam procedere.

Λεπ]ὸν, id eſt minutia omnium minimum & indiuiſibile.

Χαλκοῦς, id eſt æreolus vel æreolum, pẽdit ſeptẽ minutias.

ὀβολὸς, æreola ſex. ἡμιώβολον. i. ſemiobolus, æreola tria.

Γράμμα, id eſt, ſcriptulum, obolos duos.

Δραχμὴ, ſcriptula tria, ſeu obolos ſex.

Μνᾶ, Latinis Mina, drachmas centum, ſeu vncias duodecim cum dimidia. Hæc autem eſt mina maior ſeu Solonis, quem Plutarchus pondera & menſuras auxiſſe ſcribit, cùm mina vetus & minor nunc abolita, eſſet tantum drachmarũ quinque & ſeptuaginta.

ἡμιμναῖα, id eſt ſemimina, drachmas quinquaginta.

Τάλαντον, talentum, paruum quidem, minas ſexaginta: magnum verò, minas octoginta, ſeu libras octoginta tres & vncias quatuor. Nam mina Attica drachmis quatuor eſt grauior quàm libra Romana, licet Plinius μνᾶν Græcorum medicorum ferè libram verterit: quæ quatuor drachmæ octuagies collectæ libras tres & vncias quatuor complent. Hocq́; modo eſt proportio ſeſquitertia, vt inter minam magnã & paruam, ſic inter talentum magnum & paruum, vtrunque vſitatum Græcis. Romani verò talentum non habuerunt. Cùm autem Comici & Virgilius talenti vtriuſque meminerunt, Græcos, à quibus ſua ſumpſerunt, imitantur, vt etiam Liuius ex Polybio locum vertens, & Feſtus & Gellius: talentum autem Atticum minus hi intellexerunt.

ἡμιτάλαντον, id eſt dimidium talentum.

Διτάλαντον, id eſt, duo talenta. Τριτάλαντον, id eſt, tria talenta. Cùm item Latini dicunt, talentum eſſe ſex milium denariorum, per denarios drachmas Atticas (quarum ſex milia Athenienſibus talentum complent) intelligunt.

Hæc verò pondera Athenienſibus etiam nummorum genera fuerunt, quæ ſi iuſti erant ponderis, prædicta pondera æquabant. Nullum enim ferè ponderis genus tam Græcis quàm Latinis fuit, quo non etiam numiſma, vel ſumma quædam rei nummariæ ſignificaretur: ſed γράμματα, id eſt ſcriptula põderis tantũ, non etiam rei nummariæ Athenienſibus rationẽ habuiſſe videntur. Hæc ordine cõpoſitorio recenſuimus: reſoluere contrà & diuidere poteſt, qui volet à ſummo talẽto per media alia ad ipſum vſq; λεπ]ὸν indiuiſibile deſcendendo, quẽ nos ordinẽ iam in ponderibus medicis ſequemur.

μνᾶ

μνᾶ ἰατρικὴ, mina medica vncias continet ſexdecim, vt docet Dioſc. aut quiſquis ille fuit, libro de ponderibus, & Gal. lib. 2. comp. ph. gen. in emplaſtro Heræ, & emplaſtro quarto Andromachi: ſeu drachmas centum & viginti octo, lib. 4. eiuſdem in emplaſtro Philoxeni medici, & lib. 1. c. ph. g. Mna quibuſdam videtur continere vncias viginti, aliis ſexdecim.

Alia eſt mina maior vnciarum viginti, ſeu drachmarum centum ſexaginta, & hanc quidam Alexandrinam dicunt, ac ex emplaſtro Moſchionis, & ex emplaſtris albis & viridibus Andromachi, lib. 1. & 2. comp. ph. gen. In vſu fuiſſe medicorum apparet, præſertim eorum qui medicinam Alexandriæ exercuerunt. Vti Attica, quæ vnciarum eſt duodecim & dimidiæ, ſeu drachmarum centum in vſu magis fuit medicis, qui vel in Græcia egerũt, vel antè ſcripſerunt, quàm res Romana floreret. Medica verò (quæ eſt vnciarum ſexdecim, ſeu denariorum centum 12. ſeu drachmarum Atticarum centum viginti octo) medicis Romæ agentibus, vel in Græcia, ſed Romanas res iam florentes cognoſcentibus.

λίτρα, id eſt, libra medica, tam menſuralis quàm ponderalis, qua medici Græci pariter ac Latini vtuntur in ſuis compoſitionibus, eſtq; vnciarum duodecim, ſeu drachmarum ſex & nonaginta, Gal. lib. 4. ſanit. tuendæ, & in compoſitionibus pharmacorum paſsim, & Dioſc. Sed negotiatoria eſt vnciarum ſexdecim, non vtenda in compoſitionibus veterum. Libram & vnciam vnà cum imperio Romano Græci accepiſſe videntur, hiſq; vocibus parum, vt apparet, corruptis vtuntur, ſcribentes *λίτρα*, id eſt libra, & *οὐγγία*, id eſt, vncia, idem omnino pondus ſignificantes quod Romani. Nam *λίτρα*, *ξέστης*, *οὐγγία* nomina ſunt Romana. *Lib. 3. c. ph. g.* *Vt li. 1. c. ph. g.* *Lib. 1. c. ph. g.* *Ibidem.*

ἡμιλίτρον Galeno pendit drachmas octo & quadraginta: Selibra dicitur Liuio & Celſo: etiam libræ ſemis dicitur Celſo & Scribonio.

Pondo per ſe ſeu abſque alio pondere ſcriptum, eſt libra, ſed cum alio ponderis vocabulo, id ſignificat quod Græcis *σταθμῷ* & *ὁλκῇ*, hoc eſt, pondere, vt pondo libra, pondo vncia, vt à libra & vncia menſurali ſeparetur, cui *μέτρῳ*, id eſt, menſura, eadem ratione Græci addunt, vt à ponderali ſeparent. Romani tamen vſu eius frequentiore, etiam his ponderibus, quæ ambigua non ſunt, pondo addiderunt, vt pondo

denarii duo, tres, quatuor in Celſo. Idemq; & Scribonius, pondo ſemis, pro ſelibra ſcribunt aliquando.

Dupondius, & duapondo, & trepondo, vt bilibris, trilibris, ſed etiam quadrilibris. Pondo dua etiam Scribonius aliquoties ſcripſit. Centum pondium item, & centũ pondo, & centena pondo, pro maſſa ferrea aut plumbea centum librarum.

Libræ partes ſunt: Vncia, pars eius duodecima. Sextans, id eſt, ſexta eius pars, ſcilicet vnciæ duæ, vnde à Galeno ἕκτον τῆς λίτρας dicitur, vt Quadrans, id eſt, tres vnciæ τέταρτον λίτρας: & Triens, id eſt, vnciæ quatuor, τὸ τρίτον τῆς λίτρας, τουτ᾽ ἔστιν οὐγγίαι δ. Gal. lib. 5. comp. phar. gen. Quincunx, quinque vnciæ. Semis ſeu ſelibra, ſex. Septunx, ſeptem. Bes, octo. Dodrans, nouem. Dextans, decem. Deunx, vndecim. nomina Celſo, Scribonio, Columellæ frequentiſsima, & Latinis medicis vſurpanda.

οὐγγία, vncia, drachmis Atticis octo, ſeu denariis Romanis ſeptem conſtat, Græcis & Latinis eaq; ponderalis, Gal. lib. 6. comp. ph. part. & libro 4. ſanit. tuendæ: vbi libræ vnius partem tertiam, id eſt, vncias quatuor dicit æquare drachmas triginta duas, & alibi ſæpe in compoſitionibus medicamentorum particulariũ & generalium. Libro autẽ octauo comp. ph. part. in hiera Themiſonis vnciæ tribuit drachmas argenteas octo, vel ſeptem & ſemiſſem. Ibidem drachmam in Andromacho & Aſclepiade pro drachma argẽtea accipiendam cenſet, vt recentiores medici propè omnes ætate ſua nominare ſolebãt, & drachmam appellare, quod Romani δηνάριον, id eſt, denarium vocabant: ſed quid inter drachmæ & denarii pondus re vera interſit, paulò pòſt dicemus. Tamen qui vnciæ drachmas tantum ſeptẽ tribuunt, per eas denarios intelligunt. Qui ſeptem drachmas & dimidiam, hi drachmam leuiorem denario aduertiſſe videntur, non tamen exactè differentiam expreſsiſſe, quam ſunt aſſecuti, qui vnciæ tribuunt drachmas octo, non autẽ denarios octo. Multò minus drachmas nouem cum fæce Arabica, ſua ſe opaca craſsitie etiam nunc tegente. ἡμιούγγιον ſemuncia, id eſt, vnciæ medietas. Seſcuncia Celſo, id eſt vncia vna & dimidia. Vnciæ partes præter dictã ſemunciã ſunt Duella ſeu binæ ſextulæ. i. ſcriptula octo, vnciæ pars tertia. Nam vncia pendit ſcriptula. 24.

Sicilicus vel Sicilicũ, quaſi ſemũciam ſecans, vt feſto Pompeio

peio videtur, pars vnciæ quarta, nam drachmas duas valet.

Sextula eſt ſexta pars vnciæ, id eſt, ſcriptula quatuor, quæ ſexies iuncta complent ſcriptula 24. ſeu drachmas octo, ſeu vnciam. Tamen Ruellius ætatis noſtræ doctiſsimus medicus in Actuario vertit ſextulam in aurea antidoto Ale- ἐξάγων xandri, quo loco eius antidoti ſcriptores barbari habent omnes drachmam. Excuſatur autem Ruellius vicinitate grauitatis, quæ ſextulæ eſt cum drachma, quam vnico ſcriptulo ſuperat, vt in drachma pòſt & denario dicemus. Illa autem partium vnciæ nomina Voluſio & Fannio in ponderibus, & Balbo de agrimenſoria ad Celſum ſunt vſurpata, & Ruellio in Actuario, cæteris medicis non appellata.

Drachma denique eſt vnciæ pars octaua, vt denarius ſeptima: de quibus dicere, tempeſtiuum eſt. Ne Nicolao Salernitæ credas, vnciæ drachmas nouem tribuẽti nulla veterum autoritate, cui & Seruitor neſcio quis ſcriptor triobolaris ſubſcribit: hosq; duces magna noſtrorum pharmacopœorum natio ſequitur, nulla ratione alia, quàm quòd ab illis eſt hoc ſcriptum, nulla aut ratione aut ſcriptorum veterum autoritate ſeſe tuentibus. In his tamen qui ſunt humaniores, & iudicio meliore Græcorum placitum ſequuntur. Quot enim drachmas Meſues vnciæ dederit, probari nequit. Δραχμὴ drachma Attica Athenienſibus, & denarius Romanus nummus erat argẽteus, & ab eo pondus eiuſdem cum ſuo vtrunque nummo grauitatis: quia tamen vnciam Græcis & Latinis æqualem drachmæ octo complent, denarii verò tantum ſeptẽ, denarius eſt paulò, ſcilicet vna ſeptima, grauior quàm drachma. Vnde libra ponderalis Celſo, Plinio, Scribonio eſt denariorũ quatuor & octoginta. Nam libra eſt vnciarũ duodecim, in quarum ſingulis ſunt denarii ſeptem, qui duodecies ſumpti complent quatuor & octoginta denarios. Eadẽ libra *Lib. 4. ſanit.* Græcis eſt drachmarũ ſex & nonaginta: Libra enim vncia- *tuendæ.* rum eſt etiã illis duodecim, in quibus ſingulis drachmæ octo, quæ duodecies iunctæ efficiunt drachmas ſex & nonaginta. Cùm igitur paulò grauior denarius eſſet, quàm drachma Attica, pondus autem vel numiſma Græci interpretes non haberent, quod exactè denario Romano reſponderet, Latina in Græcum ſermonẽ verſuri, per id quod proximũ eſſet, ac non multò leuius, drachmam ſcilicet pro denario reddiderunt, vt

Plutarchus, Galenus in Scribonii medicamentis compoſitis, quæ citat lib. de compoſitione pharmacorum. Contrà Latini dum Græca verterunt, pro drachma Attica denariũ tam pondus quàm numiſma verterunt, quia pars vnciæ octaua apud Romanos nomine proprio caret (niſi cum Balbo & Latinis multis drachmam quoque Græcorum more appelles) vt Aulus Gellius, Feſtus, Liuius libro ab vrbe condita 44. Polybii locum recenſens. Sic drachma Attica denarii argentei habere pondus dicitur Plinio lib. 21. cap. vltimo, & alibi, quoties medica transfert, pro drachma denarium vertit. Nec mirum eſt id eum feciſſe in ponderibus minimum diuerſis drachma & denario, cùm μνᾶν Atticam (quæ vnciarum eſt duodecim & dimidiæ, ſeu drachmarum centum) verterit libram, quæ vnciarum eſt tantum duodecim ſeu drachmarum eſt tantùm ſex & nonaginta: drachmis ſcilicet quatuor leuior, quàm mina: & vnciis quatuor leuior quàm mina Alexandrina. Hæc enim differentia illis viſa eſt parui eſſe momenti, niſi ſi qua eſſent validis admodum viribus. Non habet igitur drachma Attica denarii pondus, neque libra minam æquat. Quoties verò Romana tractat Plinius, aut denario vtitur, aut drachma pro pondere denarii: vt cùm ait, è libra denarios quatuor & octoginta ſignari: tot enim ſurgunt denarii vnciarum duodecim, ſeu libræ vnius. In mina autem Attica denarii ſunt propè octo & octoginta, ſiue drachmæ centum. In aliis duabus minis medica, quæ vnciarum eſt ſexdecim: & Alexandrina, quæ vnciarum eſt viginti, numerus maior denariorum & drachmarum. Et Liuius lib. 44. ab vrbe condita drachmas quatuor Atticas dicit trium ferè denariorum pondus habere. Nam tres denarii faciunt tres Atticas drachmas, & prætereà tres ſeptimas vnius denarii, non tamen quatuor drachmas integras efficiunt: ob id Liuius rectè addidit ferè. Quòd ſi vnciæ tribuas tantùm drachmas ſeptẽ (quod Galenus quoſdam facere ſcripſit, vt antè diximus) pro denario tunc eſt accipienda drachma, cùm drachmarum octo pondus idem faciat, quod ſeptem denarii: hocq; modo denarius drachmam explet, & prætereà partem drachmæ ſeptimam. Nec audiendus eſt hoc loco Cleopatras, dicens, Italicum δηνάριον habet drachmam vnam, ſi exactum id velit: nec Scribonius Largus,

Largus, qui in prefatione ait, ęquè denarios quatuor & octoginta eſſe in libra Romana, quot drachmę ſunt in libra Græcorum, niſi drachmam pro denario vſurpet. Sic enim vnciæ dabit tantùm drachmas ſeptem, vt denarios ſeptẽ alii omnes dederunt. Quam drachmæ & denarii differentiam cùm nouiſſet Celſus, nec obolorum (qui ſex drachmam complent) voce Gręca vti vellet, vnciam in ſeptem denarios drachmarum octo vice diuiſit, quorum denariorum ſingulos in partes ſex diuiſit quę obolis ſex, in quos drachmam Gręci diuiſerant, reſpõderent. Has verò partes vocauit ſextantes omniũ primus & ſolus, quorum ſinguli ſingulis drachmarum obolis ſunt paulò grauiores, tum quia ipſi ſex diuidunt denariũ pondus drachma in ſex obolos diuiſa grauius. Quibus denarii ſextantibus & eadẽ ratione quadrantibus & trientibus denarii aut librę quãdo vtatur Celſus, lectori coniectandũ ex ſimplicium viribus, affectus natura & ęgri & medicamenti componendi format. Drachma igitur Attica pars eſt octaua vnciè Gręcę & etiam Romanę, aut ſi paulò leuior eſt, ita vt drachmę octo denarios ſeptem non expleant, id authores non curarunt. Lib. 5. cap. 17.

Δραχμὴ etiam ὁλκὴ dicitur lib. 8. comp. ph. p. quãuis propriè ὁλκὴ ſit pondus, vnde ὁλκὴ δραχμῆς, id eſt, pondus drachmæ lib. 8. c. ph. part. in hiera Themiſonis, & alibi ſæpe. ἡμιδράχμον, Gal. lib. 4. comp. ph. gen. διδράχμον, τριδράχμον, τετραδράχμον. i. duæ, tres, quatuor drachmę Gręcis in vſu ſunt.

Drachmæ partes ſunt, Γράμμα Aëtio, Alexandro, Aretæo, Moſchioni Gręcis iunioribus vſurpatum, (nam veteres διώβολον vel ὀβολοὶ δύο eius loco dicebãt) ſcriptulum ad verbum rectè dixeris: ſcrupulus tamen aut ſcrupulum dicitur Celſo, Plinio, Columellæ, & recentioribus Medicis: Martiali quoque, niſi in his ſcriptulũ legas. Drachma autem habet grammata, id eſt, ſcriptula tria: Simplium ſcriptuli dimidium quidam ratiocinatores vocant.

ὀβολὸς obolus Plinio vſurpatus eſt dimidium ſcriptuli ſeu ſexta drachmæ pars: nam oboli ſex, drachmam conſtituunt: & oboli duo, ſcriptulum vnum.

ἡμιώβολον vel ἡμιωβόλιον Andromachus apud Gal. libro 7. comp. ph. part. pro obolo dimidio. διώβολον vel ὀβολοὶ δύο, τριώβολον, τετρώβολον Soranus & Zoilus vſurpant apud Galenum

lenum lib. 1.3.comp.ph.part. δυωβολιαῖος τροχίσκος, id eſt, diobolaris,& τριωβολιαῖος, id eſt, triobolaris pódere, libro 7. comp.ph. part. His enim nominibus veteres Græci ſunt vſi.

θερμὸς, id eſt, lupini ſemen, eſt drachmæ pars nona: nam drachma pendit nouem lupinos. κεράτιον, id eſt, ſiliqua, eſt dimidium lupini, Actuario cum vulgo καῤῥουβία dicitur. Semen autem eius vt lupini, lentis, orobi, ciceris, fabæ, non tota ſiliqua intelligitur:& id mediocre non enorme & habitius, neque ſtrigoſum & emaciatum, qualia hordei aut tritici grana viginti ſcrupulo etiam hodie damus, aurifabrorum grana omnino immutabilia, hisq; omnino æqualia appenſuri, vt ponderum fundamentum nobis certius ſit quàm Atticis in ſuo λέπτῳ, Græcis in ſuo κερατίῳ, vel chalco, vel lentis ſemine.

χάλκος chalcus Plinio dicitur, aliis æreolus vel æreolum, eſt dimidiũ ſiliquæ: nam ſiliqua pendit duos chalcos: chalcus autem grana lentis quatuor, quæ minimũ pondus faciunt, vt hodie grana tritici vel hordei: ſed cùm grana hæc pondere plurimùm varient, ob variam magnitudinẽ, denſitatem, raritatem, humiditatem, ſiccitatẽ, eligenda ſunt (vt diximus) mediocria, aut illorum loco grana aurifabrorum immutabilia. Alii chalcum oboli partem octauam faciunt, alii decimam, Attici ſextam, vt prius dictum eſt. δίχαλκον, id eſt, duo æreola Dioſc. in cucumere agreſti. Drachma igitur continet ſcriptula tria, obolos ſex, lupinos nouem, ſiliquas octodecim, chalcos ſex & triginta: ſecundum alios, octo & quadraginta.

Denarii partes ſunt, Victoriatus, nummus argẽteus victoriæ nota ſignatus, dictus aliter Quinarius. Nam denarius decem aſſes ſiue libras primò valebat (vnde illi nomen) eius autem dimidium victoriatus aſſes quinque: quia denarius in duos victoriatos diuiditur. Poſtea denarius fuit libræ pars octogeſimaquarta: nam ex libra denarii octogintaquatuor ſignabantur, Plin. Victoriato autem pondere vtitur Scribonius. Celſus paſsim lib.5.cap.18.dicere maluit ſemis denarii, vt p. ✱. S. vel ſemis, id eſt, pondus denarii dimidii, & alibi p.i. ✱. & ſemis, id eſt pondus denarii vnius & dimidii. Galenus victoriatum Scribonii aliquando in duos obolos, id eſt, ſcriptulum vnum, rectius & frequentius in τριώβολον vertit, cùm Scribonii compoſitiones deſcribit. Denarii vt libræ

ſunt

ſunt ſextãs quoque, quadrans, triens, de quibus antè diximus.

NOTAE PONDERVM ROMANORVM
ex Voluſio, Probo, Celſo, Scribonio.

℔. libra. ℔℔. libræ duæ ſeu dupondium. S. ſemis. v. ſeptunx. —ʃ— bes. S— dodrans. S = = dextans. S=— deunx. — — triens. =— quadrans. = ſextans. — vncia. ⁝ ſeſcuncia. ʃ ſemuncia. vel 6 binæ ſextulæ.) ſicilicus. ↘ ſextula. ℈ ſcriptulum. ✱ vel ӿ denarius. V victoriatus. z ſextans denarii & libræ apud Celſum. ÷ ſeſcuncia, ſeu quarta pars ſemiſsis. — · drachmæ ſex ſeu octaua pars ſemiſsis in Scribonio leguntur. 3. drachma vna.

NOTE PONDERVM GRAECO-
rum & Atticorum.

μ̃ μνᾶς. λι vel λ, vel λ λίτρας. ꝯο οὐγγίας. L δραχμῆς. λ ὁλκῆς, id eſt, drachmæ. γρ γράμματος, —. ὀβολοῦ, :=: δυοῖν ὀβολοῖν. κε κεράτιον. χ χαλκοῦ. S″ ἡμίσεος, quæ duabus his velut accentuum lineolis differt à nota numeri nonagenarii.

In his ponderum tam Romanorum quàm Gręcorum notis ferè exprimuntur primæ ponderis literę. In Romanis verò lineę ſemiſsi adiunctę vnciarum numerum deſignant vltra ſemiſſem ſeu ſex vncias. Reliquarum Romanarum notarum ratio eſt difficilior, & cur Gręci per ʌ obliquum L drachmam figurant, cùm ęquius fuiſſet ad aliarum notarum imitationem δρ. id eſt, δ cum ρ, quę duę ſunt primę huius ponderis literę: item in obolo, οβ.

Mina Attica, quę eſt vnciarum 16. Auicēnas, Serapio, Meſues vti quibuſdã putantur, aliis Alexandrina, quę eſt vnc. 20.

Vulgus medicorum iniquius pondera hodie notat, pręterquàm lib. libram: & ℈, id eſt, ſcriptulum, quòd notam Romanam licet ratione mihi incōperta ſcriptã imitetur, vt ʒ drachmam: at ℥ vel ℥ vnciam cur ſignificet, nō video. Iuſtius mea ſententia fuerit, ne notarum ʒ & ℥ affinitate amplius peccetur magno mortalium incommodo, drachmam & vnciã primis ſuis literis ſcribere ſic, dr. & vnc. quod in menſuris vulgaribus rectè fecerunt, M, pro manipulo, & P, pro pugillo

ſcribentes. Faba Græca pendit duos obolos: eius meminit Gal. libr. 7. cõp. ph. p. in arteriace 14. Andromachi, catapotio fabæ magnitudine ibidem. Faba Alexandrina drach. vnam & dimidiam. Nucis iuglandis magnitudo ſiliquas ſeptuaginta duas pendit. Nux Pontica ſiliquas octodecim. Alia numero metimur, vt pruna, ficus, piper album, lib. 7. ph. p. in arteriacis (quod aliàs obolis, aliàs vnciis metitur.) Multa prætereà metimur quãtitate diſcreta ſeu numero, vt ficus, poma, myxa, zizipha, myrobalanos, tamar Indos, nucleis ſeu ſeminibus horum maioribus ferè exemptis, vbi ſcilicet ad viuum componendi ratio exigitur. Eſt tamen quando cum nucleis numerantur, vbi penduntur, vel etiam menſurantur.

MEnſuræ Romanis & Græcis duplices fuerunt, liquidorũ ſcilicet & aridorũ. Liquidorũ primo dicemus.

Κουλεὸς Ionicè pro κολεὸς, culeus, menſurarũ capaciſsimus, amphoras viginti capit, ſeu libras mẽſurales mille & ſexcentas, Plin. lib. 14. cap. 4. & Fannius lib. de ponderibus. Amphora vrnas duas Columellæ, lib. 12. cap. 20. ſeu libras octoginta: olim etiam quadrantal dicebatur, quòd vas erat quadratum, pedis menſura in longum & latum. Vrna congios quatuor, ſeu libras quadraginta.

Congius ſextarios ſex Romanos, lib. 6. comp. ph. p. ſeu libras decem.

Sextarius quia eſt congii ſexta pars, dictus capit heminas duas ſeu libram & beſſem, id eſt, octo vncias viginti menſurales, non ponderales: niſi liquorem quem metiris, vt mel grauiſsimũ, oleum leuiſsimum, vinum (præſertim fuluum: nam nigrum craſsius & grauius) medium expreſſeris, & ſic tot ſextarii ſunt explicandi, quot ſunt res metiendæ. ξέστου, id eſt, ſextarii, neq; menſura neq; nomen erat apud Atheniẽſes, quo tẽpore ſcripſit Heras Medicus: nunc ex quo Romani orbi imperare cœperũt, nomen ξέστου id eſt, ſextarii apud omnes qui Græca lingua vtuntur, extitit: ipſa verò mẽſura Romanę æqualis non eſt: nam alii aliam ſextarii menſuram vſurpant. Apud Romanos ſextarius libram vnam & ſemiſſem, & ſextam illius partẽ pendit, vt omnes ſimul iunctæ ſint vnciæ viginti, quas plurimùm cornibus metiũtur inciſis extrinſecus lineis quibuſdam orbicularibus. Nonnulli falsò ſunt opinati,

Lib. 1. c. ph. g.

ſextar

ſextarium Romanum octodecim menſuralibus vnciis valere, Galenus. Sextario Italico ſeu Romano proximus eſt chus Atticus, vt cadus Atticus, amphoræ Atticæ.

Vt as & libra vncias duodecim continet, dictis in libra nominibus appellatas: ſic ſextarius cyathos duodecim nominibus iiſdem vocatos capit: vnde ſextarii bes, id eſt, cyathi octo apud Largum compoſitione 116. & ſextarius falerni, Martiali, id eſt, cyathi duo: & ſeni ſextãtes vini, id eſt, cyathi duodecim, ſeu ſextarius vnus Suetonio in Auguſto: quadrans vini Celſo in curatione quartanæ, & Martiali, id eſt, cyathi tres. Eidẽ triens, id eſt, cyathi quatuor, ac etiã Propertio & Iuuenali. Martiali itẽ quincũx, id eſt, cyathi quinq;: ſeptunx ſeptẽ, bes octo, deunx vndecim. Pro ſemiſſe verò hemina, ſeu ſex cyathi, vt dodrans pro nouem cyathis, dextans pro decem.

Hemina quartarios duos capit ſeu vncias decẽ: dicta quòd ſit ἥμισυ, id eſt, dimidium ſextarii, authore Feſto. Vox tamen Romana & menſura eſt: κοτύλη autem (quam Linacer & alii propè omnes heminã reddunt) Galeno & Plutarcho vſurpatur, & Andromacho quanuis Romæ agenti (quod Galenus miratur) & Catoni Romano ſcriptori: huicq; diuerſa eſt ab hemina. Prioribus verò κοτύλη Attica menſura vncias nouem libræ Romanæ capit. Eamq; menſuram in pharmacis, priuſquàm res Romanorum creuiſſent, ſcriptis, κοτύλην capere coniectauit Galenus. Videtur & Heras cùm κοτύλην ſcribit, ſextarii dimidium indicare: an verò vncias nouem ex librali cornu vel decem innuat, etiam ignoratur: licet nonnulli eam ſexdecim vncias, & διμοῖρον, id eſt, duas eius partes habere ſtatuant: ſed alibi κοτύλην cum libra Romana æquauit, κοτύλαι ἰταλικαὶ, ἃς δὴ καὶ λίτρας ὀνομάζουσι. *Ibidem.* *Lib. 4. ſanit. tuend.*

Quartarius acetabula duo capit ſeu vnc. 5. dictus quia eſt pars ſextarii quarta.

ὀξύβαφος vel ὀξύβαφον, id eſt acetabulũ, ſeſquicyathum capit, ſeu vncias duas & dimidiã, ab aceto dictũ, quod ad ciborũ intinctus capiebat. Idẽ κοτύλης τέταρτον, id eſt, corylæ, ſex cyathos capiẽtis quarta pars, lib. 1. cõp. ph. part. dici Apollonio, & lib. 2. comp. ph. gen. Serapioni, quibuſdam videtur. Scribit vero Galenus libro 9. comp. ph. part. in ſplenico Chryſermi, λευκοῦ σπέρματος ὀξύβαφον ὅ ἐστι 50. α, id eſt, quòd eſt vncia vna, niſi mendũ ſit: aut oxybaphon minorẽ faciat menſurã.

κύαθος

κύαθος ſeſcunciam capit & drachmam & ſcriptulum, ſeu cochlearia magna 4. (quæ & ligulæ dicuntur à cauitate ſimili linguæ contractæ) eſtq; ſextarij pars 12.

μυστρὸν eſt κοχλιάριον magnum, capit drachmas tres & ſcriptulum vnũ, datur diacydonion mediocris myſtri modo, in fine lib. 6. ſanit. tuendæ.

Cochlearij parui pleni mẽſura in paruis corporibus: maximi, in maximis: in mediis, ad portionem datur diatrion pipereon, lib. 4. ſanit. tuendæ.

Li. 7. method. Hieræ picræ ſiccæ modus maximus eſt duorum magnorum cochlearium cum aquæ temperatæ cyathis tribus: minimus parui vnius cochlearis: mediocris eſt duorum paruorum cochlearium. Quæ loca & alia paſsim planè declarant ſaltem tres fuiſſe cochlearis differentias.

Quæ pondera, quibus menſuris, quorum liquidorum vel aridorum reſpondeant, Paulus in fine docet abundè.

Quanuis enim libra ſit & vncia menſuralis, id eſt, menſura molem decernens: & ponderalis, id eſt, rei grauitatem pondere declarans, Galeno lib. 1. 2. & 3. & ſequentibus comp. ph. gen. & illa vncias duodecim lineis circularibus in menſura cornea extrinſecus deſcriptis ſignatas ſemper capiat, hęc vncias duodecim ſemper pendat: tamen rarò libra ponderalis menſurali reſpondet: & contrà, ob varium rerum, quas metimur, pondus in eadem menſura. Quamuis etiam libra frequentiùs menſuralis fuit Romanis, tamen etiam fuit ponderalis ſeu pondus librale, vt menſura libralis: ob id diſtinguit Galenus addendo σταθμῷ ponderali, vt μέτρῳ menſurali.

ROMANAE ARIDORVM MENSVRAE.

Modius à modo, id eſt, menſura dictus, ſextarios ſexdecim capit, ſeu libras 26. vncias octo, non autem pendet. Hemodius, eius dimidium. Seſquimodius Varroni vſurpatur. Sextarius capit heminas duas. Schœni & Calami ſextarius, Cato cap. 105. Salis & hordei ſextarius, Columella lib. 12. cap. 5.

Hemina capit acetabula quatuor ſeu vncias decem. Iris aridæ contuſæ hemina, Cato cap. 107. Hemina ſalis, Columella lib. 12. cap. 49.

Acetabulum capit ſeſquicyathũ, ſeu vncias duas cum dimidia.

midia. Acetabulum melanthij, Cato cap.107. Acetabulum gallæ, ſeminis coriandri, cnicorum, Celſus lib.5.cap.18. Salis acetabulum, Plin.lib.18.cap.7.

Cyathus cochlearia ſeu ligulas quatuor, vel ſeſcunciam, drachmam & ſcriptulum. Cyathus ſeminis, Columella lib.2. cap.11. Gith cyathos tres, picis vnum, Celſus lib. 5.cap. de curatione papularum.

Ligula capit drach.tres & ſcriptulũ, Columellę vſurpatur.

Ergo menſurę liquidorum tantùm Romanis fuerunt, Culeus, Amphora, Vrna, Congius, Quartarius. Aridorum ſolùm Modius, Semimodius, Seſquimodius. Humidorum & ſiccorum indiſcriminatim Sextarius, Hemina, Acetabulum, Cyathus, Ligula. Hæc de menſuris Romanis. Arida autem metimur frumenta, legumina, ſemina alia, ſalem: reliqua vt aromata frequentiùs appendimus quàm metimur: metallica ſolùm appenduntur.

Aridorum quæ metimur pondera maximè variant, ob id omiſimus, ne prolixitate odioſa diſpliceamus.

GRAECAE SEV ATTICAE LIQVI-*dorum & humidorum menſuræ, quibus maximè vtuntur Medici, ob id etiam medicæ vocantur.*

LIQVIDORVM MENSVRAE CVM *olei, vini, mellis pondere cuique menſuræ reſpondente.*

Μετρητὴς, ſiue κάδος, ſiue κεράμιον capit choas duodecim, ſeu congios Romanos duodecim, ſeu libras menſurales centum & octo, ἀπὸ τοῦ μετρεῖν, id eſt, à metiẽdo: illud alterum ἀπὸ τοῦ χάδειν, id eſt, capacem eſſe. Sic metreten Dioſcoridis in oleo œnanthino. & κεράμιον eiuſdem in vino hyſſopite, Plinius cadum vertit. Metreten prætereà Italicam in vino ſcillitico, & κεράμιον Italicũ in vino abſinthite Dioſcorides vocat pro amphora Romana, quæ non paulò minor eſt Attica. Cùm autem Atticam amphoram vult ſignificare, vocat ſimpliciter μετρητὴν vel κεράμιον: contrà Latini amphoram Atticam pro metreta dicunt, vt à Romana ſeparent, quæ ipſis abſolutè eſt amphora. Vtraq; Græcorum medicis in vſu

fuit,

fuit,poſtquàm Romani Græciæ imperare cœperunt. Metretes olei pendit libras Romanas nonaginta, vini centum, mellis centum & quinquaginta.

Χοῦς, ſiue χόευς,chus ſeu cõgius,ſextarios ſex capit,ſeu cotylas Atticas duodecim,ſeu libras nouem,ἀπὸ τȣ̃ χέειν,id eſt, à fundendo. Plinio ex Dioſcoride vertitur ſemper congius. Chus olei pendet libras ſeptem cum dimidia: vini autem libras 8.& vncias quatuor:mellis lib.duodecim cum dimidia.

Ξέστης,ſextarius, cotylas duas ſeu librã vnam & dimidiam. Vox à Græcis ex ſextarij nomine corrupta Andromacho, Aſclepiadi, Heræ, Critoni,Dioſcoridi,Galeno,& aliis Græcis,qui ſcripſerunt, poſtquàm imperium Romanum acceperunt,vetuſtioribus Atticis ſcriptoribus incognita. Aceti ſextarij tres Critoni apud Gal. & Galeno ipſi ſæpe pro liquidi menſura in lib.compoſitionum.Sextarius olei pendet vncias quindecim,vini autem libram vnã,vncias quatuor,drachmas quinq;,ſcriptulum vnum:mellis lib.duas,& vnciam vnam.

Κοτύλη quartarios duos,ſeu vncias menſurales nouem,vnde Heras lib.5.comp.ph.part. Galeni dicit vncias olei Italicas nouem, ſeu cotylen pendere vncias ponderales ſeptem cum dimidia: aceti cotyle Soranus apud Gal.lib.1.comp.ph.part. Dicitur etiam ἡμίξεστον et dimidia ſextarij pars Gal.lib.1.c.ph. g.& τρυβλίον Cleopatræ. Hemina dicitur Romanis & item Græcis,Romanas medicamentorum compoſitiones in ſuam linguam vertentibus,aliàs autem cotyle vtuntur. Cotyle olei pendet vncias ſeptẽ & dimidiã: vini autem vnc.octo,drach. duas,ſcriptula duo:mellis libram vnam & ſemunciam.

Τέταρτον,ſiue ἡμικοτύλιον Dioſcoridi lib.5. de thymoxhalme,& Apollonius apud Gal. lib.1.comp.ph.gen.1.quartarius vel ſemicotyle, capit acetabula duo, ſeu vncias quatuor cum dimidia.τέταρτον ξέστου dicitur Damocrati apud Galen.lib.8.c. ph.part. Pendet olei vncias tres, ſemunciam, & drach.duas: vini autem vnc. 4.drach.vnam, & ſcriptulum vnum: mellis ſelibram,& drach.duas.

ὀξύβαφον,id eſt,acetabulum ſeſquicyathum,ſeu vncias duas & drachmas duas, τέταρτον κοτύλης dicitur Serapioni apud Gal.lib.2.c.ph. gen. & Apollonio lib. 1. ph.part. Pendet olei ſeſcunciam & drach.tres,ſeu drachmas quindecim: vini autem vncias duas,& ſcriptula duo:mellis vncias tres,& drachmam

mam vnam.

Κύαθος cyathus conchas duas ſeu myſtra quatuor, ſeu chemas quinque, ſeu cochlearia decem ſeu ſeſcunciam. Attici mellis cyathus vnus, aut drachmæ duodecim, Crito lib.5.c. ph.part. Attici mellis cyathus Philippo Medico dicitur apud Gal.libro 4.ph.p. Pendet olei vnc.& drach.duas, ſeu drachmas decem. Pondus olei curæ Medicis pręcipuæ fuit in emplaſtris: vini autem vnciam vnam, drach. tres, ſiliquas quatuor: mellis vnc.duas,& ſcrip.duo.

Κόγχη myſtra duo, ſeu chemas duas cũ dimidia, ſeu drachmas ſex.

Μύστρον. chemen vnam & quartam eius partem, ſeu cochlearia duo cum dimidio, ſeu drachmas tres. Myſtrum magnum Cleopatræ capit drach.duas cum dimidia & quartã: paruum drach.duas, ſcriptula duo, ſiliquam vnam & vndecimam.

Χήμη cheme, cochlearia duo, ſeu drachmas duas, ſcriptulum vnum, grana quatuor, & quatuor quintas grani, Lithargyri chemen aut drachmas tres, lib.5.comp.pharm.particul. Gal.Crito.

Κοχλιάριον drachmam vnam, ſcriptulum dimidium, grana duo, & duas quintas grani. Cochlear olei pendet Cleopatræ drachmam vnam.

Hæc ponderum minutorum nomina ſunt vſurpanda, ad interpretandam menſurarum capacitatem: & quomodò libræ & vnciæ menſurales non ſolùm ponderales ſunt: ſic hęc pondera minuta poſsis menſuralia facere, vel ſaltem intelligere. Vinum nona parte excedit pondus olei, Galeno, Fannio, & Græcis quibuſdam: vt cotyle olei nouem vncias pendet, cotyle vini decem, quod eſt nona parte eſſe grauius: ſic olei ſextarius octodecim vncias, vini viginti pendet. Mel autem tertia parte vino eſt grauius, ex Fannio, & Dioſcoride, & Galeno, & experientia. Mel autem ſit purum, è fauis deſtillatũ: deſpumatum autem eſt grauius.

MENSVRAE ARIDORVM ATTICAE
Medicis maximè in vſu.

Μέδιμνος, medimnus, capit chœnicas octo & quadraginta, Suidas: ſeu centum & octo libras, ſeu modios ſex. nō

medicos

medicos quidem, ſed georgicos. Medicis tam magna menſura rarior eſt in vſu.

Χοῖνιξ cotylas tres, vel ſeſquiſextarium, ſeu libras duas & quadrantem, id eſt, vncias tres. In vſu eſt Chryſermo & Eraſiſtrato in Gal. medicamentorum compoſitionibus. Pro chœnicibus decem Dioſcoridis in vino ex dactylis Plinius reddidit modium, cùm decem chœnices cotylas triginta, ſeu ſextarios quindecim faciant. Romanus autem modius eſt ſextariorum ſexdecim: vnum igitur ſextarium neglexit Plinius.

Ξέστης ſextarius, cotylas duas, ſeu vnc. octodecim, Galeno ſæpe vſurpatur in c.ph.

ἡμιχόινικον vſurpauit Dioſcorides in vino elleboritite.

Κοτύλη ozybapha 4. ſeu vncias nouem, gallæ cotylas duas. Gal. lib. 9. c.ph.p.

ὀξύβαφον, ſeſquicyathum, ſeu vncias duas & drachmas duas: piperis albi oxybaphon, Gal. lib. 3. comp.ph.p. & Dioſcoridi vſurpatur in thymoxalme.

Κύαθος cochlearia decem ſeu ſeſcunciam. Salis cyathus Dioſc. in vino melitite.

Κοχλιάριον drach. vnam, ſcriptulum dimidium, grana duo, & duas quintas grani.

NOTAE MENSVRARVM ROMANArum, ex Voluſij Metiani libro de aſſe.

Culei nota deſideratur. Quadrantal, id eſt, amphora q. Vrna, q.s. .i. quadrantalis ſemis. Congij ɩ. Sextarij ɔ. Heminæ ɔ.s. .i. ſextarij ſemis. Quartarij Q. Cyathi cy. In aridis verò, Modij μ. Semodij μ. s. Acetabuli & Ligulæ notæ adhuc deſiderantur.

NOTAE GRAECARVM MENSVRArum Medicis frequentes, ex lib. de ponderibus & menſuris, qui Galeno tribuitur.

κρ̂ κεράμιον, tribus primis cōſonantibus expreſſum. χ̂ χοῦς. ξε. vel ξ̂ ξέστης. κο̂ κοτύλη. τρυ. τρυβλίον. ξο. ὀξύβαφον. κ̂υ κύαθος. μ̂ μύστρον. χ̂ χήμη. In aridis verò, μ̂ε μέδιμνος. χ̂ χοῖνιξ cum duabus primis conſonantibus.

Cùm igitur tam varient pondera & menſuræ, in veterum compoſitionibus diligenter obſerua miſcendorum & totius

miſturæ

miſturæ vires, vt inde pondera quædã dubia coniectes. Noſcas etiam in id patriam medici,& ſi extra patriam,in qua regione,& quo tempore ſcripſit.

Cùm item pondera medicamentorum menſuris non ſemper reſponderint (vt oſtendimus) diligenter eſt aduertenda maiorum ſcriptura, ſi iubet nos medicamenta πλήθει, id eſt, copia ſeu menſura,& ὄγκῳ, id eſt mole,vel σταθμῷ,id eſt,pondere metiri, Gal.lib.6.comp.ph.part. Adhæc felicius pondera & menſuræ, & amborum numerus integrè exprimundera & menſuræ, & amborum numerus integrè exprimuntur,quàm notis repræſentãtur ob lapſum facilem. Ob id Galenus Andromachum iuniorem & Damocratẽ laudat, quòd medicamentorum compoſitiones carmine ſcripſerint, integra hæc omnia recipiente. Idem Galenus lib.2.comp.phar. part. ἑκατὸν, ὀκδοήκοντα, ἐννενήκοντα δραχμὰς aloës in hieræ compoſitione integra ſcripſit: & alibi paſsim.

Horum de ponderibus & menſuris ſcriptorũ partem plurimam ex Galeni libris de compoſitione medicamentorum ſecundum locos & genera collegeram,ſed meliora & auctiora reddidi lectione Georgii Agricolæ medici, hac in parte doctiſsimi & diligentiſsimi. Neque tamen ſemper ponderibus aut menſuris vtimur in componendis medicamentis aut vtendis, ſed herbas manipulis, ſemina & flores pugillis ſæpe metimur.

Terebinthina reſina ſumitur nucis vnius põticæ,aliquãdo duarum trium've magnitudine. Diacnici ſumitur duarum trium've caricarum modus, pro cuiuſque natura magis minus've medicamentis obediente per experientiã exploranda. *Lib.5.ſanit. tuendæ.* *Ibidem.*

Puluis capitis milui potatur ex aqua,quantus tribus digitis capi poteſt. *Lib.theriaces ad Piſonem.*

Alia eius generis plurima apud medicos tum Græcos tum Latinos inuenies.

EXERCITATIO PRAEDICTAE METHODI IN ALIQVOT VETERVM COMPOSITIS CELEBRIBVS, LIBER IIII.

*

ABSOLVTIS vtcunque tribus inſtituti noſtri partibus, iam quarta eaq; poſtrema ſupereſt adiicienda, de medicamentis aliquot compoſitis, quibus ceu particularibus exemplis exercere traditas prius methodos viſum eſt. Neque enim omnia veterum compoſita in vnum cogere placuit: id enim operis fuiſſet infiniti, & parum profuturi: neque item omnia vſu quotidiano celebrata, ſed tantum ſumenda tanquàm præcipua adſcribemus: admouenda plenius tradituri in Meſuæ antidotario, quod cum canonibus & ſimplicibus à nobis quanta potuimus maxima cura deterſum & politum & clarum redditum propediem emittemus. Non improbo tamen, ſi quis omnia quæ à viris ratione & experientia inſignibus ſcripta ſunt, enumerare velit Galeni exemplo, vt ex his quiſque illa potiſsimum præparare queat, quorum materiæ copiam habet, modo diligenter curet, vt quæ miſcentur, probata ſint & vigentia. Miſtis quoque & compoſitis tunc ſolum vtatur, cùm vires expetitas habent ſummas. Nam multa vetuſtate exanimata ſunt igni abſumenda, non vtenda. Quibuſdam autem vetuſtas vires addit, vt theriace: aliis minuit, vt Philonis antidoto, qua tamen ante annum à compoſitione non vtendum: aliis adimit, quorum maxima turba eſt in ſyrupis, catapotiis, & aliis, vt ſimplicibus, ſic compoſitis. Quapropter ſyruporũ vere & æſtate rarus eſt vſus, ſi rerũ illos conſtituentium eſt poteſtas: frequentior apozematum quæ tunc ſolum pharmacopola componit, cùm iubetur à medico, vti etiã eclegmata, exoletis iam Arabum lohot præſtantiora, quia recentia. Cætera item quæ omni propè hora eſt componendi facultas compoſita non habet pharmacopola, vt linimenta, frontalia, embrochas, cata-

In lib. de c. ph. phar. p. & g.

plaſmata,

plaſmata, collyria. Sed tempore vtendi parantur, quando facilis & prompta rerum in hæc neceſſariarum materia eſt, quæ autem omni parte anni parari nequeunt, rerum tunc vigentium penuria, illa ſemel in annum totum confici poſſunt: cura tamen diligenti adhibita, ne etiam ante annum vires eorum elanguerint. At cùm vnum medicamentũ etiam vni morbo omnium ægrotorũ competere non poſsit ob temporum eius & ægri naturæ varietatem, & alias indicationes, nec medicus tantam varietatem in vnoquoque genere ad manũ habere poſsit, medium aliquod habeat ad mediam naturã compoſitum, cui addas tempore vtendi quæ voles, pro affectus & ægri natura, vt in diamoro Gal. in comp. ph. part. vel ſimpliciſsimum pares, quod vtendi tempore arbitrato tuo intẽdas. Ob id ſyrupos omnino ſimpliciſsimos ex ſuccis ſcilicet, vel decoctis ſimplicibus ſaccharo aut melli incoctis ad ſaporis gratiã, ſed magis ad conſeruationis neceſsitatẽ præferimus.

Pauca quædam explicaturus ſum, quæ rudi adhuc lectori remoramento eſſe poſsint, cuiuſmodi hoc eſt, quæ ratio nos mouerit, vt præter omnium conſuetudinẽ pondera & menſuras, & vtriuſque quantitatẽ integris propè nominibus expreſſerimus. Id autẽ quo conſilio eſt à nobis factum libro ſuperiore in pōderibus & menſuris docuimus: ἄνα quoque & ἴσον Galeni more & Arabum ſcribimus. Neque etiã accuſandi ſumus, ſi quando pondera aut menſuras, quæ vno numero comprehenduntur, tamen ipſo identidem repetito expreſsimus. Sic enim & Gal. myrti nigræ ſextariũ vnũ, ſeminis apii ſextarium vnum, ſummitatũ ramorũ myrti ſextariũ vnũ: & ibidem, adianti ſextariũ dimidium, ladani τὸ ἴσον, id eſt, tantundem: quum vtrobique ſcribere potuiſſet, enumeratis his omnibus, ana vel ἴσον, id eſt, æqualem portionẽ. Huius ταυτολογίας exempla ſunt plurima apud Græcos & Latinos medicos. Præterea quędam compoſitiones huius libri eiuſdem rei multiplicẽ habent menſurã aut pondus multiplex, ob id quòd ex magnis ceu portio tantum aliqua ſint diminutæ. Quomodo apud Gal. emplaſtrus alba ariobarzanii integra, recipit lithargyri drach. ducẽtas, ceruſſæ drach. octoginta, cerę drach. quinquaginta, olei veteris heminas tres, terebinthinæ drach. triginta, cineris buccinorũ drach. decem, thuris drach. nouem & decẽ, aquæ cyathos duodecim. Quæ Heras ſic ad tertiam Lib. 1. c. ph. p.

 partem

partẽ diminuit, lithargyri drach. 66. obolos 4. & cætera, lib. 1. c. ph. g. & alibi exempla huius rei plurima inuenies. Nec te moueat, quòd eiuſdem ſimplicis doſes varias ſecundum ſcriptores varios in eadem compoſitione interdum adſcribimus, cùm nec Galenum id facere piguerit etiam in ponderibus diuerſiſsimis & ſimplicium validiſsimorum, vt lib. 3. comp. ph. part. in fine. Mannæ thuris drach. quatuor, alii drach. quindecim, & paulò pòſt calcis viuæ drach. octo, alii drach. quadraginta: gypſi toſti drach. quatuor, alii drach. octo. Aromata item nonnunquàm ſpecies etiam cum vulgo appellamus, Paulum & Actuarium ſequuti, qui εἴδη illa paſsim appellant. Adde quòd compoſita cum διὰ declinãtur ſecundum terminationem per primam aut ſecundam declinationem Latinorum, vt per ſecundam & tertiam Græcorum, Diacalaminthe, thes, thæ, then. Diacydonion, nii, nio. Diamoron, ri ro, & cætera, non autem cum medicorum vulgo, diacydonion, nionis: diaphœnicon, diaphœniconis: diarhodon, diarhodonis, vt anaſarca, cæ: hypoſarca, cæ, vt ex Galeno. lib. ſanitat. tuendæ, & cõp. ph. part. colligere eſt facile. Imperitius idem faciunt in catholico carthartico, quod diacatholicon, conis, etiam qui ſe aliquid putant, quotidie ſcribunt. Si verò illa ſeparatim & ſine cõpoſitione ſcribantur, non mutata voce manet in genitiuo ſingulari vel plurali, quem διὰ tunc poſtulat, vt diacydoniων, dia morων, διὰ τριῶν πιπέρων: ſic nos Arabum antidotum διὰ τριῶν σαντάλων potius, quàm cum vulgo triaſandali. Ad horum imitationem ex Græca voce & Latina practici quoque diaprunum, ni, no, compoſuerũt, vt epitogium Quintilianus, & ὑδρορόσατον, id eſt, aqua roſarum Simeon, quam ῥοδόσταγμα Actuarius vocare maluit.

In compoſitionibus quoque vulgi nomẽclaturas non paucas immutaui, partim quòd ineptiores viderentur, partim, quòd veterũ & in quibuſdam recentiorũ appellationes tanquàm puriores & magis naturam rei nobis exprimẽtes, ſequi potius placitũ eſt. Nam quæ iſti hodie nomina medicamentis tribuunt, confectiones, electuaria, opiatæ, lohot, rob, ſuffuf, & alia quædã vel Barbara ſunt, vel rei dicendæ non conuenientia. Confectio ſiquidem cõpoſitio eſt, vt conficere eſt componere, & in quam ſignificationẽ hi contrahũt, ſibi non cõſtant: nec minus inepti ſunt in re & nomine electuarii, quod electarium,

ctarium, id eſt, electa quædam ſimplicia continens medicamentum dicere alii malunt. Sed cùm id omnibus compoſitis cõmune ſit, vt in methodo componendi probauimus, cur quædam horũ ſic, alia aliter vocarũt? neque omnes rem eandem vocant electarium, ſed hic ſolidam & ſiccam confectionem ſic appellat, alius etiam liquidiorem. Opiatas rectius appellarunt medicinas, quæ ſcilicet opium recipiunt, quibus conſiſtentia ſimiles etiam opiatas vocant, quæ nos veterum more in antidotos reiecimus. Quas autẽ appellationes cuique compoſito medicamento hic declarando aptiores eſſe putemus, partim docebimus in ſingulis compoſitorum formis & differentiis, partim nunc ex Actuario ſubiiciemus.

Cùm cauſæ ſalubres ſint quatuor ſummis generibus Galeno comprehenſæ, ſumendorũ, admouendorũ, educendorum, faciendorum, duo prima hic docemus, neque hæc tota, ſed in ambobus medicamenta tantum formis & viribus diuerſa. Nam eorũ quæ ingeruntur: quædam ſumũtur trita ſolum & læuigata: alia cõuenienti humore ſubacta: alia in trochiſcos, id eſt, circulos cõplanata: alia in catapotia, id eſt, globulos deglutiendos efficta: quædam aqua ad tertias coquuntur, colantur, & decocti iure iam medicamentoſo ſumuntur, nunc per ſe, nunc cum vino, ſapa, melle, ſaccharo: alia cum horum poſteriorum alterutro cocta, donec concreſcant, quod ſerapion & ζουλάπιον Barbara voce ſolemus nominare: alia prius trita, deinde cum melle ſubacta, donec in vnitatem coëant, antidota vocamus. Fructus autem aliquot fugaces, aut iam coctos, aut in ſalgama plana redactos, ex melle aut ſaccharo tantiſper excoquimus, dum iuſtum craſſamentum obtineant, & in bellariorum formas fingimus.

Actuar.

ζουλάπιον etiã Simeon vocat.

Ex admouendis verò quædam formantur in vnguẽta, quæ ſolum illita auxiliantur: alia in emplaſtra, quæ linteis extẽſa, vel alutis tenuibus aut pittaciis inducta ſuperponuntur: alia vocantur epithemata, quæ tæniis vincta hærent non ſuo lentore: quædam velut τρίμματα, id eſt trituræ, & ξήρια, id eſt, ſicca & pulueres dicuntur, ſuntq; ea vltima & ſimpliciſsima omnium quæ ſumuntur: quædam ceu collyria fingentes, quibuſdam liquoribus diluimus, & ad cotem terimus, tanquàm ocularia medicamenta: alia aliter pro ægrorum conditione, morbi & partis affectæ natura. Quas autẽ vires medicamen-

De his Paulus, lib. 7.

tum quoduis habeat, ex ſimpliciũ natura & totius forma ſuis
Actuar. locis pòſt audies. Antidota ex herbis, ſuccis, lachrymis, ſeminibus, radicibusq; congeſtis, & operoſè tritis, & in vnum cum melle coactis fiunt, miſtis magna ex parte calidis, frigidis interdum, & etiam ſenſum ſtupefacientibus, interdum & purgantibus, quæ etiam ſerapiis & zulapiis miſcentur.

Medicinas quæ non foris admotæ corpori, ſed in corpus receptæ affectibus medentur, antidota, ab ἀντὶ καὶ δίδωμι, quaſi
Gal. initio lib. 1. de antidotis. contra affectus data, & fœminino genere antidotos medici appellant. Vnde cephalicæ, ſtomaticæ, ſtomachicæ, cardiacæ, ſplenicæ, hepaticæ, nephriticę, colicæ, hedricæ, mithridatios, theriacæ, Galeno propè ſemper dicitur, ſæpe ſubſtantiuo antidotus adiecto, ſæpe non expreſſo. Eadem ratione apud eundem cephalicum, ſtomaticum, ſtomachicum, & cætera ſæpe leges, antidotum ſcilicet. Horum quædam aduerſus deleteria & lethalia pharmaca dantur, alia cõtra feras virulentas, alia affectibus ex prauo victu natis ſuccurrũt. Sunt quę vſum hunc triplicem promittũt, vt Mithridatios, Theriace, de quibus tanquam præſtantiſsimis primum nobis dicendum.

Celſus lib. 5. cap. 22. Antidota grauiſsimis caſibus opitulantur, maximè autem vtilia ſunt aduerſus venena corporibus noſtris inſerta morſu, ictu, cibo, potu: rectè etiam dantur in viſcerum, laterum, faucium, interiorumq; partium doloribus, & colliſis ictu vel caſu ab alto.

Quia antidoti etymon attigimus, ſubiit nobis in mentem docere, vnde medicamenta compoſita nomen acceperunt, quæ nominis ratio magni eſt momenti ad rem intelligendam. Ab actione & effecto in morbum vel corpus totum athanaſia, quòd immortalis, hoc eſt, maximè longæuos homines facit. ἐκκοπρωτικὸν Andromachi ex aloës vnc. 11. croci, maſtichis ana vnc. vna lib. 7. comp. ph. part. vt aloë eccoprotica, lib. 6. ſimpl. Sic cephalica, ophthalmica, ſtomatica, arteriaca, ſtomachica, hepatica, ſplenica, colica, & id genus alia medicamenta, harum partium affectibus ſalubria, quæ etiam à parte vocata videri poſſunt.

Acopa, quia laſsitudinem tollunt.

Ab inuentore.

Philonis antidotus, Philonium vulgò dictum, de qua in Meſue ex Galeno audies.

Mithrid

Mithridatos, à Mithridate Ponti rege. Multa ſimiliter cognominata ſunt, vt Theriace Andromachi, ab Andromacho conſtituta.

Hiera picra Galeni, quòd eam vſu multo celebrauit.

Diarhodon abbatis, Puluis ducis, in horum gratiam à Medicis inuenta & appellata.

ξιὼς medicamentum ad iſchiadas, lib. 10. comp. ph. p.

Dioſpolites ſeu dioſpoliticum, Iſis emplaſtrum.

Diadictamnum ſacrum, quòd ex ſacris Aegypti locis afferuntur, lib. 2. c. ph. gen. Cyphi heliacum & ſelenicum. Antidotum σωτῆρα, Paulus lib. 7.

A medicamento ſimplici vel præcipuo quæ Baſis dicitur, vel copioſiore.

Diacalaminthe. Diacyminum. Dia trion pipereon.

Diaphœnicon Dia margaru.

Opiata antidotus, quod opium recipit.

Theriace, quòd paſtillos theriacos recipit, vel quòd viperæ morſibus præter cætera auxilietur.

Hieradiacolocynthidos. Diaromaton.

A numero ſimplicium.

Tripharmacum ex lithargyro, oleo, aceto.

Tetrapharmacum. Theriace dia τεσσάρων.

πεντάμυρον ex quinque, libr. 7. Pauli, cui tamen quædam acceſſerunt.

δεκάμυρον ex decem. Dodecatheon, ex duodecim & melle.

Hecatóbe Pauli, licet tantùm ſimplicibus octodecim conſtet.

A qualitate.

Cygnus Galeno, & cygnus albus & ruber Paulo.

Albæ & melinæ & virides emplaſtri, lib. 1. comp. ph. gen.

εὔχρωα, id eſt, boni coloris. ἡδύχρωον μάγμα in theriace.

δίχρωα vel διχρώια, id eſt, bicoloria. εὐωδία, id eſt, beneolentia. δυσωδία, id eſt, maleolentia. πικρὰ διὰ ἀλόης, quæ & hiera picra Galeni dicitur: eſt tamen ea multiplex, vt in hieris antidotis leges.

A modo vtendi.

Epithema ventriculi, hepatis, lienis, capitis aliarum partium quibus imponitur, quale quod ſcutum hodie vocant.

Hypoglottides, quæ ſub lingua tenentur, vt paulatim liquata ſenſim deglutiantur. *Lib. 7. c. ph. p. initio.*

Ibidem. Arteriace ἐκλεικτὸς 14. Andromachi, lib. 7. comp. ph. part.
ἔκλεικτον φάρμακον, καὶ ἐκλικτὰς δυνάμεις, καὶ ἐκλίγματα, id eſt linctus, quòd lingendo deglutiantur.
ἔρρινα ἢ ῥινέγχυτα, quæ naribus infunduntur.
καταπότια à καταπίνω, id eſt, deuoro.

A forma compoſiti.

τροχίσκοι, quòd rotulæ formã habeant: iidem κυκλίσκοι à figura rotunda, & ἀρτίσκοι à panis exigui forma Galeno dicũtur.

A nota.

Sphragis Lemnia, id eſt, ſigillum ex terra Lemnia, in cuius locum ſupponunt terram ſigillatam.

A loco, vbi componitur, celebratius.

Oleũ Sicyωniũ, à Sicyωnia regione Peloponeſi Dioſcorid. Galeno autẽ & Paulo à cucumere agreſti, vt in Meſue docemus.

Gal. initio lib. 1. de antid. Mithridates Ponti ac Bithyniæ rex omnium propè ſimplicium pharmacorum experiẽtiam habere ſtuduit, quæ lethalibus aduerſantur, vires ipſorum in facinoroſis hominibus morte damnatis comprobans, vt Galeni tempeſtate Pergami rex Attalus. Quædam igitur ipſorum phalangiis peculiariter reſiſtere deprehendit, quædam ſcorpionibus, alia viperis, alia contra aconitum valere, alia contra leporem marinum, alia contra alia deleteria. Quibus omnibus contemperatis, vnum confecit medicamentum Mithridates, nominatũ ab ipſo Mithridation, ſperans ſe præſidium aduerſus omnia lethalia habiturũ. Nec ſpes eum fefellit: vſu enim eius quotidiano corpus à deleteriis ſecurum ſic effecit, vt cum exitioſo & violento potius veneno (quo filiæ eius enectæ ſunt) bis poto interire, quàm viuus in Romanorum poteſtatem venire ſtatuiſſet, nullum inuenerit venenum, quod eum interimere potuiſſet, ob id gladio transfixus interiit.

Mithridatios antidotus ab Andromacho ſic deſcribitur, ad deleteria efficax, & internos omnes affectus.

Gal. 2. lib. antidot. Acori, phu põtici, hyperici, acaciæ, gũmi ana drachmæ duæ.
Scinci drachmæ duæ, oboli duo.
Aniſi drachmæ tres.
Folii, *nardi Gallicæ & Indicæ, roſarũ ſiccarũ, fœniculi ſeminis, meu athamantici, cardamomi, gentianæ, ana drachmæ quatuor, aliis trium, poſtremorum drachmæ tantum duæ.

**νάρδου κελτικῆς καὶ ἰνδικῆς.*

Opii

Opii drachmæ quatuor,oboli duo.
Petroſelini drachmæ quatuor,oboli tres.
Caſsii,polii,ſeſeleos,coſti ana drachmæ quinque, oboli duo.
Gallii drachmæ quinque,oboli tres:aliis drachmæ ſex.
Styracis drachmæ quinque,oboli quatuor.
Myrrhæ,caſtorii,thuris,hypociſthidis ſucci,ana drach.ſex.
Spicæ nardi,opopanacis,ſcœnu anthus,reſinæ terebinthinæ, ναρδοστάχυς
ſcordii,cypheos,ana drachmæ ſex,oboli duo.
Dauci ſeminis drachmæ ſex,oboli tres.
Opobalſami,thlaſpeos,ana drachmæ ſex,oboli quatuor.
Galbani drachmæ ſeptem.
Croci,cinnamomi,zingiberis,ana drachmę ſeptē,oboli duo.
Glycyrrhizæ drachmæ ſeptem & dimidia,& oboli quatuor.
Vini chii quod ſatis eſt.
Mellis Attici cocti quantum ſufficit,hoc eſt, libram vnam in pulueris vnc. tres, vel ſi delicatius vis, ſed minus efficax, in pul. vnc. duas. Eadem ratio eſt quantitatis mellis ſeu ſacchari,& puluerum in cæteris antidotis.

Mithridatis theriace,qua ſemper vſus eſt Mithridates contra venena lethalia, & qua vtebatur Andromachus, ſcribitur Galeno lib.2.antid. ab hac diuerſa, vt dimidiū theriaces pòſt dicendæ videatur.

Mithridatios à Damocrate aliter ſic deſcribitur verſibus apud Gal.lib.2.antidotorum.

Myrrhæ Arabicæ Trogloditidis, croci, agarici, zingiberis, cinnamomi,ſpicæ nardi,thuris,thlaſpeos,ana drachmę decē.
Opobalſami,ſeſeleos,ſchœnu anthus,ſtœchados, terebinthinæ,galbani,coſti, piperis longi, caſtorei Pontici, hypociſthidis ſucci,ſtyracis boni, opopanacis, foliorum malabathri noui,ana drachmæ octo.
Caſiæ nigræ,polii,piperis albi, ſcordii, ſeminis dauci Cretici,carpobalſami,cypheos, bdellii(quod quidã addunt)ana drachmæ ſeptem.
Nardi puræ Celticæ,gummeos,petroſelini, ſucci papaueris, cardamomi, fœniculi ſeminis, gentianæ, foliorum roſę, ana drachmę quinque.
Dictamni Cretici paulò amplius,vel ęqualis portio.
Aniſi,arii,acori,phu,ſagapeni,ana drachmę tres.
Meu athamantici,acacię, ſcinci vētris, hyperici ſeminis ana

drach. duæ & dimidia.

Vini mediocris mod⁹, & mellis ſimiliter qđ moderatũ fuerit.

Cypheos compoſitio à Damocrate eodem hæc deſcribitur.

σταφίλος, id eſt, vuæ paſſæ pinguiſsimæ (à qua cortex ac ſemen totum ſint exempta) carnis læuigatæ probè, terebinthinæ* vſtæ ana drachmæ Atticæ viginti quatuor.

*κεκαυμένης legerem potiùs cum Dioſcor. in Cyphi, ῥητίνης ἀποκεκαθαρμένης. reſinæ expurgatæ.

Myrrhæ, ſchœnu anthus, ſeu iunci rotundi, ana drachmæ duodecim.

Cinnamomi drachmæ quatuor.

Bdellii lacrymæ, ſpicæ nardi, caſsiæ bonæ & puræ, cyperi, baccarum iuniperi grandium & pinguium, calami odorati ana drachmæ tres.

Aſpalathi drachmæ duæ & dimidia. Croci drachma vna. Mellis & vini modus mediocris. Bdelliũ, myrrhã, vinũ in mortario tere ad mellis liquidi craſsitiem, melle ſuperaddito vuã cũ aliis tere. Omnia vbi erũt lęuia, fac cyclos paruos. His Aegyptii ſacerdotes diis ſuis propitiandis ſuffitu vtũtur. Sic Rufus vir optimus, & in arte exercitus, parandum prodidit. Permultæ enim eius cõpoſitiones etiã Dioſcoridi, quarum vnã deſcribit ab hac diuerſiſsimã, tamẽ quã in antidota quoq; miſceri ait. Paulus quoq; lib. 7. deſcribit cyphi magnũ ἡλιακὸν, id eſt, ſolare dictum, ex rebus triginta ſex confectũ: & σεληνιακὸν, id eſt, lunare, quod ex rebus viginti octo conſtat: vtrũq; ab hoc etiã maximè differens: tamẽ etiam ad conciliandos deos odore grato compoſitum, & naribus noſtris admouendum, vt deſtillationes à capite in partes ſubiectas concoquat, & grauedine obſtructioneq; nos liberet, & cerebri ventriculos purget, & peſtilentibus morbis reſiſtat. Per os etiam cyphi ſumitur tum ad hæc, tum ad ea quæ pectori inhærent coquenda, necnon ad frigidos hepatis affectus. Miſcetur medicamentis præcipuè epithematibus & antidotis, quæ inde Cyphoidea vocantur, Paulus lib. 7.

Mithridation autẽ Andromachi à pleriſq; Romanorum imperatoribus probatiſsimã antidorũ ex ſimplicibus circiter quadraginta duobus & cyphi conſtantem, merito prætuleris farragini neſcio cui Nicolai ex ſimplicibus centum & octo conflatæ, eadẽ promittenti, ſed verbis plurimis, ad capitis, aurium, oculorũ, dentium, pulmonũ, ventriculi, inteſtinorũ affectus frigidos, hoc eſt, pituitoſos, melancholicos, ſeu ad ſtupo-

rem,

rem,paralyſin,apoplexiã, epilepſiam,ſpaſmũ, tetanũ, cephalæam,hemicraniam, maniam, melancholiam, grauem auditum,oculos lacrymantes, odontalgiam, cynanchen, aſthma, ſputum ſanguinis,peripneumoniam, lienteriam, dyſenteriã, ſiue ſumatur,ſiue admoueatur:præterea ad frangendos calculos,mẽſes ciendos,omnia vteri vitia,ſcirrhos, podagras,morſus & ictus venenatos,morſum canis rabidi,ad febres quotidianas & quartanas initio acceſsionum,cocta iam materia,in modum auellanæ cum vino vel aqua, cui ſaluia vel menta ſit incocta.In aliis autem veſpere ſumpta & admota,quę omnia per internos omnes affectus intelligit Andromachus.

Mithridation autem priorem theriace deſcripſimus,quòd hac prior tempore fuerit,& quòd ex ipſa theriacen excerpſerit Andromachus, vt mox audies:adde quòd ad pleraq; deleteria eſt efficacior quàm theriace : qua tamen inferior eſt in morſus viperæ curatione,Gal.initio lib.1.& 2.antidotor.Populis autem ſeptentrionalibus Gallis,Germanis,Anglis, Scotis cùm rariſsima ſint venefica , & malefica animalia, contra hæc mithridatio aut theriace non egent, ſed contra alios affectus nuper dictos, quos magnopere antidoti iſtæ profligant, vt paulò pòſt audies. Ad theriacam antidoton tranſeamus, in qua vt cæteris medicamentis noſſe miſturam , facultatem, vtendi tempus, & menſuram oportet. Quapropter de his eſt nobis nunc dicendum.

THeriaca autẽ dicta eſt,quòd ferarum & viperarũ morſibus medetur , & quòd viperas recipiat. Eam verò ex optimis & plurimis medicamẽtis compoſuerunt contra morſus venenoſos & pharmaca deleteria (quæ duo ſunt mala in tota vita grauiſsima) & cùm perpenderent hominum naturas permultùm inuicem differre, & aliud alii medicamentũ eſſe idoneum,meritò exactam ipſius & variam fecerunt miſturam,vt omnibus prodeſſet. At cùm tantus ſit θηρίων,id eſt, ferarum numerus,vipera,baſiliſcus,hæmorrhus,dipſas, ſcorpius,aſpis,ceraſtes,phalangiũ,hydrus & aliæ permultæ: ſola tamẽ ex his vipera eligitur , quòd cętere maximã vim noxiã in ſuis corporibus totis habeant,vt docet Galenus lib. de theriaca ad Piſonem , vipera eam vim noxiam in capite & cauda ſolùm habet, carne reliqua natiuam habet virtutem ad ſalutem,vt animalia pleraque, de quibus in his quę agũt à tota *Libr.theriaces ad Piſonem.*

ſubſtant

ſubſtãtia fuſiùs egimus lib. 2.Porrò viperarum in theriacam paratarum vis tabifica & corruptrix largior tollitur cauda & capite amputatis.Quæ ſiqua in carnibus remanet,obtunditur coctione,ſale,anetho,reliquis præſtantiſsimis medicamentis, ac diſſoluitur: ſic veſicæ per ſe noxia cantharis, & ſuccus papaueris per ſe potus lethalis: miſta verò aliis,ex præparatione plurimum virtutis auxiliatricis acquirũt illa ad vrinas innoxiè mouendas, hic ad ſomnum conciliandum & vires inſomnia deiectas reficiendas.

Theriacæ antidotus ab Andromacho Cretẽſi Medico Neronis primario ratione & experientia abſolutiſsimo, ex Mithridatio decerpta eſt, quibuſdam ademptis, quibuſdam adiectis, potiſsimùm carne viperarum nõ exigua,ob quam appellata eſt theriace ἀπὸ τῶ θηρίου,id eſt,à fera omnium ſæuiſſima ἐχιδνῆ, hoc eſt, vipera, ad cuius morſus eſt præſtantior mithridatio, quam ob id ex hominum vſu magna ex parte deiecit. Porrò Theriace ob ſimplicium probitatem, & horùm virtutis inter ſe proportionem fit pręſtantiſsima,vt cætera medicamenta compoſita: tamen qui Philonium antidotum aut aliud quoddam exiguum cõponit, non adeò ſummè bonis medicamẽtis eget,vt qui Mithridation aut Theriacen, aut aliud multæ miſturæ & cinnamomum recipiens, conficit: hic enim omnium præſtantiſsimis eget: qualium copia Romæ Cæſaribus faciliùs quàm alibi gentium ſuppeditabatur. Ob id in ea non Medici ſoli, ſed etiam myropolæ præſertim diuites pręſtantiſsima hæc medicamenta componebant. In quibus tamen ſæpe (quia inuentu difficilia omittebant)non leuiter peccabant.Cęſariani verò Medici nullo deſtituti ad probam compoſitionẽ, ſoli perfectiſsimè talia conficiebant.Quæ res profectò facilis potentiſsimo Regi noſtro Franciſco fuerit nauigationibus: ſuorum quidem, Alexandria: Venetorum verò,ex tota propè Aſia: Luſitanorum autem, ex Aphrica & India, optima quæque conſequi medicamenta.Demus igitur operam, vt ſingula his compoſitiõibus neceſſaria habeamus optima ab integræ fidei amicis ex regionibus, in quibus ſunt præſtantiſsima: quæ libris nouiſſe non ſatis eſt,ſed horum notas omnes oculis aliiſque ſenſibus, ter,quater,frequẽtiùs accuratè explorabis, ne te fallant inſtitores tam callidè omnia adulterantes,& veris aſsimilantes,vt

etiam

etiã exercitatiſsimis imponant. Tamen vt ad explorandũ venias inſtructior, paucis notas optimorum quorundã ſimpliciũ ad Theriacen neceſſariorũ perſtringã, vt cognitis optimorũ notis quiſq; deligat optima, quæ apud ſuos, aut vicinos, aut alias gẽtes exiſtũt, vt primùm habito ſingulorũ delectu, deinde pręparatis quibuſdã, legitimè tãdẽ ipſam Theriacẽ cõponas.

Quoniam alia aliis locis & abundant & meliora ſunt ſimplicia, ex quauis regione præſtãtiſsima eligantur, quibuſdam his indicationibus adhibitis. *Lib.3.c.ph.p.*

Radices ſint cortice intento, non rugoſo aut rancido: id enim macræ radicis eſt indicium.

Fructus ſint optimi, multi cum ſurculis & germinibus, & aliis, quæ ipſis inhærent foliis, inuolucris, floribus.

Semina, vt radices, ſint bene nutrita, hoc eſt, procera, & plena, quod intentus cortex indicat.

ὀπούς & *χυλοὺς* non ſiccatos tempore, nec ſuis qualitatibus, & viribus inualidos guſtatus & olfactus indicabunt.

Herbæ autem in Theriacam recipiendæ ſunt, ſcordium, nepita, praſion, ſtœchas, dictamnus, polium, chamædrys, chamæpitys, hypericum, centaurium tenue.

Radices, zingiberis, ireos, rhei, pentaphylli, coſti, nardi Indicę, nardi Gallicæ, gẽtianę, mei, acori, phu, ariſtoloch. tenuis.

Semina buniadis, id eſt, napi, Ruell. in Actuar. petroſelini, thlaſpeos, ameos, anethi, fœniculi, dauci, cardamomi.

Chamæpityn, chamædryn, thlaſpi, centaurium, hypericũ, poliũ, & alĩa eiuſmodi florẽtia accipies, nõ ſole æſtiuo ſiccata, neq; dum fructus horum adhuc crudi ſunt & imperfecti.

Mel theriacæ idoneum ſit dulciſsimũ, & acerrimum ſapore, pallidum colore, aut flauum, odoratiſsimũ, ſubſtãtia nec craſſum & grumoſum, nec impenſè liquidum, ſitque totum ſibi vnitum & lentum, vt digito ſi tollatur, viſci modo longiſsimè ſeruet continuitatem, quale eſt Hymettium, vel Thaſium, vel Atticum, vel aliud ſimile, ſed mediocriter coctum ſit, vt terreum & flatulentum coctione ſeparetur. Mel item bimum vetuſtiore & recentiore eſt melius, modò non ſit amarum, aut vinoſam aliquam qualitatem odore & ſapore referens, ſiue vetuſtate, ſiue coctione & deſpumatione longa vtrunque contingat, id quod ſola experientia probatur.

Vinum quoq; ſit phalernum, acre, laudatiſsimum, vel ſimile: non

le:non phalernum fauſtianum dulce, non imbecillum aut recens,& crudum adhuc ob nouitatem. Melius enim eſt vetus, nondum tamen amarum: ſit etiam tenue ſubſtantia, perlucidum κίῤῥον, id eſt, fuluum, nõ album, non rubrum, non nigrũ: ſitque odoratiſsimum, & ſuauiſsimum, non quòd id theriaces aut mithridatij virtutem reddat meliorem, ſed quia has antidotos alioqui ob multa amara (nã amara ſunt omnia medicamenta, quæ lõgo vſu virulentis beſtiis aduerſari ſunt iudicata) ingratas, gratiores efficit. In omnibus enim medicamentis, quæ deglutiuntur, ratio eſt habenda & ſolicitudo de ſaporis gratia, vt in methodo medicamenti componendi abundè probauimus. Vinum ergo miſce firmiſsimum, & validum imprimis, & quod pluribus annis non amplius mutari probaris: vitabis autem valde imbecillum, aquoſius, valde auſterum, facilè aceſcens, vetuſtate amarum.

Opiũ Thebaicum, vel illi bonitate proximum. Marum ſit valde amarum, minùs acre, odoratius amaraco acri & minùs amaro. Vtraque ſint Cretica.

Roſæ præſtantiſsimæ ſint omnium ſuauiſsimæ, & aliis rubicundiores.

Scordium Creticum optimum: tamen non malum in aliis regionibus poteſt inueniri.

Napi ſeu rapæ ſylueſtris ſemen Creticum.

Iris Illyrica, & ex ea vt cæteris medicamentis, odoratior: vnumquodq; enim eſt præſtantiſsimum, quod proprium generis ſui odorem, vti & ſaporem habet valentiſsimum: non Libyca, quæ ab Illyrica tantum abeſt, quantum corpus mortuum à viuo.

Agaricum leuiſsimum eſt laudatiſsimum: denſum, graue, lignoſum eſt deterrimum.

Cinnamomum ſit odoratiſsimum, ſeu indicibilem quandam odoris gratiam ſuper alia omnia referat, guſtanti calidum admodùm percipiatur, non tamen vt moleſtè rodat. Colore autem tale, ac ſi quis lacteum colorem cum φαίῳ, id eſt, fuſco & modicè cyaneo miſceat.

Succus glycyrrhizæ Creticus pręſtantiſsimus, vt Cretica glycyrrhiza.

Opobalſami Iudaici, id eſt, optimi, notas omnes repete ex ſimplicibus. In quibus etiam fuſiùs horum ſingulorum pro-

borum

borum indicia legas licet.

Myrrha optima opocalpaſo aut liquore aliquo non vitiata: ſit autem Troglodytis aut Minæa, à regionibus, vbi præſtantiſsima gignitur.

Crocus ſit Corycius, à Corycio antro, in quo naſcitur: vel potiùs alius odoratiſsimus, & longo tempore in vigore ſuo perſiſtens, ac flauiſsimus. Nam robore odoris præſentanei, & diuturnitate, & flauitie optimus eſt iudicandus, non proceritate Corycio præcipua.

Zingiber non pertuſum, ſed ſiccum & acre eſto.

Rheon denſum contractumque ſubſtantia validè aſtringens, ſi viget ac integrum eſt: nam citò perforatur. Quod autem coctum eſt, rarius eſt, ac nihil aut minimùm aſtringens: huius loco rha barbarum Auicenna ſubſtituit.

Pentaphyllum ſiue ſit tormentilla vulgaris, ſiue aliud, intereà tamen dum lis dirimitur, cape tormentillam.

Calaminthe Cretica montana melior.

Praſium album & Creticum, vel ex editis locis.

Petroſelinum ſit Macedonicum: idem amariſsimum eſt atque acerrimum.

Stœchas Cretica, vel ex Stœchadibus inſulis: ſic enim lego in Galeno, non Cycladibus.

Coſtus ſit, qualem ex Dioſc. in ſimplicibus pinximus.

Piper longum natiuum, ob id in aqua inſolubile, album in ſimplicibus.

Dictãni herbæ Cretẽſis folia, nõ cũ vulgo radices fictitiæ.

Iuncus odoratus ſit Arabicus. Flos melior, ſed rarus aduehitur, quòd eum in viis Arabiæ frequentiſsimum iucundiſſimè paſcant cameli: ſolo odoris vigore diſcernitur. Illius enim odoris gratia citò vaneſcit.

Thus ſit ἄμωτον maſculumque.

Caſia optima, que ſurculis, & corticis tenuitate, guſtu, odore ſit cinnamomo ſimillima.

Indica nardus radix eſt, quæ tamen à ſpicæ ſimilitudine ſpica nardi dicitur.

Poliũ, chamædrys, chamæpitys, hypericũ, gẽtiana, thlaſpi, nigrũ veratrũ, & alia quædã Cretica paulò præſtantiora ſunt Italicis. Si tamẽ ver totũ ſiccum fuerit æſtatis modo, Cretenſibus Italica nõ multò ſunt inferiora. Seſeli Maſsilienſe.

Styrax

Styrax ſit, qui in arundinibus ex Pamphylia affertur, & paucisſimus gignitur, tamq; diuerſus ab hoc copioſo ſtyrace, quàm falernum vinum ab eo quod in tabernis venditur. Cape calidisſimum, odore & ſapore valentisſimum.

Thlaſpi Creticum, colore ὠχροξάνθιον, figura rotundum, multò minus milio. Præſtat verò ex Cappadocia alterum, multò nigrius, & maius prædicto, non exactè rotundum.

Ami Creticum, vel ex regionibus ſiccis & altis.

Hypociſthis } Vtrumq; quale Dioſcoridi deſcribitur.
Malabathri foliũ }

Terebinthina ſit Chia potiùs, quàm cũ Andromacho Libyca: aut cum aliis Pontica. Chia enim omnibus aliis odore & ſapore præcellit.

Viperarum delectus, & ex his ritè paratis paſtillorum theriacorum compoſitio, ex Galeni libris.

VIperæ deligantur magnæ, bene nutritę, corpore toto & ventre craſsiore, ſubflauæ, collo valde prominenti, capite latiore, oculis rutilis ac ſubrubentibus, interritis, trucibus, ac ferino aſpectu, præſertim irritatæ, meatu magis ad extrema caudæ vergente, cauda non inuoluta ſed potiùs conuerſa, validæ, bene mobiles, tamen inceſſu quieto & tardo. Hac enim re fœmina differt à maſculo: & quòd ea caninos & acutos dentes habet, plures duobus maſculo propriis in capite acuminato: ad delectum præter hæc tempus venationis harum, & quædam in his enecandis apparentia, de quibus mox dicam, pertinent. θηρίαι id eſt, viperas Crito vult capi in fine veris, aut trygeto, id eſt, autumni medio: cauendam verò æſtatem ab initio ad canis ortum, & huic ſuccedẽtis oporæ tempus, cùm fructus fugaces eduntur, & bilis hominibus copioſisſima ſuboritur. Galenus quoque viperas venatur exacta hyeme, veris initio, vbi latebris relictis in apricũ prodierint, & nemora petunt, ac ſubdiales ſemitas, & ſemine marathri oculos recreant, ſuntque iam audaces & celeres, nec virus tam maleficum retinent. Nam deliteſcẽtes maligniorẽ vim tabificam in ſe contrahunt, quia nulla ex parte digeruntur, tuncq; ſerpens omnis ſolet vocatum γῆρας, id eſt, ſenium & exuuium colligere, quod eſt craſsisſimum quoddam tegumentum tempore quo delituit contractum magis quàm ætate anim

Nicander in theriacis.

Galenus in fi. lib. 1. antidot.

te animalis. Non ſtatim igitur vbi latebras egreſſæ ſunt, capiendæ, ſed permittendæ aliquandiu & aëre frui, & conſueto veſci cibo, hoc eſt, herbis quibuſdam & animalibus, vt bupreſtibus, cantharidibus, pityocampis: hæc enim idonea ipſarum ſunt alimenta. Nec te moueat, quòd Crito in fine veris capit, Galenus initio veris: lib. autem ſimplicium vndecimo, ineunte æſtate optimam viperarũ carnem prodit. Nam hæc tempora ſunt finitima, & parui momenti eſt horum differentia, ſi cæteras cõditiones ante venatum neceſſarias, quas nuper dixi, obſeruaris. Ne autem capiantur æſtate media, quia tunc caro earum ſitim efficit, vt ſemper earum, quæ in locis maritimis, aut aqua ſalſa. Neque capiantur mox, vbi latebras reliquerunt, quòd tunc earum caro frigida eſt & ſicca, ac malè nutrita, ſed tempore inter hæc medio, deſinente ſcilicet vere, nondum verò inchoata æſtate: vel ſi ver admodum hyemale extiterit, æſtatis initio non longè à Pleiadum ortu. Non capiendæ item prægnantes, quia emaciatę ſunt. Capiendę autem ſunt notandę magnitudinis viginti, aut paulò plures. Hęc enim quantitas medicamento non erit nimia, vt ad totius confecturę copiam ſufficiat, vel pro quantitate compoſitionis accipiendę ſunt. Capita & caudas recens captarum & adhuc viuentium pręcide, vt cum ſanguine virus effluat. Pręcides verò in magnis viperis ad digitos quatuor: Damocrates autem capita ad tres digitos prius, poſteà caudam ad paulò maiorem quantitatem pręcidit apud Galenum, quòd hę partes ſunt virulentę magis & durę, & modicę carnis. At Galenus lib. vndecimo ſimplicium caudam negat pręcidendam, quòd quę ad hanc excrementa tam liquida quàm ſicca eſſe poſſunt, exenteratis viperis facilè eluantur: quod autem in ore eſt venenum, ineluibile eſt. Idem verò in libro de Theriaca ad Piſonem aliorum ſententiam ſequutus caudam tollit, quòd ſordidiorem (inquit) ſubſtantię portionem pars hęc magis exercita plenius trahit, vt quę piſcium caudis proximę ſunt partes, ob frequentem motum magis nutritę ſunt. Quòd ſi poſt amputationem dictarum partium protinus exangues ac immobiles & mortuę fiant, tanquàm theriacę inutiles reiiciantur. Contrà quę aliquandiu poſt pręciſionem motum aliquem retinēt, & ſanguinem diutius fundunt, pręſtantiſsimę, quia virtutem habent πρὸς τὸ σώζειν, id

 eſt,

eſt,ad ſeruandum non ignauam ſed validam.

Partibus his reſectis, inteſtina exime,quia ſunt excrementorum receptacula. Cute deinde vt anguillis detracta,& tota pinguedine ceu inutili exempta, corpus reliquum aqua pura probè lotum in fictile vas elegantiſsimè conſtructum, vel ollam,vel cacabum, vel lebetem probè exterſum & ſplēdidum immitte cum aqua fontis pura,anethoq; viridi,tunc enim viret. Faſciculum verò mediocrem anethi ſicci Damocrates imponit. Coque mox igni ex carbonibus peruſtis, aut lignis ob ſiccitatem ἀλιγνύσι,id eſt,ſine fumo, aut potius ex vitium ſarmētis,cum pauco ſalis recentis, ſi apto tempore cepiſti viperas: ſin æſtate,ſine ſale. Hunc autē ſalem ſtatim initio imponit Galen.lib.11.ſimpl.dum coquitur verò, miſcet lib.2.ad Glauconem,quæ tenui diſcrimine diſtant. Id autē fit ad compoſiti ſuauitatē, qua etiam cauſa paſtillis theriacis ad læuorē tuſis & cribratis vtendi tempore ſalem miſcet,lib.11.ſimpl.

Vbi iam percoctæ ſunt, vt caro oſſa & ſpinas promptè relinquat, & edi poſſet, depone ab igni, aqua exime, carnes à ſpinis virus olentibus & abiiciēdis,accuratè ſecretas, ac probè tritas cum pane friato miſce,& paſtillos forma. Panis ſit puriſsimus ex puriſsima ſemidali, id eſt, ſimilagine & flore farinæ,ſalſus,fermētatus,non hipnites,id eſt,coctus ſub teſta, ſed clibanites,id eſt, coctus diligenter in clibano,alioqui medicamentum facilè aceſceret. In ſicca domo tam bene ſit ſiccatus, vt in mortario ad læuorem tundi poſsit. Panis momentum miſcet Andromachus,id eſt, partem dimidiam, vel tertiam, vel quartam, interdum quintam, quantū ſcilicet paſtillis formandis ſufficiat. Panis vnciam vnam carnibus viperarum ſexdecim accumulatis miſcet Crito. Panem triticeum purum æquali pondere miſcent Damocrates & Magnus. Eum panem maximè friatum & læuiſsimè in mortario tritum miſce cum carnibus accuratè,& ſubige, vt nulla viperinæ carnis portio non læuigata maneat. His probè tritis affundūt parum iuſculi decocti plerique, & Galenus in Theriaca ad Piſonem,& Actuarius: libro autem ſimplicium vndecimo panem requirit ſiccum, vt cōtundi in mortario poſſit: tamen tundendo non miſcetur carni,ſed decocto viperarum maceratur, & caro in mortario coquorū teritur, donec ſit læuis, tuncq; pani miſcetur, ſic ex pane non ſicco, ſed per

viperarum

viperarum decoctum irrigato, diu ſe, & Cæſarianos ante ſe medicos præparaſſe Galenus ſcribit: ſed quia ægrè ſicceſcebant, & caro putreſcebat, panis verò aceſcebat, cognitum errorem Galenus emendauit, & iuſculũ miſcere deſiit. Quum ex pane ſicco facilius ſiccentur paſtilli, quàm irrigato, & panis per ſe in læuorẽ tritus carni viperinæ etiam per ſe prius exactè læuigatæ melius miſcetur, & fiunt cycli vel cycliſci, id eſt, orbiculi, vel ἀρτίσκοι, id eſt, paſtilli, (quæ alio diminutiuo κυκλίσκια καὶ ἀρτίσκια vocat Damocrates) vel τροχίσκοι, id eſt, rotulæ tenues mel mediocres opobalſamo modico ſubacti. Nam craſsi, vt qui cum iure ſunt facti, antequàm ſicceſcant, carnem viperarum putreſcere, & panem aceſcere permittunt. Mox vbi erunt formati trochiſci, ſiccentur in domo calida ſicca, & in eadem reponantur. Sit autem domus hęc ſublimis, & meridiem ſpectet, aut ſaltem non ſeptentrionem, vt bona diei parte domus accipiat ſolis radios, ſic tamen vt paſtillos in vmbra locatos ſolis ſplendor & radius non attingat. Sic enim facilè ſiccabuntur, & ſi continenter verteris, vtraque parte æqualiter. Niſi autem vertantur, parte ſuperna plus iuſto ſiccantur, inferna humidiores, dum diutius manẽt, putreſcere periclitantur. Siccati in eadem domo etiam extra ſolis radios condantur, continuè vertendo aliis diebus plurimis vt quindecim: pòſt donec theriacen ſis præparaturus, repone vaſe vitreo, vel aureo potius quàm ſtanneo, vt quod plumbi miſtura adulteratur. Quod autẽ ex argento non purgato fit, celerrimè huic ærugo obnaſcitur. Ob id ex vtroque metallo, ſtanno inquam, & argento non purgato, vaſa non in hac ſolum, ſed in cæteris quoque antidotis vitabis. Præſtaret tamen non multo pòſt his paſtillis vti: tamen efficaces adhuc ſunt poſt annum, & poſt tempus etiam longius. Nam probè initio ſiccati & repoſiti annis tribus & quatuor in vigore permanent, ſi modò puluerem ipſis obductum linteis puris aliquoties abſtergas. Cuius diu adhæreſcentis occaſione perforantur, tuncq; inutiles euadunt, alioqui vtiles, etiam ſi plurimum inueterentur.

Lib.11.ſimpl.

Lib.1.antidot.

Paſtillorum ſcilliticorum confectio.

Paſtilli ſcillini lib.1.antid.& li.de th.ad Piſ.

SCillam bonæ magnitudinis (non tamen admodum magnam & enormem) bene habitam & nutritam, albam, re-

centē ex terra ſumes, cùm folia eius & caulis exactè inaruerit, ſeu vt Crito iubet, quando triticum metunt: tunc enim potiſsimum viget. Corticoſa eius parte & radice lignoſa omni adempta, corpus reliquum maza ſeu farina tritici optimi, recentis, fermētata & ſubacta circumline (quidam etiam cum cortice maza circundant) non autē gypſo aut luto cum Critone: id enim ſordidum eſt. Deinde in calido cinere copioſo vel clibano calido, ſi quis adeſt, cum panibus coque, vel ἰπνῷ, id eſt, teſta furnacea, vel cacabis, vel patinis, quibus panes coquuntur. Coques autem æqualiter, & donec maza bene ſiccata in cruſtum omnino dureſcat & abrumpatur, ac feſtuca in ſcillæ corpus per rimas demiſſa promptè recipiatur.

Cruſto abiecto ſcillæ medullam cum Critone, id eſt, ſcillæ ipſius partes interiores tenerrimas, exactè tritam miſce cum farina erui candidi (non album enim eſt vehementer amarum) parum torrefacti. Farina autem hæc ſit optima, recentiſsima, adamuſsim læuigata, tenui cribro creta, vt ſit vna farinæ pars, ſcillæ duplum cum Critone & Damocrate & Magno: vel cum Andromacho minore, duæ partes farinæ, vt drach. nonaginta: ſcillæ verò tres, vt drach. centum viginti. Sed largior hæc farina, vt parcior eſt dimidia cum Damocrate & aliis. Portio autem farinæ & ſcillæ æqualis Galeno magis placet, ceu fingendis paſtillis aptior.

Quidam huius farinæ penuria micam panis friatam, vt in paſtillis theriacis addunt. Formantur autem trochiſci mediocres, & ſiccantur ac reponuntur vt theriaci.

Hedychroon magma ſic conficit Andromachus.

Mari, amaraci ana drach. duas.

Aſari, aſpalatxi, ſchœnu anthus, calami aromatici, phu Pontici, xylobalſami, opobalſami, coſti, cinnamomi } ana drach. tres.

Myrrhę, folii malabathri, coſti, caſię, nardi Indicę, ana dr. ſex.

Amomi duplum. Maſtiches Chiæ drachmam vnam.

Omnia vino falerno ſparge, fac magma.

Hedychroi magmatis compoſitio alia ex Magno Galeni.

Aſpalathi radicis corticis, calami aromatici, ſchœnu anthus, phu, coſti, aſari, yxlobalſami, caſiæ maſtiches, foliorū malabathri } ana drach. ſex.

Nardi

Nardi Indicæ drach.ſexdecim. Croci drach.nouendecim. Amaraci drach.viginti. Cinnamomi,amomi,myrrhæ ana drach.vigintiquatuor vino falerno excipe, & opobalſami contactu. Paſtillos finge,ſicca in vmbra. Paſtillos Hedychroos iiſdẽ propè cõponit bis Actuar.ſed põderibus, vt hic quoque,mutatis,& quibuſdam omiſsis,quibuſdam additis.

THERIACES COMPOSITIO.

Paſtillorum ſcilliticorũ drachmæ quadraginta octo Andromachus, & cum eo cæteri: ſed Demetrius tempore Galeni factus etiam archiatros, tantum drachmas quadraginta ſex miſcebat.

Paſtillorum theriacorum
Magmatis ſicci hedichroi
*Piperis nigri Damocrat.
Opii
} ana drachmæ viginti quatuor.

Roſarum ſiccarum foliorum
Scordii Cretenſis
∵Bunialdis dulcis ſeminis, gongilidis agreſtioris ſeminis alii
Iridis Illyricæ odoræ
Agarici albi Pontici
Cinnamomi. Hæc duo omittit Andromachus pater, addunt filius & Damocrates.
Succi glycyrrhizæ,ſicci addit Damoc.
Opobalſami Iudaici boni
} Singulorũ drachmæ duodecim.

Myrrhæ Trogloditidis
Croci Corycii,vel potioris
Zingiberis ſicci & acris
∴Rhei Pontici integri
Pentaphylli radicis
Calaminthes ſiccæ, hoc eſt, nepithæ Romanis dictæ.
Praſii ſeminis,vel cum Damocrate, σφαιρίων,id eſt,verticillorum marrubii
Petroſelini Macedonici mõtani,tenuis ſeminis
Stœchados Creticæ,vel à Stœchadibus inſulis
Coſti candidi
} Singulorũ drach.ſex.

*Piperis longi drac.24.ponit And.pater:cui credẽdũ magis quàm filio ponẽti tãtũ drac. ſex. Illius enim pondera carmine elegiaco ſcripta deprauari non potuerũt: filij proſa ſcribẽtis potuerũt.

∵Napi Ruel. Act. Auic. Rapæ, Nic.

∴Rhabarbari Auicen.

z 3 Piperis

Piperis albi & longi. Cyanei Andro. pater.
Dictamni hęrbę Cretenſis.
**ἀμύκτου.* σχοίνου ἄνθος Damocrates: καρφίων alii, id eſt,
maſculi alij. iunci odore floris, σχοίνου εὐώδους alii
Thuris*inſecti,
Caſię fiſtulę nigrę corticis
Nardi Indicę
Polii Cretenſis comæ
Seſeleos
**Liquidæ Aui* *Styracis Pamphylii
cen. Calamitæ *Thlaſpeos tenuis Cre-
Nic. tenſis, vel potiùs Cappa
**θλάσπεως* docis magni
λεπτῆς. Ameos
Chamędryos } cãpeſtris
Chamępityos } Cretẽſ.
Hypociſtidos ſucci flauen
tes
Malabathri foliorum
Terebinthinæ
Nardi Gallicæ puræ
Gentianæ radicis
Aniſi ſeminis torrefacti
Mei Athamantini
Lachrymæ Succi acaciæ adhuc humi
alij. dæ Damo.
Fœniculi Cretenſis ſemi-
nis
Terræ Lemniæ
Chalcitidis toſtæ
Amomi vuæ
Acori
Phu pontici
Carpobalſami
Hyperici Cretenſis ſemi-
nis
Cardami, id Gummeos
eſt, naſturtij. Cardamomi

} Singulorum drachmæ quatuor Andromach. drachmę duę Damocrates.

Dauci

Dauci puri Cretici ſeminis Auic. & Nicol.
Galbani, χαλβάνης.χαλβάνιδις
Andromachus ſenior. Mumiæ Nicol.
Sagapeni recentis & veri Belzeard. Auicen. addit.
Opopanacis
Bituminis Iudaici
Caſtorei ſeu caſtoris teſticulorum
Comæ centaurii Cretici tenuis non recentis
Radicis tenuis ariſtolochiæ probè ſiccatæ Ariſtot. longæ Nicol. rotundæ Auic.

} Singulorũ drachmæ duę Androm. drachma vna Damocrates præſtantiſſ. Medicus, in lib. de antidotorum compoſitione verſibus ſcripto. Cæterà Andromacho conſentit.

Mellis Attici drachmas centum quinquaginta, ſeu libras decem Andromach. vini falerni, quod ſufficit. Aliam ordine contrario ſcribit Galenus, incipiens vbi alii deſinunt: à minimis enim ponderibus incipit, & deſinit in maxima, à quibus alii incipiunt. Incipit enim Dauci fructus, opopanacis, &c. ana drachmas duas. Polii comæ, ſeſeleos &c. ana duplũ, id eſt, drachmas quatuor. Myrrhæ, croci &c. ana drach. ſex. vbi etiam καλαμὸν additur: reliqua eodem ordine, dupla tamen proportione.

Ex his patet Andromacho per omnia conſentire Damocratem, præterquàm in duobus dictis ponderibus. Xenocrates etiam ſtudioſè in componendis medicamentis verſatus, per omnia Andromacho conſenſit, præterquàm quòd ſagapeni drach. tantùm duas miſcet. Magnus tempore Galeni etiam Imperatoris archiatros ſagapeni etiam drachmas tantùm duas, & chalciteos miſcet. Cinnamomum autem duplicat, & duos vini falerni ſextarios infundit. Alii autem qualicunque vini mẽſura vtuntur, vt poſtulat vſus. Cætera omnes Andromacho conſentiunt.

Modus componendi Theriacen.

Paſtilli theriaci, ſcillini, magma hedichroi dicta priùs tria genera, ſcilicet, herbæ, radices, ſemina. Piper *album & longum, roſæ ſiccæ, agaricum, crocus ſi ſiccus fuerit, ſphragis Lemnia, chalcitis toſta, amomum, cinnamomum, caſia fiſtula, opobalſamum, acacia (præterquàm ſi mollis ſit & liquida) caſtoreum. *aſpalathus, ſicca hæc terantur in pila Aegyptia, vel alia quoque duriſsima, ne aliqua huius ſubſtantia inter tundendum extrita, cum his prædictis remiſceatur. Læuigata hæc

Ad verbũ hæc omnia ex Gal. mutuatur Actuar.
*nigrum addit Act.
* ἄσφαλθος Act.

hæc cribro tenuiſsimo incernantur, vt in corpus promptius penetrent. Myrrha autem & crocus ſi non ſit ſiccus, vino macerata læuigentur, ſi tibi ita fieri tutius videbitur, vt crocus natura humidus non teratur. Omnes item opi, vt ſagapenum, opopanax, opium, acacia (ſi liquidior eſt, & tuendi contumax) ſuccus hypociſthidis, ſuccus glycyrrhizę, vino perfuſi ſoluantur, & ad lęuigationem fiant idonei.

Sed thlaſpi & gongilidos ſemen ſatius eſt per ſe in pila tundere (quia cum aliis tuſa mortario hęrent) deinde vinum affundere, quoad exactè diſſoluātur, tunc miſce his quę vino macerata & lęuigata fuerunt. Sic thus per ſe in mortario terere pręſtat, ſed leuiter ne lateſcat: & cretum in promptu habere, vt inſpergas his quę vino lęuigata ſunt. Gummi vino infuſum macerari poteſt, ac ipſum vel per ſe vel cum thure lęuigare. Sic quædam ex vino, alia per ſe lęuiganda. Cùm hęc omnia vniendi tempus erit, in vaſe duplici liquētur cum melle, prima reſina terebinthina, poſt hanc ſtyrax & galbanū prius confracta & cōtuſa in pila piſtillis aut vectibus ferreis, paucíſsimo mellis crudi addito. Vbi hęc noſtris digitis dilatata fuerint, iam liquata in melle reſinę excipiantur, & operculo vaſi aquę inſidenti impoſito diſſolue & coque. His enim vaſi iniectis ſatius eſt mel non amplius commouere his liqueſcentibus, arida immitte his quę lęuigata ex vino fuerunt, & miſce denuò, dum abundè craſſeſcant. Atque ita paulò pòſt his quę in mortario ſunt, cochleari magno quę liquefacta ſunt paulatim affunde tepida, & vir aliquis robuſtus ipſa in vnitatem cogat.

Vbi probè coierint, & craſſamenta adepta fuerint, craſſamq; maſſam oſtenderint, mellis cocti mediocriter & deſpumati nonnihil iniice: mox aliquam tritorum & cretorū portionem: deinde rurſus mellis quippiam: poſtea liquefacta miſce tepida, & omnia in*mortario grandi, cochleari magno valenter contere, & adiice quę ex aridis ſuperſunt, & mel. Vbi omnia in mortario per cochlear vnita fuerint, omnia è mortario tunc in*pilam coniicere oportet, ac vectibus ferreis omnino puris & nihil ęruginis habentibus, continenter tundere, illinendo vectes extremos opobalſamo, donec totā eius portionē abſumpſeris: ſic enim promptè opus abſolues: ſiquidem lentore medicamenti vectes detinentur, & ęgrè

*θυίᾳ

*ὅλμον

& ægrè à tundentibus leuantur. Præſtat autem in ſole tundere: ſic enim citius omnia in vnitatem coguntur. Poſteà pilam quæ medicamentum continet, tege, & poſt quatuor aut quinque dies ſimiliter in ſole contunde, atque id iterum & iterum poſt ſex aut ſeptem dies, vſque ad duos menſes, aut omnino ad quadraginta dies feceris. Tunc manu opobalſamo pauco intincta in vaſa pretioſa reponatur: ſic tamẽ vt illa non repleantur, ſed ſpatium aliquod relinquendum, quo perſpiret. Adhæc operculum ſæpe detrahendum eſt, vt liberius exhalet, & maturior ipſius vſus tibi contingat: longo enim tempore ad coctionẽ ſui antidotus indiget, vt poſteà dicetur.

Color eius quia virtutem non mutat, parui faciendus eſt: nigricat autem niſi propter chalcitidem malè vſtam, flauum aut fuſcum fiet, quæ quanuis pauca ſit (nam drach. quatuor) aliorum tamen colorem ſuperat.

Sic autem componit Damocrates: Succos, lacrymas, metallica ex vino terit, ad mellis craſsitiem arida cætera tuſa & creta tenui cribro protinus iniicit, & miſcet probè melle adiecto. Poſtea bis ter'ue feruefactum, vbi rurſus rigauit, imponit vaſi vitreo, argenteo, aureo, ſtanneo, corneo: vel ollæ denſæ, non vaſi ligneo.

Omnia ad theriaces compoſitionẽ neceſſaria ſunt abundè expoſita. Tamen temerarius fuerit, qui ex ſola lectione theriacen cõponere aggredietur: ſemel enim compoſitionẽ ſpectare omnino eſt neceſſarium. Deſcriptiones verò theriaces ab Andromacho patre, Damocrate, Critone verſibus expreſſæ magis recipiendæ ſunt, quòd memoria facilius tenentur, & quòd menſuræ & pondera in eis adulterari nequeant.

Vires antidoti Theriacæ ex Andromacho ſeniore primo lib. antid. Galen. & Damocrate.

Efficaciſsima eſt Theriaca contra potum papaueris, cicutæ, hyoſcyami, aconitũ, Medeæ pharmaca, cantharidas, morſum viperæ, ceraſten, dipſadem, dryadem, hæmorrhoon, phalangia, hydrum, epicherſum, amphisbænam, rubetam, cherſydrum, canis rabidi morſum, potionem veneni. Valida etiã eſt ad ſtomachum æſtuantem flatus ſtomachi, colicum dolorem à flatibus, phthiſin incipientem, aſthma, pleuritidẽ, empyema, icterum, hydropem, ſpaſmũ, tetanum, opiſthotonon,

emproſthotonon, veſicæ vlcus dolens, iſchuriam, ſatyriaſin, renum dolorem. Peſtem, & alia propè innumerabilia, quæ ſcribuntur in lib. de commodis theriaces.

VSVS THERIACES.

Datur Theriace vt Mithridatios, & cæteræ antidoti, ad præcautionem quidem fabæ Aegyptiæ magnitudine ſemel cum tribus aquæ calidæ cyathis.

Lib. 1. antid. Ad curationem verò ſumpti iam veneni quotidie bis detur quadruplo vel quintuplo aucta. Capitur autem hora ſomni, vel manè, vel vtroque tempore. Manè quidem his, qui die ægrotant: veſpere verò his, quibus nox eſt moleſtior.

Damocrates. Da autem potui nec recens nimis, nec vetuſtate peraridum, quale ſi fuerit, cum pauco melle iterum feruefac, & diu tere, tandem habebis vtile, quod valebat nihil, ſed inualidius, eò quòd ſemel tantùm miſcuiſti. Recens verò præpollentem adhuc habet opii frigiditatem, eoq; ſtupefacit, nec præſtat quidpiam promiſſarum prius virium, quoad fuerit percocta. Tempore autem longo, plurimum annis duodecim ad coctionem eget antidotus: vigentior autem validiorq; eſt ab anno quinto, ſexto, ſeptimo, præſertim in his, qui à virulentis feris, aut cane rabido morſi ſunt, & pharmacis lethalibus petiti. Hi enim omnes cùm grauem noxam ab his venenis acceperint, potẽtiore theriace indigent. In aliis verò affectibus vbi tanta noxæ cauſa non eſt, ſufficit vel ſexagenaria theriace. Potens enim eſt ad annos triginta.

Valida autem & vigens iudicatur, ſi data poſt medicamentum aliquod purgatorium, ſua virtute, medicamenti purgantis efficaciam euincat, & medicamẽtum purgare prohibeat. Quòd ſi purget, perinde ac ſi homo theriacen non ſumpſiſſet, liquidò conſtat adulterinam eſſe, ac vires eius inualidas, aut vetuſtate confectas eſſe, vt ne medicamenti quidem virtutem ſuperare potuerit. Quam tamẽ Marco Antonino Imperatori ex recente cinnamomo primi generis parauit Galenus, ſumpſit ſtatim Imperator, non præteritis adhuc menſibus duobus integris, non expectata medicamenti coctione, Gal. 1. antidotorum.

Theriace vt Mithridatios ſingulis diebus ſumpta, omnino à deleteriis & lethalibus pharmacis ſecuros reddit: ſumitur autem ad fabæ Aegyptiæ quantitatem ex aqua, aut vino,

aut

aut melle, aut per ſe. Huius quotidiano vſu Aurelius Antoninus Romanorum Imperator (cui etiam medicus fuit Galenus) à graui ſopore, quo in actionibus ſuis cùm premebatur, ſanatus eſt, adempta papaueris lacryma. Cùm autẽ poſteà bonam noctis partem duceret inſomnem, tum ob ſiccitatem naturalem (erat enim ſiccioris temperamenti natura) & ex longo vſu medicamenti ſiccantis acquiſititiam, tum ob omiſſum conſueti & ſoporiferi medicamenti vſum, coactus eſt etiam theriacam cum papaueris lacryma compoſitam, ſed inueteratam adiicere. Nam in huiuſmodi medicamẽtis opium vetuſtate miteſcit.

Morſus ab animali venenato ſumpta theriaca omnino euadit, & hac præſumpta ſi pòſt mordetur, non moritur. Quod ſæpe prætores in noxiis hominibus probarunt, Galenus in aliis animalibus. Quotidie tota vita ſanis ſalubriter ſumitur Theriace, ſiue venenum metuant, ſiue vt diuus Marcus Imperator, corporis iuuandi gratia, hoc vſus etiam affatim, & veluti alimento quodam. Vnde initium magnæ æſtimationis Theriaces, & vires actionis eius hominibus innotuerunt, & ſub illius ſeculi maximis Imperatoribus in publicum vſus eius prodiit.

Antidotus Eſdrę (quiſquis is fuerit) eadem propè pollicetur, quę Theriace, ſed hac multò eſt ad omnia imbecillior, ob id obſcurata euiluit quouis modo parata. Nã Actuario ex 27. cõponitur: Aëtio & Paulo ex 47. nec iis omnino iiſdem, nec eodem pondere: Nicolao ex centum quadraginta quatuor.

Ambroſiam & Athanaſiam à iunioribus Medicis nominatas eſſe antidotos, docet Gal. libro 8. meth. haſque calfacere & ſiccare, vt Theriacen. Has quoq; tres antidotos, Ambroſiam, Athanaſiam, Theriacen, ſumptuoſas eſſe dicit lib. 14. meth. et ſalubriter ſumi contra internos abſceſſus, præſertim viſcerum, vt collectum humorem in halitum reſoluant, & digerant: & in lib. ſanit. tuendæ harum meminit.

Antidotum Mithridatis Athanaſium triplex, lib. 2. antidotorum. Eſt & Athanaſia hepatica Alexandri Tralliani, & Athanaſia Oribaſij apud Paulum, & Ambroſia Philippi Macedonis, lib. 2. antidot. quarum nulla eſt hodie in vſu, aut non admodùm frequenti, quòd harum loco Mithridatios aut Theriace recipiantur, adeò magna omnium fide & ſummis ſuc-

ceſsibus probata, vt myropolæ quidā circumforanei in Gallia quæſtum vicatim faciant ſuis neſcio quibus compoſitionibus, quas tamen Mithridatij & Theriaces nomine diuendunt. Hæ igitur Athanaſiæ, Ambroſiæ, Achariſti, Hadriani, Hæmagogi, & aliarum quarundam Arabibus celebratarum compoſitionum loco fuerint, vt velut poſtliminij iure in vſum redeant, cùm eadem omnia præſtent, multoque feliciùs, quàm Arabum compoſitiones ex iſtis excerptæ, additis aut ablatis quibuſdam, neque his magni momenti.

AVREA ALEXANDRI ANTIDOTVS.

Recipit aſari
Carpobalſami
Seminis hyoſcyami } Ana drach. duas & dimidiā. 55. Had.

Caryophyllorum
* Myrrhæ oēs legunt,
Ciperi
Opij Thebaici } Ana drach. duas. 36. Had.

* μύρτα. id eſt, baccas myrti Actuar.

Opobalſami
Cinnamomi
Folij
Zedoariæ
Zingiberis
Coſti
Corallij rubri
Caſsiæ ligneæ
Euphorbij
Tragacanthi
Thuris
Styracis
Nardi Celticæ
Mei
Cardamomi
Seſeleos
Napeos, ſeu ſeminis ſinapi. Ei⁹ loco ſelino. i. apiū Actua.
Sarxiphagi Act. radicis ſaxifragię alij
Anethi — Hoc Actuarius omittit.
Aniſi } Ana drachmam vnam. 18. Had.

Xylo

Xylaloës
Rhei Actuarius. Rha barbari & Rhei Pontici Arnaldus.
Luphiæ cōpoſitæ Actua. Aliptæ moſcatæ, quod idē eſt, alij.
Caſtorij
Spicæ nardi
Galangæ Act. & cæteri.
Opopanacts
Anacardij
Maſtiches
Sulfuris viui, omnes.
Pœoniæ radicis
Eryngij
Roſarum. Actuar. omittit.
Thymi
Acori
Pulegij. Eius loco habet Actuarius Halicacabi.
Ariſtolochiæ longæ Actuarius vtriuſque alij.
Gentianæ
Corticis radicis mandragoræ
Chamædryos
Phu. Act. radicis Valerianæ alij.
Baccarum lauri
Dauci Cretici
Ameos
Macropiperis
Leucopiperis, oēs pręter Actua.
Xylobalſami
Carui, omittit Act.
Amomi
Petroſelini ſeminis
Libyſtici ſeminis, Act. leuiſtici (alij.
Seminis rutæ
Seminis ſinonis. Eius loco hyſſopi habet Actuarius, & addit electri, id eſt, ſuccini

Ana exagium dimidium, Actua. drach. dimidiam, ſed drach. vnam & dimidiam, Arnaldus.

Auri

Auri } { Limaturæ
Argenti } { tenuiſsimæ
Margaritων, Act. ambarum margaritarũ non pertuſarum & pertuſarũ alij.
βλάττου, Act. i. onychis
Oſsis cordis ceruini
} Ana exagia duo & dimidium, Actuarius: alij ſingulorum grana quatuordecim tantùm.

Eboris
Calami odorati
Pyretri
} Ana ℒ.ϛ. ſeu drach. ſex, Actuar. alij tantùm grana nouem vel octo.

Mellis quãtitatem ſufficientem: mellis deſpumati libras tres, Arnald. Mel tacet Act.

Hæc antidotus aurea, vel ab auro quod recipit, vel à pretio & virium præſtantia dicitur. Cuius autem Alexandri an Philoſophi an Medici, vel alterius, compertum non habeo.

Efficax eſt contra defluxiones capitis frigore conceptas, oculorum lacrymas exſiccat, dentium dolores lenit, & capitis omnes cruciatus à frigido vel humido illita fronti. Comitiales, inſanos, vertiginoſos, paralyticos, apoplecticos, mulcet. Tabidis, tuſsiculoſis, aſthmaticis, ſanguinem ſcreantibus, cardiacis, iſchiadicis, colicis, nephriticis, dyſuriæ, ſtranguriæ, iſchuriæ preſenti eſt auxilio. Calculos renum & veſicę comminuit. Quotidianis & tertianis febribus circa acceſsionis initium cũ decocto ſtœchados eximiè medetur. Has eius vires ab Actuario celebratas fuſiùs explicat Arnaldus in lib. de antidotis: ſed ſi ad Mithridation & Theriacen ſpectes, vſu plurimo maiorum noſtrorum probatiſsimas antidotos, & omnia hæc ac multò plura feliciſsimè pręſtãtes, nihil eſt, quòd Arabum Auream, Hadrianum, &c. antidotos laudes.

Initio, ſtupefacit vt theriace, inueterata, coctis ſimul omnibus calida euadit, affectibus ob id frigidis ſalutaris hæc aurea. Aurum, argentum, ebur album tenuiſsimè limatum vult Arnaldus, Balſamum melle modico diſſolutum miſcetur.

Doſis eſt quantitas auellanæ.

Adſcripſeram quoque his alias antidotos διὰ κόκκων βαφικῶν, διὰ μόσχου, διὰ ἀρωμάτων, διὰ κομαρῶν, διὰ μαργάρου, δι' ἄνθων, δι' ἀνακάρδων, arteriacas, thoracicas, ſtomachicas, catharticas, hieras, trypheras, & alias reliquas vſurpari hodie conſuetas.

Catapo

Catapotia quoque mitiora, valentiora, mediocria. Throchiſcos item atque condita & ſyrupos, in quibus ſumendorum materia ferè continetur. Sed cùm mihi Meſuæ antidotarium eſſet in manibus, plurimaque iam dictorum ex Meſue ipſo deſcripſiſſem, æquius putaui ea omnia ad Meſuem referre, ne dictum dicerem.

DE SVCCIS MELLE AVT SACCHARO CONDITIS.

QVoniam facilius eſt impleri potu quàm cibo, tam ſanis quàm ægris, & potus ob liquiditatem linguam promptiùs & altiùs afficit, ac os ventriculi cæteraſque partes, quas celeriter permeat, maximè ſoliciti fuerunt maiores noſtri de potu ægris iucũdo & ſalubri: partim ad ſitim extinguendam & partes principes roborandas: partim ad liberandas obſtructiones, finiendamque alterando putredinem: partim ad tenuandum craſſa excrementa, incidendum, & tergendum lenta: partim ad ea vi naturæ iam ſecreta vacuandum per vrinas aut ſudores, interim per vomitum & deiectionem, ſi præſertim eo natura vergebat. Quam rem indicant potio ptiſſanæ, vinum ex aqua, hydromeli, oxymeli Hippocratis, lib. 3. rat. victus in morbis acutis. Idem declarat Galenus ſuo oxymelite in ſanitate tuenda, & methodo medendi, & ſuo hydromelite, cui interdum ad craſſa tenuandum, & lenta incidendum, tergendum, vt promptiùs purgarētur, incoquebat hyſſopum vel thymum, vel pulegium, vel calaminthen, vel origanum, vel ſatureiam, vel aliquam ex his ſimilibus. Idem Oribaſij, Aëtij, Pauli. Tralliani, ἥδεα ὠφέλιμα, πόματα, προπόματα, ἀποζέματα, id eſt, ſuaues, vtiles potiones, propinationes, deferuefacta ex herbis vel radicibus, & decocta moliuntur. Idem Actuarij potiones febricitantium inſcriptæ. Idem recentiorum pręcipuè Arabũ promittunt, & pręſtant ſyrupi, vel quaſi ex Syria delati primùm ὀποὶ, id eſt, ſucci conditi, vt Hermolao videtur, vel συροῦντες ὀποὶ, id eſt, trahentes ſucci, quanquàm pauci facultate trahendi ſint præditi: vel corrupto nomine pro σύνοποι, vel pro σιράπια, qua voce Actuarius & Simeon vtuntur. De quibus & aliis ægrorum potionibus cur hic fuſiùs non ſcribam, paulò antè docui: mihi nunc ſatis eſt, pauca quædam ſtomatica & ſtomachica ex Galeno adſcribere, quæ ſyrupo

Aph. 24. lib. 1. & lib. quos purgare oportet.

ſyruporum typus quidam fuerint.

Lib.8.c.ph.p. Diacydoniων Galeni appetẽtiam languentem excitat, coctionem ciborum iuuat, iecur & ventrẽ totum roborat, ventriculi diſpoſitiones propè omnes, exceptis quæ ab æſtu vehementi fiunt, modicè iuuat. Recipit carnis malorum cydoniorum, mellis, aceti albi, ana lib tres. Piperis, zingiberis ana vnc. tres. Petroſelini Macedonici vnc. vnam. Paulò aliter in fine lib. 6. ſanit. tuendæ. Succi malorum cotoneorum, ſtruthiorum (quę maiora ſunt & dulciora) mellis boni Attici ana ſextarios Romanos duos, aceti ſextariũ vnum & ſemiſſem, aut ſi abundè ſit acre, ſatis eſt ſextarius vnus. Vbi modicè ſuper prunas coxeris ad mellis Attici ſpiſsitudinem, & deſpumaueris, adde zingiberis vnc. tres, piperis albi vnc. duas. vnc. j. lib. 8. ſ. partes: deinde igni ſimili recoques, ad mellis craſsitudinem. Si id aſtringere magis voles, fac ex cotoneorũ ſucco. In calido autem ventriculo aut bilioſo aufer piper & zingiber: in frigido & pituitoſo zingiberis vnc. quatuor, piperis vnc. tres, vel duas & dimidiam. In mediis temperamentis dimidium miſce. i. zingiberis vnc. vnam & ſemis, piperis vnc. vnam, lib. 6. ſanit. tuend. vnum aut duo cochlearia ſunt danda, lib. 8. meth.

Diacydonion medicamentoſius eſt apud Nicolaum tale.

Carnis cydoniorum excorticatorum, exenteratorum, in aqua elixorum lib. tres tere, cerne: deinde in mellis deſpumati lib. quatuor & ſemiſſe coque, ſemper mouendo rudicula, donec craſſeſcat, nec digitos inquinet. Ab igne depoſito miſce paulatim rudicula ſemper ducendo cinnamomi vnc. vnã & ſemiſſ. zingiberis vnc. vnã, piperis, galangæ ana ſemunc. caryophyllorũ, nucis moſchatæ ana drach. tres, ſpicæ nardi, xylaloës, macis, cardamomi ana drach. duas, zeduaris drach. vnam. Eſt apud Meſuen eius deſcriptio triplex inuſitata. Dia çydoniων μήλον, catharticum Alexander ad podagrã deſcribit. Hodie ſuccum & carnem cydoniorum ſaccharo condimus ſine aromatibus, ad menſæ dona ſecundæ præcipuum, & aluum cohibendum.

Nicolaus ex ſucci mororum hortenſium lib. ſemiſſ. ſucci batinorum libra vna, mellis lib. ſemiſſ. ſapæ vnc. trib. coquit donec marmori affuſum ipſi inhæreat, & digito tactum parum ſequatur, mox in ſe reſiliat, ad palati excoriationes, ardorem

rem

rem faucium & gulæ, ac initium ſynanches.

Meſues amborum mororum ſucci ana lib. 1. ſemiſſ. & ſapæ & mellis ana lib. vnam, coquit ad mellis ſpiſsitudinem. Compoſitius fit addendo aluminis, myrrhæ, croci, omphacii ana, ſi opus eſt. Succus per ſe initio eſt efficacior, etiam aliis aſtringentibus, rho, balauſtio, roſis: miſtus poſt principium cum melle eſt melior ſuccus.

Dia moron Galeni ſtomaticum ſeu ad partes oris inflammatas dum affluit materia. Succi mororum libras quinque coque per ſe ad ſordium conſiſtentiam, poſteà cum mellis libra vna. Id medium eſt, ac plurimis admodum placet, vt neque de mellis dulcedine, nec de ſucci auſteritate conquerantur. Salubre initio phlegmonarum oris: quas ſi valentius vis repellere, ſucci rhois vel omphacii vnc. vnam, vel duas, vel tres toti ſymmetriæ miſcebis, vel florem roſarum, vel roſas ipſas, balauſtium, cytinum, malicorium, gallam immaturam, piceæ aut thuris corticem, ſuccum hypociſtidis, aut lentiſci, & alia aſtringentia non corruptricia, qualia ſunt miſy, ſori, chalcitis, chalcanthum: niſi quòd huius drachma vna toti medicamento miſcetur, vbi in ore, gula, ſtomacho, ventriculo vlceroſa eſt diſpoſitio: plus autem chalcanthi ad vlcus malignum & putridum dictarum partium. Vbi autem conſtitit fluxio, miſce toti compoſitioni croci, myrrhæ ana ſeſquidrachmam ad phlegmonem coquẽdam. Crocus enim aſtringendo myrrham multo ſe tenuiorem & calidiorem intrò in altum impellit, vbi ſuccos tenuat, & à croco foras citius efferri prohibita digerit. Addit Andromachus croci, myrrhæ, aluminis ſciſsi ana drach. vnam, alii huius drach. duas. Idem probè addit glycyrrhizæ drach. viginti, quæ aſperitatem ex auſteris ori innatam mitiget. Eiuſdem ſuccus ſtomaticis omnibus antidotis miſtus præſtantiores eas reddit. Coquunt eandem gargariſmata ex ficis pinguibus, ex mulſa aquoſa, ex calẽti ſapa, oleo lentiſcino in vaſe duplici calfacto, vel ex aqua calente. Coquentibus autem his in ſtatu vtendum, in declinatione valenter digerentibus.

Lib. 6. c. ph. p. Heras etiã ſuccũ per ſe præcoquit, ſtatim cum melle. Sapã ne adde cum Arabibus diamoro, etiãſi falsò aſtringat ſapa Dioſcoridi: nec additur à Gal. Aëtio, Paulo, Trallia no.

Cocta phlegmone vel etiam ſcirrhoſa digerens aliquid toti medicamento incoque, vt nitri vel ſpumæ nitri vnc. ß. vel ſulfuris viui ſextantem, vel ſapam, cui incoctum ſit origanũ, hyſſopum, pulegium, ſaturea, thymus, calamintha ſylueſtris

A & dom

& domeſtica, ſeu mentha odorata, quam à grato odore Græci veteres hedyoſmon vocarunt. Medium facultate hoc remedium mediocribus phlegmonis & maiorum ſtatui confert. Crocus autem & myrrha, & ſi qua alia aromata miſcenda ſint, adde in fine coctionis, & cùm ab igne es medicamentum ſublaturus, agitando, donec omnia pulchrè cogantur. Nam largior ipſorum coctio vires eis adimit.

Multiplex igitur eſt diamori compoſitio, quia affectus per tempora varius eſt, cui medetur, & ob id quòd non omnes eadem miſtionis menſura delectat.

Diabatinon, id eſt, ex ſucco mororum bati ſeu rubi eſt valentius diamoro, infirmius diacaryo. Ob id Meſues & Nicolaus ambos ſuccos miſcent, ſucci mororũ domeſticorũ lib. ß. ſucci mororũ batinorũ lib. vnam, mellis lib. ß. ſapæ vnc. tres.

Si verò ſimplicem illam habeat medicus, ſufficit in omne tempus phlegmones, additis tunc quæ vnumquodque poſtulare videbitur. Multiplex etiam eſt Alexandro: cui etiam & Actuario diacaryon deſcribitur, ſed Galenum ſequimur.

Dia *καρύων* ſtomaticon ſuaue, paratu facillimum, omnium efficaciſsimum ad oris phlegmonas ob eſſentiæ tenuitatem, Galeno inuentum & conſuetiſsimum.

Cortices exteriores nucum virentium & vigentium finita æſtate tere in pila, ſuccum per linteum cola, cum melle coque, deſpumando ad melleam craſsitiem: hoc in partes quatuor diuide, vt Galenus ſemper diuiſit, primam ſerua ſynceram, pueris, mulieribus, viris delicatis vtendam, ob eius dulcedinem. Id etiam ſolum mediocres phlegmonas interdum perſanat celerrimè. Secundæ parti aſtringentium aliquid miſce, ad repellendum affluentem adhuc initio phlegmones ſanguinem. Tertiæ croci & myrrhæ portionẽ ad coquendum vigentem iam phlegmonem, cùm ſcilicet fluxio ceſſauerit. Quartæ ſulfur viuum, aut nitrum, & acria quædam ad digerendum, quod ex humore phlegmonẽ faciente fuerit impactũ: quoniam ea quæ affluxerunt, vacuationẽ poſtulant.

Cùm autem pauper medicus has quatuor compoſitiones propter ſumptum parare nequeat, nec qui iter agit, has ſecum circumferre, ſatius eſt facere compoſitionem vnam mediam, ex ſucco mole aut mẽſura quintuplo ad mel, quale diamoron fecimus, & tempore vtendi pro varia indicatione à

morbi

morbi tempore,& ægri natura hæc prædicta adiungere.

Similia his ſtomatica ſunt, ſed viribus inferiora διὰ γλεύκους, id eſt,ex muſto & ſapa, διὰ ῥοιῶν, id eſt,ex granatorum ſucco, δι᾽ ἀχράδων, id eſt ex pyris ſylueſtribus, διὰ μήλων, id eſt,ex cydoniis. Et ex ceſtianis,meſpilis,cornis,& aliis fructibus aſtringentibus tritis, preſsis, reſidendo depuratis,colatis, cum melle coctis. Sunt autem hæc omnia non modò ſtomatica, ſed etiam ſtomachica & euſtomacha, id eſt, quæ deglutita iuuant ſtomachum. Diacarion autẽ cacoſtomachum eſt,ac ſtomacho noxium,plurimo melle eget: poſt id Diabatinon,Diamoron,ſed διὰ μήλων,διὰ ῥοιῶν, δι᾽ ἀχράδων parciore. In horum medio eſt ſuccus meſpilorum, cornorum,brabylων,prunorum. Succo igitur cydoniorũ & pyrorum ſylueſtrium, & plurimorum fructuum miſce æqualem mellis portionem. Succus autem aſtringentium inſigniter,vt cornorum duplicatum, & interdum triplicatum mel requirit, Gal.lib.6.& 8.comp.phar.part.

Διὰ γλεύκους fit ex menſura quauis muſti auſteri, quod ex vuis amineis poſtremum fluxerit(nam quod primum fluxit, eſt liquidius & aquoſius) & melle, additis his, quæ diamoro & diacaryo miſceri poſſe diximus aſtringentibus, coquentibus,digerentibus eadem proportione. Διὰ γλεύκους Critonis etiam ad aurium & ſedis vitia vtilis compoſitio eſt, Gal.lib. 6.c.ph.p. Si autem ex muſto dulci fiat, mitigat quidem, ſed minus repellit: ex muſto autem auſteri & dulcis medio, vim mediam obtinet. Coquit id Andromachus ad quartæ partis conſumptionem: alii ad melleam craſsitiem, deinde colant, & mel ſimul coquunt,præſertim vbi ſuccus eſt liquidior:vbi verò craſſus, mel ei ſtatim coctionis initio miſcent: & valet phlegmonarum oris initio,incremento,& ſtatui: ad declinationem verò tedas pingues tuſas incoque. Si ſumptuoſius vis medicamentum aliquod ex his, adde caſiæ corticem,vel nardum Indicam, vel folium malabathri, vel ſingulorum trium ana drachmam vnam vel ſeſquidrach. pro libra vna mellis. Si diuitibus paras, amomum miſce quantum crocum, aut myrrham, aut alumen: percolato ſtomachico maſtichen Chiam interdum miſcuit Galenus. Hæc ſtomatica vel gargarizantur, vel illinuntur, vel ore ſæpe & diu continentur vel etiam horum quædam prædicta deuorantur,& ſtomachica ſiunt,

Stomatice διὰ ῥοίων, id eſt, granatis auſteris, acidis, dulcibus, maturis & integris æquali portione tritis cum corticibus, coctis cum melle, ſtomacho reſoluto & cibos auerſanti idonea eſt.

*κιλιανμένων.

Crito autem aliter granatorum dulcium cum corticibus *tritorum & expreſſorum ſextarios ſex, mellis boni ſextarium vnum coquit ad mellis craſsitiem, deinde addit aluminis ſciſsi vnc. vnam, myrrhæ ſemunciam. Alia eiuſdem ad vlcera oris & aphthas, id eſt, oris puſtulas, ſucci granatorum dulcium heminas ſex coque igni lento in vaſe æreo ad tertias, deinde adde cinnamomi, caſiæ, myrrhæ, ana drachmas vnam, omphacii, croci, nardi Indicæ ana drachmam ſemiſſem, mellis heminam. Vtraque ſuo tempore præſtantiſsima. Paulò diuerſius Andromachus apud Galenum ſtomachicen hanc componit, ſed viribus propè iiſdem.

Medicamenta ſtomatica ex ſucco mororum, batinorum, granatorum, cydoneorum, cornorum, corticum nucum multa, vt vides, medici ſcripſerunt, ponderibus & menſuris variantes: alii enim omnia vel aſtringentia, vel digerentia, vel vtraque iniiciunt, nonnulli adimunt, alii aliud. Item hi plus illi minus indunt. In quibus conſiderandum eſt, quod copioſius eſt inditum, an aſtringens ac repellens eſt, an lenit, & coquit, an digerit: ita nanque licebit ipſis probè vti. His affines ſunt & ſucci per ſe ſiccati ſole vel igne, vel cum melle, aut ſaccharo, aut vtroque cocti: hiq; tam herbarũ quàm fructuum, quos iure meritiſsimo ſyrupis multis nulla ſæpe ratione compoſitiſsimis prætulerimus.

*

FINIS.

INDEX RERVM OMNIVM QVAE HOC OPERE CONTINENTVR.

✳

ABortum prohibentia 107
Abrotanum 30
Abſceſſus coquentia 14.100
Abſinthium 28
Abſinthij facultas 237
Abſinthium Ponticum videtur eſſe Romanum Meſues 29
Abſinthium noſtrum 29
Acacia 73.81
Acacia vulgò dicta nullo errore vſurpatur pro veterum 73
Acantha 30.47
Acer ſapor 149
Acerbus ſapor 148
Acetabulum 332
Acetum 70
Achoras curantia 22.51
Acidus ſapor 149
Acorus 13
Acorus verus, galanga maior hodie dicitur 13
Acorus paluſtris 13
Acorus verus vnde aduehatur 13
Arorus videtur quibuſdam calamus aromaticus 13
Actiones ſecūdas et tertias ex primis et ſimplicibus colligimus 141
Adeps omnis 102
Adiantum 30
Αδιψος 54
Admouendorum varius applicandi modus 341
Adulteria ſimplicium à quibus fiunt 275
Aër quando cauſa ſalubris 192
Aëromeli 71
Aerugo 92
Aes vſtum 91
Aetites 99
Affectus ſpecies à quibus indicatur 268
Affectus paruus, recens, ſuperficiarius, mitiora poſtulat medicamenta: in contrario, contrà 217
Affectibus applicanda medicamenta æqualia viribus 217
Affectus quando plures ſunt implexi, vrgentiori maior vis remediorū in cōpoſito opponenda 218
Affectus præter naturam quomodo facilius pelluntur 239
Affectus in ore ex fluxione curantia 59
in Affectibus compoſitis vrgentioris eſt habenda ratio 117
in Affectibus cōpoſitis eiuſdem naturæ minus neceſſe eſt compoſito medicamento vti 118
Agallochum 63
Agaricus 13
Agarici facultas 14
Agarici doſis 14.234
Agaricus dictus ab Agaria Sarmatiæ regione 14

Agaricus quomodo corrigitur 14
Agaricus ſeruatur quinque annis 14
ἀγγεῖον δίπλουν 320
Αγνος 30
Agrimonia 33
Allium magnetis vim obtundit 161
Aloë 73
Aloës doſis 234
Alopeciæ quomodo admouetur medicamenta 267
Alopeciam difficilem quomodo curamus 192
Alopecias ſanantia 44.76.99.102.161.& 211.259
Alphos ſanantia 19.26.44.48.97
Alterci ſuccus 72
Althæa 14
Althææ facultas 14
Althæa vnde dicatur 14
Alumen 95
Aluum emollientia 30
Aluum ſubducentia 60.73.80.95
Alyſſos 31
Amaracus 36
Amaracinum vnguentum 35
Amaracinum vnguentũ diuerſum à ſampſychino 36
Amarus ſapor 149
Ambroſia antidotus 363
Ameos ſemen 47
Amianthus lapis 99
Amomum 46
Αμπαρ 86
Αμπελος λευκὴ 16
Amphisbæna 161
Amphora 330
Amygdala 52
Anacardus 53
Anaſarcæ auxiliantur 165
Anaſtomωticum quod 143
Anethum 31
Anginis quæ proſunt 42.107.162
Animalia & eorum partes 100
Aniſi ſemen 47
Anodynum quod 145
Anthera 44
Αντιβαλλόμενα ſimplicia ordine alphabeti 286
Antidoton quid 342
Antidotus Eſdræ 363
Antidota ante ſiue poſt deleteria quomodo ſumenda 237
Apiaſtrum 36
Apium ſatiuum 14
Apium vulgare eſt Eleoſelinon 15
Apiorum genera omnia idem pollent 15
Aphthas curantia 59
Appetitum excitantia 17.54.82.368
Arabiſtarum componendi medicamenta ratio damnatur 112
Arancium malum 56
Argentum 88
Argentum viuum 88
Ari radix 15
Ari maſculi ſuccus 72
Ariſtolochia 15
Ariſtolochiæ triplex radicis figura Gal. diſtincta 15
Ariſtolochia quãdo effodienda, & quomodo ſeruanda 15
Armenia terra 100
Armenius lapis 97
Arnogloſſum 37

Aromata quæ ſunt 108
Aromatica medicamenta 64
Aromata tenuis eſſentiæ facilè exanimantur 108
Aromata ſunt miſcenda ad finem coctionis 211
Arrhenicon 90
Arthritis in plethorico corpore quomodo curanda 257
Arthritica 155.165
Arthriticis quæ proſunt 21.102
Aſarum 16
Aſarum quando fodienda 16
Aſelli 106
Aſparagus 16
Aſparagus Regius & Helius 16
Aſparagus Petræus 16
Aſperæ arteriæ affectus & laryngis quomodo curantur 261
Aſperitates arteriæ lenientia 20. 82.87.
Aſphaltos 100
Aſphodelus 16
Aſphodelus autumno legitur 16
Aſpodelus muribus venenum ibid.
Aſſando quomodo medicamēta præparantur 299
Aſthmaticis quæ proſunt 48.82. 104.106
Aſthmaticis quæ obſunt 50
Aſtrorum ortum & occaſum negligit Galenus in vſu medicamentorum 250
Aſtrorum ratio in quibuſdam plantis colligendis obſeruatur 12.175
Athanaſia antidotus 263
Attrahens quod 143
Aurea Alexandrina antidotus 364
Aureæ Alexandrinæ vires 366
Auribus purulentis conuenientia 40.165
Auribus quomodo medicamēta infunduntur 259
Aurium dolorem ſedantia 162. 259
Aurum 88
Auſterus ſapor 149
Autoris ratio in vtendis nominibus medicamentorum, & ponderum ſcribendis 339

B

Balanus myrepſica 17.53
Balauſtium 41
Balſamum 57
Baſiliſcus 161
Βασιλικοκαρωδὸς 48
Baſis medicamenti quomodo deligatur 176
Baſis & radix medicamenti quid 177
Baſis vt rectè conſtituatur quid ſciendum 177
Baſis ipſius coctio, aſſatio, tritura, vſtio, lotio, &c. etiam rationem ſine quo obtinent 198
Baſi adduntur quæ toti parti ſunt familiaria 195
Baſi adduntur quæ ipſam in partes remotiſſimas conuehant 195
Baſis ob quatuor ad particulam aliquam deducitur 195
Baſi adduntur quæ ipſam deductā ad partem ei aff gant 196
Baſis ſine quibus affectum profligare non poteſt 195
Baſes congeneres miſcentur, nempe mite aliquod vehementi, vt habeatur medium 179
Baſes diuerſæ quare miſcentur 178

Baſi adduntur medicamenta, quæ in ſuo vigore conſiſtunt 197
Baſibus admiſcenda non ſolùm quæ ipſam ad partem familiarem ducant, ſed etiam quæ in ea retineant 212
Βάτος ἰδαῖος 61
Bdellium 85
Bechica quæ 147
Behen 16
Ben 53
Berſilium lignum 63
Beſanum, Beſaſa 38
Beta 31
Betonica 31
Bilem atram purgantia 53.62.97.158
Bilem atram facientia 70
Bilem flauam ducentia 25.53.54.55.56.60.74.78
Bilis flaua coquenda 157
Bilem vtranque vacuantia 19.24.43.159
Bilem vtranque & pituitam ducentia 159
Bilem & pituitam ducentia 159
Bilioſis conuenientia 55.70
Bilioſis contraria 71.74
Βλάττος βύζαντος 107
Blitum 31
Borago 31
Bombacis ſemen 47
Branchos ſanantia 85
Braſsica 31
Braſsicæ ſuccus 72
Braſsica marina 31
Bryoniæ radix 16
Bubonas coquentia 101
Bugloſſus 31
Buphthalmi flos 41

C

Cabaret Gallorum eſt Aſarum 16
Cacochyma quæ 147
Cadmia 93
Κάλος 333
Calaminthe 32
Calamus aromaticus 17
Calami aromatici electio 17
Calculos renum confringentia 26.31.48.58.85.98
Calculos frangentia 17.20.30.82.83.100
Calculos veſicæ diminuentia 39
Calor quas actiones edat 126
Calx viua 97
Cancanum 82
Cancris quæ proſunt 93.94.97
Cancrorum cinis 106
Canella noſtra quid 66
Cantharides 106.161
Caphura 82
Capillos tollentia 83.90
Capillos reddentia 30.54.76
Caput quæ roborant 86
Capitis dolorem facientia 161
Capitis dolori ab æſtu quæ proſunt 190.253
Capiti quomodo admouemus medicamenta 252
Capiti quales cucuphæ applicentur 252
Capparis radicis cortex 17
Capparis flos & fructus 17
Carbunculos perrumpentia 40
Cardamum 48
Cardamomum 49
Cardiaca 151
Carduus benedictus 32

Cari

INDEX.

Cari ſemen 48
Caricæ 58
Carpeſium 57
Carpobalſamum 56
Κάρυον βασιλικὸν 59
Caryophyllum 41
Caſia 66
Caßia fiſtula 57
Caßiæ fiſtulæ doſis 236
Caſtorium 104
Catharrhos ſanantia 51.85. 100
Cathartica quæ 146
Cathæretica quæ 145
Cathæretica quomodo adhibenda 256
Cauſtica 31.48.77.79. 90
Cauſtica quomodo adhibenda 256
Κιχράμιδες 46
Centaurij magni radix 17
Centaurium minus 17
Cephalica 149
Cephalalgicis proſunt 18.40.54. 86.106
Cera 72
Cera liquabilibus vt materia miſcetur 210
Κεράμιον 333
Ceraſi gummi 82
Cerati Galeni vſus 264
Cerebella paſſerum 102
Cerebrum roborantia 20.76
Cerebri menyngum vulnera glutinantia 33
Ceruſſa 94
Ceſſatio à vacuationibus alijs cauſa eſt ſæpe per accidens huius vel huius vacuationis 198
Calcanthus 92
Chalcitis 92
Χαλκοῦς 322
Χαμαιβάτος 61
Chamædrys 33
Chamæpitys 33
Chermes 107
Χήμη 335
Chœradas ſanantia 17.51.78
Χοῖνιξ 336
Cholagoga 158
Chondrilla 32
Χοῦς 334
Χρυσοβάλανος 54
Chryſocolla 96
Χυλὸς 68
Χυλὸς ῥόος Ponticæ 72
Χυλὸς, λύκιον, ὀπὸς Græcis confunduntur 75
Cicatricem quæ inducunt 91
Cichorium 32
Cicuta 33
Cimolia terra 99
Cinnamomum 65
Cinnamomi ætas 65
Cinis hirundinum 107
Cinnabaris 101
Cirſium 32
Citrago 36
Citrum 56
Clarificatio ſuccorum quomodo fit 295
Clyſter largior ſiue parcior quibus infunditur 253
Cnici ſemen 49
Cnici ſeminis doſis 235
Coccali 55
Κόκκος Orientis 15
Coccus baphica 49
Χοχλιάριον 335.336

INDEX.

Coctio propriè quid 145
Coctionis ſigna vnde ſumantur 157
Coctio expellendorum humorũ abu ſiuè apud practicos dicitur 156
Coctionem iuuantia 20.54.67. 368
Coctiones medicamentorum quomodo fiunt 296
Cœliacis quæ proſunt 64.70 74.101
Κόγχη 335
Cognatio quædam eſt in ſonis & corporibus ſonoris 167
Cognatio quædam ineſt rebus, naturarumq; ſimilitudo, ob quam alia trahant, alia auerſentur 160. 161. *Ibidem adduntur exempla plurima.*
Colicum affectum ſanantia 54. 164
Colletica quæ 246
Colocynthe 56
Colocynthidis doſis 235
Color medicamentum gratius reddens 202
Colorem commendantia 82
Colophonia 81
Communia de proprio cuique medicamentorum vſu 233
Compoſita medicamenta quæ 113
Compoſita medicamenta vnde nomina ſumpſerunt 342
Compoſita non cognoſci diſtinctè, niſi ſimplicia noſcantur 123
Compoſita ſi nobis ſatisfaciunt, quò ſimpliciora, eò meliora 224
Compoſita veterum noſcuntur cognita ſimpliciũ facultate et qualitate 125
Compoſiti forma ad quid vtilis 224
Compoſiti forma variatur interdum, vt ſit efficacius medicamentum 225
Compoſiti forma ad quos ſcopos conſtituatur 225
Compoſitorum vires tempore mutantur 232
Compoſitionem mediam vnam habebit, qui alias parare non poteſt, aut circunferre 370
Cõpoſitiones particulares faciendæ, quæ in maiores recipiuntur 328
Congius 330
Cuni 55
Conſeruatio medicamentorum 214
Conſeruationi medicamentorum locus idoneus eligendus 215
Conſeruant omnia quæ ſiccant, & humiditatem excremẽtoſam abſumunt 215
Conſiſtentia non ſolùm ad gratiam, ſed ad melius agendum, facit 208
Contraria in compoſitione quæ dicantur 178
Contraria contrariorum remedia 120
Conuulſioni quæ remedio ſunt 162. 165
Cor roborantia 41.48.49.86. 103.106.107
Cordis palpitationi conferentia 19. 20.86
Corallus 99
Coriandrum 48
Cornu cerui & capræ 103
Cornu rhinocerotis 103

Cornu

Corruda 16
Cortices 64
Cortices radicum meliores ſunt earum medullis 174
CoryZas ſanantia 85
Κόσκινος, & Κοσκίνων ἰατρικὸν 320
Coſtus 18
Κοτύλη 334
Κοτύλη *etiam videtur dimidium ſextarij ſignificare* 331.336
Κοχλιὸς 330
Craſſa & lenta ex pectore ducentia 19.22.24.30.34.40.48.49.52.55.
Craſſantia 142
Craſſos & lentos humores purgantia 19.34.38
Crocus 41
Croci electio 42
Crocus quomodo ſeruandus 42
Cretica terra 99
Cruſtas facientia 90.92.97
Cubebæ 57
Cucumeris ſemen 48
Cucumeris fructus 56
Cucumeris agreſtis radix 18
Cumini ſemen 49
Cupreſſi pilulæ 55
Curcuma 17
Cyanus 97
Κύαθος 332.333.335.336
Cyclamini radix 18
Cydonia 56
Cynanchis illinuntur 18
Cyperis 17
Cyperus Indicus 17
Cyperus Babylonicus 18.20
Cypheos compoſitio 346
Cyſtica 154.164

D

DAſpodium 43
Daucus 18
Deleteria quantitate ſola 85
Denarij partes 328
Denſans quod 143
Dentes puros efficientia 98.103
Dentes firmantia 162.163
Dentalis lapis 97
Dentientes pueros iuuantia 101.163
Dentium dolori idonea 40.82
Deſtillatio quid, & eius diuerſi modi 306
Diabatinon 370
Dia καρύων *ſtomaticum* 370
Diacydonion Galeni 368
Diacydonion Nicolai ibid.
Diacydonion quibus detur, & qua menſura 251
Diacnici doſis 237
Diacodij doſis ibid.
Διὰ γλεύκους *compoſitio* 371
Diamoron Galeni, & eius vſus 369
Διὰ ῥοιῶν *ſtomatice* 372
Diarrhœas ſanantia 35.39
Dia trion pipereon ad quæ ſumitur 251
Dictamni radix 18
Dictamni radix vulgaris eſt pſeudodictamni 18
Διορισμὸς *quid, & ad quæ à Galeno refertur* 267
Dioſpolitici puluis quomodo ſumitur 251
Diphryges 91
Diſſoluēdo quomodo, & quæ preparantur 292

Διτάλ

Διτάλαντον 322
Diuitibus ſumptuoſiora remedia miſcemus quàm pauperibus 193
Δοῖδυξ 319
Doli & adulteria medicamentorum 274
Dolores ſedantia 32.33.86
Doronicum 19
Δραχμὴ 322
Drachma 325
Drachmæ partes 324
Dracunculi radix 19
Ducere piſtillo medicamenta quid 313
Duella 324
Dulcis ſapor 149
Dupondius 324
Durum 142
Durum, molle quotupliciter dicatur corpus Ibidem
Durum corpus, id eſt, ſe ipſo dum ſanum erat, durius, quot modis fiat, & quomodò molleſcat Ibidem
Dyſenterijs conferentia 25.35.37.39.40.43.64.74.100.101.103.162.163.

E

EBrietatem facientia 86
Ebrietati reſiſtentia 161
Ebur 103
Eccatharticum quod 144
Ecphractica quæ Ibidem
Ecſtatica quæ 147
Elaterium 18.74
Elenij radix 19
Elephantiam curantia 97.165
Elleborus duplex 19
ἡμιχοίνικον 336
ἡμικοτύλιον 334
ἡμίλιτρον 323
ἡμιμναῖα 322
ἡμιούγγιον 324
ἡμιωβόλιον 322
ἡμιτάλαντον 322
Empetri facultas 237
Emphractica quæ 144
Emplaſton medicamentum 116
Emplaſticum quod 144
Emplaſtrum diachalciteos quomodo componendum, & eius vſus 263
Endiuia 32
Enterocœlas ſanantia 56.98
Epiceraſtica quæ 147
Epilepſiam excitantia 106
Epilepſiam curantia 24.31.51.82.102.161.165.
Epilepſiam ex atra bile curãtia 97
Epithymum 42
Epithymi doſis 235
ἕψημα 69
Epuloticum quod 146
Epyſſopum 43
Eranus lapillus 99
Errhina 18.31.
Erica 42
Eruca 49
Eruum 49
Eryſimi ſemen Ibidem
Eryngij radix 19
Eſcharoticum quod 145
Eſula 19
Euchyma quæ 147
Eufragia 34
Eupatorios herba 163
Eupatorium 33
Eupatorium etiam Pentaphyllum dicitur Galeno 34

Euphor

Ephorbium 77
Euphroſynon Græcis Bugloſſus dicitur 31
Exaſperantia quæ 147

F

FAba Græca 330
Facultas prima medicamenti eſt reliquarum veluti baſis communis 123
Facultatibus primis noſcendis quid ſatis fuerit Ibidem
Facultas ſecunda quæ 125
Facultates ſimplicium corrumpi in compoſitione quibuſdam viſum eſt 232
Facultates particulares à partibus vocatæ 148
Facultates particulares quatenus ſingulis partis affectibus conueniant 149
Febres bilioſas ſanantia ex denſitate cutis 41
Febrium omnium vnicum remedium 41
Febriles æſtus cohibentia 37
Fella animalium 105
Ficus 58
Ficuum ſuccus 72
Filicis radix 20
Fiſtulis ani quæ remedio ſunt 100
Flatus diſſipantia 19.20.24.28.30.38.47.48.49.
Flos æris 91
Flores quando legendi 40
Fluxiones capitis ſiccantia 22
Fluxiones bilioſas cohibentia 37.61.101
Fluxiones thoracis ſiccantia 22.58.100
Fluxiones inteſtinorũ ſiccantia 22
Fluxionum in inguina, pedes, articulos &c. et phlegmonarum incipientium remedium 94
Fœcunditatem facientia 38.102
Fœniculus 19
Fœnumgræcum 49
Foliatum vnguentum 35
Fomenta ventriculo quomodo imponenda 265
Frigida calidis obtundimus 117
Frigus quas actiones edat 133 & deinde.
Fructus quid 52
Fructus plantarum quomodo deligendi 174
Fumaria 34
Furfures emendantia 22

G

GAgates 98
Gaiacum lignum 63 165
Galanga 20
Galbanum 77
Galenus ſimplicia quomodo explorabat 276
Galeopſis 33
Galla 58
Gallitrichum 34
Gaſtrica 152
Gentiana 20
Γέγαργα 46
Gingiuas mollitie fluidas quæ tergent 103
Glaucium 74
Glycyrrhiza 20.74
Gramen 20
Γράμμα 322
Grana paradiſi 49
Gulielmus Peliſſerius Epiſcopus Monpeſſulanus de ſimplicibus incog

incognitis ſcripſit 61
Gummi 81
Gypſum 96

H

HAematites 98
Hæmodiam ab acerbis & acidis natam ſanantia 37. 162
Hæmorrhagiam ſiſtentia 36. 40
Hæmorrhagiam à naribus quæ ſiſtunt 74
Hæmorrhoides curantia 54. 97
Hæmorrhoides quæ aperiunt 73. 105
Herbæ 28
Herbæ quomodo ſiccandæ 28
Herbæ quædam ſiccatæ calidiores 28
Herbarum quæ partes ad medicamenta accipiendæ 175
Hammoniacum 77
Harmola 38
Haſtula regia 16
Hederæ lacryma 83
Hedychroi magmatis confectio 356
Hemicrania frigida quibus curatur 267
Hemicranica remedia qualia eſſe debent 191
Hemina 331.332
Hepar expurgantia 26.31. 40.51.52.53.80
Hepatis intemperiem calidam iuuantia 32
Hepatis quæ tollunt intemperiem à corruptis humoribus 32
Hepati quæ foris imponantur 253
Hepati indurato quæ illinuntur 53
Hepatica 85.104. 152.163
Hepaticis qua ratione miſcentur valdè refrigerantia 187
Hepaticis quæ proſunt 69. 163
Hepatorium, Hepatitis 33
Hermodactylus 20
Hermodactyli doſis 236
Hermodactylus neotericorũ eſt veteribus indictus 21
Hernias ſanantia 85
Hippolapathum 35
Humiditas quas actiones edat 140
Humores omnes ducentia 57
Humores crudos coquentia 31. 62
Hydragoga 159
Hydromelitos facultas 237
Hydropicos iuuantia 15.24. 42.54.104.163.165
Hypercathartica quæ 147
Hyperſarcoſin quæ tollunt 90.92. 96.97
Hypociſthis 74
Hyoſcyamus 34
Hyſſopum 34
Hyſterica 155

I

IAſpis 98. 163
Ichoras pruritum excitantes quæ digerant 95
Ictericis quæ proſunt 18.33 38.163
Iecur roborantia 22.33.34. 62.64.79.80.85.264.368
Iecur lupi 104

Impe

Impetigines quæ tollunt 82
Incantationibus non eſt habenda fides 168
Infuſione quomodo & quæ præparantur 293
Inſtrumenta præcipua pharmacopolarum 318
Intemperiem frigidam coquentia 22.24.63.70
Intemperies calidas ſanantia 76
Intemperies frigidas humidas ſanantia 71
Intertriginem curantia 90
Inteſtina roborantia 79
Inteſtina puerorum purgantia 98
Intybum olus 32
Ἴον 43
Iridis radix 21
Iris Illyrica eſt optima 21
Iſatidis radix 22
Iſchiadicis quæ proſunt 14.19.31.33.42.267
Iua 33
Iuniperi fructus 58
Iuniperi gummi 83
Iuglans 59
Iuiubæ 58
Iuris galli ueteris facultas 237

K

Κεῖρι 43

L

Lac gignentia 19.146
Lacrymæ 79
Lapathum 35
Lapis calaminaris 93
Lapis Iudaicus 98
Lapides 98
Laſſitudo motoria & phlegmonode quomodo curatur 190
Laſſitudo internæ tunicæ aſperæ arteriæ ex vociferatione quomodo curanda 191
Laterum dolores tollentia 31
Lauatione quomodo medicamenta præparantur 303
Lauri folia & fructus 35
Lenientia aſperatas cauitates quæ 147
Lens 51
Lentes expurgantia 53
Lepram ſanantia 16.19.22.31.51.53.94
Λεπτοκάρυον 59
Λεπτὸν 322
Lepus marinus 161
Λευκόϊον 43
Libræ partes 324
Lichenas ſanantia 19.83.94
Lienem abſumentia 27.32.164
Lienem expurgantia 26.51.53.80
Lienes induratos liquantia 16.27.53.78.267
Ligna 63
Ligula 333
Liguſticum 50
Lilij radix 22
Limitatio vnica ſæpe ſufficit ad ordinationem medicamenti 269
Limitationes generales & particulares non integræ non ſufficiunt 270
Limitationes etiam neceſſariæ ad rectam remediorum compoſitionem 272
Limitationes neceſſariæ ad rectum medicamentorum vſum 168
Limones 56
Limanche 42

Λινόσπερμον 50
Liquando fit præparatio 292
Liquores 75
Lithargyros 89
Lithargyros vt materia miſcetur valentioribus 210
Lithoſpermon 50
Λίτρα 323
Λωτὸ ῥίνημα 64
Lumbricos latos necantia 20
Lumbricos quæ necant 29.48. 51.103
Lumbricos rotundos quæ educunt 163
Lupinus 50
Lutra 105
Lycium 74

M

MAcer 67
Macis 67
Magnes 98
Maiorana 36
Malabathrum 35
Malum granatum 58
Mammarum durities diſcutientia 33
Mandragoræ radicis ſuccus 72
Mandragoræ maris radicis cortex 22
Manna thuris 87
Mannæ doſis 238
Maron 35
Maron eſſe herbam maſtic vulgò dictam ſuſpicio eſt 35
Marrubium 35
Maſtiche 79
Matricariam eſſe maioranam ſuſpicatur Hermolaus 36
Μάαξα ὕμαι 107
Μηκώνιον 76
Medicamentum quid 112
Medicamenti ſignificatio 112
Medicamentum ſimplex Ibidem
Medicamentorum compoſitio 113
Medicamentum vnum ſimplex interdum quatuor habet ſcopos 170
Medicamentorum vtendi modus 252
Medicamentorum vſus finis 238
Medicamenta vſum expectatum non præſtant, niſi ſint actu quod dicuntur 197
Medicamenta à quibus ſumantur 9.10
Medicamentis quibus & quando vtendum 230
Medicamentum vſum expectatum non præſtans quomodo corrigitur 198
Medicamenti ſumendi vel admouendi tempus & occaſio 238
Medicamenti exhibendi quantitas & qualitas ex iiſdem ſumuntur ſcopis 233
Medicamentum eius ſaporis propinandum, quo delectetur æger 191
Medicamenta clementiora initio offerenda 257
Medicamenta valentiora quæ indicant ſumenda 192
Medicamenti conſuetam nobis formam faciliùs toleramus, quàm non conſuetam 255
Medicamenti præbendi tempus quando Galen. negligit 232

Medica

Medicamenta facultate quadā natiua conuenientem ſibi ſuccum trahunt 160

Medicamenta ſumpta & admota non habent vires eaſdem 167

Medicamenta quando Deorū manus 228

Medicamenta quæ curioſè terenda 211

Medicamenta ad temperaturā mediam aptanda 116

Medicamenta polychreſta neque multum obſunt, neque proſunt, ſi perpetuo ijs vtamur 257

Medicamentis valentibus cum magna præmeditatione vtendum 233

Medicamen purgans vnum non perpetuò vſurpandum 234

Medicamentorum purgantium delectus ſecundum Meſuen 171

Medicamenta purgantia quomodo reponenda 173

Medicamenta per quæ melius fiunt 199

Medicamenta probata ad compoſitionem à quibus deliguntur 176

Medicamenta deligenda in ſuo vigore & bene habita 173

Medicamenti deligendi indicatio ſumitur à partis natura & vſu 188.191

Medicamenta quæ gratiora reddunt 202

Medicamenti componendi indicatio à quibus ſumatur, & quorum reſpectu varietur 181. & deinde.

Medicamenta compoſituro quæ noſcenda 120.122

Medicamenta compoſita quomodo fiant præſtantiſſima 170

Medicamenta optima ex contrarijs maiores miſcuerunt 116. 178

Medicamentorum componendorum neceſſitas 114

Medicamenta quædam componuntur, vt quod ſecundum naturam eſt ſeruemus 188

Medicamenta quæ gratius faciunt, quomodo augenda vel minuenda 221

Medicamenti vehementiam quæ remittūt, eius actionem non aboleant 200

Medicamenti virtutem imbecillam quæ augent aut excitant 201

Medicamenta non coaugmentanda, cùm paucioribus fieri poteſt 112.214

Medicatio in quibus conſiſtit 229

Medicus prudens & peritus quæ nouiſſe debeat 124

Μέδιμνος 335

Medulla 102

Mel 70

Mel quod valentiſſimum 173

Melancholicum ſuccum purgantia 97

Melanthium 51

Melilotum 43

Meliſſophyllon 36

Menſes mouentia 17.18.19.20. 22.24.26.31.33.35.38.40.45.51. 56.82.85.146

Menſuræ Romanorum & Græcorum

rum 330
Menſuræ Romanæ aridorum 332
Menſuræ liquidorum Græcæ 333
Menſurarum Romanarum notæ 336
Menſurarum Græcarum notæ 336
Mentem turbantia 48
Metalla 87
Metallicorum facultates diu vigent 174
Methodus componendi in quatuor conſiſtit 169
Μετρητὴς 333
Meum 22
MeZereon 27
Meconium 51
Miſy 92
Miſtis & compoſitis quando vtendum 338
Mithridatios ad quæ vtilis 346
Mithridates 344
Mithridatij deſcriptio ab Andromacho 344
Mithridatij deſcriptio à Damocrate 345
Modius 332
Molle 142
Molybdena 94
Morbus quilibet qualia remedia poſtulat 254
in Morbi vigore à medicamentis purgantibus abſtinendum 242
Morbillis & variolis ſalubria 61
Morſibus canum quæ medentur 165
Morſibus canis rabidi quæ medentur 166
Morus 59
Moſchus 105
Μοσχολίαρνον 55
Μνᾶ 322
Μνᾶ ἰατρικὴ 323
Mumia 103
Muliebri profluuio quæ proſunt 44.64.74
Muccilagines quomodo extrahantur 294
Myricæ fructus 59
Myriophyllon 36
Myrobalanus 53
Myrobalanorum quinque genera 53
Μυροβαλάνου πίεσμα 53
Myrrha 83
Myrrha ſtacte 84
Myrti germina 59
Μύστρον 332.335
Myxæ 59

N

NArcotica quatenus proſunt 185
Narcoticis quando vtendum ibid.
Narcoticorum compoſitionis ſcopus quis eſt 186
Nardus præſtantiſſima 22
Nardus Gallica 23
Nardus Syriaca ibidem
Nardi electio ibidem
Nardi ſpica & radix 22
Natura partis comprehendit naturam totius 193
Naturæ proprietas aſſumentis medicamen eſt inſpicienda 194
Nauſeam arcent 86
Nephritica 154.164

Nephrit

Nephriticos curantia 165
Nepitha 32
Neruis vulneratis aqua calida inimica 165
Neruorum vulnera glutinantia 165
Neruorum affectibus frigidis quæ proſunt 24.53
Nutriendo fit præparatio 292
Nux vomica 55
Nymphæa 43

O

Ὀβολός 322
Obſtructiones lienum ſoluentia 35.39.52
Obſtructionibus hepatis quæ ſubueniunt 16.20.24.32.33.35.37.52.60.163
Obſtructiones thoracis & pulmonis liberantia 60
Obſtructiones liberantia 38.49.58.
Obſtructionibus renum quæ ſubueniunt 16.24.37.52
Ὄχλοι 318
Oculi dolentis affectus ſigna vnde ſumantur 268
Oculi pallor ex ictero quomodo amouetur 267
Oculis gratiam addunt 96
Oculis cruentatis conuenientia 40
Oculorum claritati conferentia 34.35.38.78.82.162
Oculorum remedia quomodò applicantur 260
Oculorum vlcera quibus curanda 189
Oculorum fluxiones inhibentia 85.103
Oculorum vulnera ſanantia 98
Oculorum obſtructiones liberantia 80
Oculorum cicatrices purgantia 78
Ocymum 51
Odor medicamentum gratius reddens 204
Odora ſtomachicis miſcenda 204
Odyneron quod 145
Oenanthes radix 23
Oeſypus 105
Olea factitia 69
Oleum 69
Oleum ſuccini vim hebetat 161
Oleoſus ſapor 149
Oliuæ 59
Ὄλμος 318
Omphacium 70
Opium 51.76
Opio quando vtimur 186
Opobalſamum 57
Opocalpaſon 84
Opopanax 76
Ὀπὸς *Cyrenaicus, Medicus, & Syriacus* 75
Ophthalmiæ quomodo parãda medicamenta 188
Ordo huius libri 7
Origanum 36
Oris halitum commendantia 17.20.63
Oris affectus quibus curandi 189
Orobanche 42
Orthopnææ quæ proſunt 44.51.52
Orthopnœa & aſthma à craſſo

& lento humore quali conſiſtentia medicamentum requirunt 208
Os à corde cerui 103
Os ſepiæ 103
Oſſa 102
Oxyacanthæ ſuccus 72
Oxyacanthæ bacculæ 59
Ὀξύβαφος 331.334.336
Ὀξυφοῖνιξ 55
Οὐγγίαι 324

P

Paeoniæ radix 24
Papaueris genera 51
Parotidas curantia 52.101
Pars vna organi interdum ſubit vſuum duorum, trium, vel quatuor rationem. 170
Partem roborantia medicamentis miſcentur 201
Partibus natura frigidis qualia admouemus 252
Partibus cauis quomodo medicamur 253
Partibus non adhibenda topica, niſi corpore prius toto vacuato 258
Partum mortuum eijcientia 20
Partum grauidis continentia 99
Parturientibus conuenientia 15.18.98.99.103
Pauperibus remedia ex viliori materia danda 193
Pediculos occidunt 52.83
Pentaphylli radix 24
Percolatio medicamentorum 313
Periclymenum 44
Peſti reſiſtentia 25.100.107
Peſtilentibus putribusq; affectibus reſiſtentia 32.56.65
Petroſelinum verum vnde petatur 15
Petroſelinum Macedonicon eſt Hipposelinon 15
Petroſelinon Macedonicum & Eſtreaticum 23
Peucedani radix 24
Pharmacis lethalibus reſiſtentia 65
Phlegmone quæ remedia iuxta morbi tempora poſtulat 191
Phlegmones curatio 247
Phlegmonas oris, ſedis, pudendi, & aliarum humidarum partium ſanantia 73.74.101
Phlegmonas digerentia 31.50
Phlegmonæ conuenientia 14.56.70.86.94.166
Phlegmonas gutturis ſine venæ ſectione quæ ſanant 162
Phlegmonas gargareonis curantia 75.93.96.162
Phlegmonarum oris remedia, & quomodo applicanda 369.371
Phlegmonis oculorum & oris oleum non infunditur 265
Phlegmonas hepatis curantia 82.189
Phlegmone ſtomachi & ventriculi quomodo curatur 189
Phlegmonis artuum quæ imponuntur initio 264
Phlegmagoga 14.19.27.49.54.56.74.78.158
Φοῖνιξ 54
Φοῖνιξ palmæ fructus 54

φοίνικες θηβαϊκοὶ 54
φοινικοβάλανος 54
Phthiſicis quæ proſunt 42. 104
Phu 24
φυλλῖτις 39
Phymata curantia 51.52
Pilos quomodo auferimus 256
Piper 60
Piperitis 18
Piſces quomodo manu capiantur 55
Piſtacium 60
Pituitam & aquas ducentia 159
Pituitam craſſam ducentia 21. 27.56
Pituitam craſſam à iuncturis ducentia 21
Pityinon 81
Pyxides medicamentorum ſiccorum 320
Plantago 36
Plantaginis ſuccus 72
Plantæ quid cum animalibus habeant commune 11
Plantæ omnes legendæ, quãdo ſummarum ſunt virium 12
Plantæ ſingulæ ex quo loco petendæ 12
Plantæ diuerſimodè efferuntur, modo in maſculino, modo fœminino, aut etiam neutro genere 13
Pleuretica 150
Plumbum 93
Pneumonica 150
Podagræ quæ proſunt 15. 21.60
Polypodij radix 24
Polypodij doſis 235
Pomorum ſuccus 72
πῶμα 54
Pompholyx 93
Pondo 323
Ponderum notis vulgus medicorum iniquius vtitur 329
Pondera & menſuræ medicamentorum vſitatiores Galeno, & noſtræ ætatis medicis 321
Ponderum Romanorum notæ ex diuerſis autoribus 329
Ponderum Græcorum notæ & Atticorum 329
Populus duplex 37
Populeum vnguentum 38
Portulaca 37
Poterium rubrum 61
Præparatio quorundam medicamentorum quomodo fiat 291
Pruna 60
Pruni gummi 83
Pſeudocaſia 66
Pſeudomelanthium 51
Pſeudocinnamomum 66
Pſora 40
Pſoras detergentia 19.22. 50.53.94
Pſyllium 51
Pterygia oculorum leuantia 20
Pueri & ſenes medicamenta valentia non ferunt 191
Pulmo vulpis 104
Pulmonum cauernulis vel arteriæ aſperæ pus impactum, quali conſiſtentia medicamentum requirit 208
Pumex 97
Purgandum quando initio, quando ſub finem morborum 243
Purgantia medicamenta qua hora

ra

ra danda 248
Purgantia vomitu quando danda 246
Purgatio ſeu mundatio medicamentorum 316
Purgatio 156
Purgationes fiũt interdum ad præcautionem morborum 247
Purgationis tempus 241
Purgationis idoneum tempus quæ oſtendunt 241
Purgantia quomodo damus 262
Purgatoriorum vis malefica quomodo mitigetur 109
Purgatoria medicamenta 108
Purgatorio medicamento ſumpto ptiſſanæ cremor ſorbendus 245
Pus mouentia 86
Putredinem arcentia 45.70.80
Pyropus 99
Pyrethrum 24
Pyrites 98

Q

QVa anni parte qui humores purgandi 250
Qualitates primæ quomodo ſecundæ ſequantur facultates 147
Qualitatum primarum facultatem quomodo deprehendimus 141
Quantitas ſimplicium(doſin vocãt) in compoſito 217
Quantitas ſimplicium in compoſito,à quibus indicationibus ſumatur 217
Quantitas remediorum maior eſt, quando affectus cũ ſua cauſa eadem poſtulat 218
Quantitas remediorum eſt maior, ſi partis affectæ temperatura & corporis totius eſt eadem 219
Quantitas euacuationis à quibus ſumatur 240
Quartanas curantia 30.97
Quartarius 331
Quid pro quo 286

R

RAdices quando euellendæ 11
Radices integræ euellendæ,& quales 11
Radices quomodo reponendæ & ſiccandæ 11
Radices quo loco ſiccandæ 12
Radices ſibi alimentum peculiare trahunt,in ſolo, & ſub cœlo conuenienti 11
Rarefaciens quod 143
Raued Seni 26
Remedia efficaciſsima quæ ſunt 175
Remedia mitiora poſtulat ſenſus acrior, valentiora obtuſior 221
Remedia varianda pro morborum temporibus 258
Remediorum quantitas interdum à maioribus ſcrupuloſius aſcripta 223
Remediorum genera ipſi affectus indicant 219
Remedij menſuram, & ſimplicium differentiam indicantia 219
Remedijs paratu facilibus præſentibus, ſuperfluũ eſt exotica quærere 193

Remediorum facultas in duris augetur corporibus 221
Renes ſcincorum 104
Renes expurgantia 80
Repercutiens quod 143
Reſinæ 79
Reſinæ mitiſſimæ 80
Reſinarum humidiſſima 81
Rha, Rhaon, Rheon, Rhion radix 25
Rha barbarum in hortis vulgò ſatum quid ſit 26
Rha barbari doſis 236
Rheu Ponticum 26
Rhus 60
Rhyptica quæ 144
Ribes 61
Roſa 44
Roſmarinus 38
Rubiæ ſatiuæ radix 26
Rubus 61
Ructibus acidis quæ proſunt 31
Ruta 38

S

Acchar 71
Saccharum rubrum 71
Sagapenum 78
Sal 96
Sal Armeniacus 96
Sal Hammoniacus 96
Salſus ſapor 149
Saluia 38
Sampſychus 36
Sandaracha 90
Sanguis hirci 100
Sanguis draconis 101
Sanguinem purgantia 159
Sanguinem in ventriculum coagulatum diſſoluentia 102
Sanguinem reijcientibus quæ proſunt 17. 25. 64. 74. 82. 98. 99. 100
Sanguinem & ſpiritum purgantia 107
Sanguinem per vrinas euocantia 49
Sanguinis fluorem cohibentia 73. 96. 99. 166
Santalum 64
Sapor cuique iucundus quis dicitur 207
Sapor cuique iucundus quoad fieri poteſt ſeruatis medicamenti viribus apparetur 207
Sapor medicamentum gratius reddens 205
Sapphyrus 98
Sarcocolla 85
Sarcotica quæ 145
Σαρκοτικά 76. 86. 93. 97. 115
Σαρξιφάγον 26
Scabiem & pruritum ſanantia 34. 53
Scabies Hiſpana 265
Scammonia 78
Scammonij doſis 235
Scariola 32
Schedæ Galeni pharmacorum purè & veterum more ſcribuntur 111
Schiſtus lapis 98
Σχοῖνος 44
Scilla 26
Scillæ ſuccus 72
Scilliticorum paſtillorum confectio 355
Scirrho hepatis quæ admouenda 190

Scirrhos emendantia 18.65.76. 102.104
Scolopendrion 39
Scopus methodi componendi medicamenta 111
Scopus quo medicamentis tendimus, quis ſit 229
Scopi componendorum medicamentorum quo dirigendi 169
Scordium 38
Scoria 91
Scorpionum ictibus quæ proſunt 98
Semen quomodo à fructu differat 46
Semina quando legenda 46
Semina quatuor frigida 48
Semen extinguentia quæ 146
Semen ſupprimentia quæ 146
Semen gignentia quæ 146
Senna 62
Sennæ doſis 236
Septica quæ 145
Sereos ſpecies 32
Sericum crudum 107
Seſeli 51
Sextarius 330.332
Sextula 325
Siccitas quas edat actiones 139
Sicilicus 325
Sigillum Lemnium 99
Simplex in ſuo genere quod præſtantiſſimum 170. 173
Simplicia medicamenta quæ 113
Simplicia quæ in ſingulis regionibus inueniantur præſtantiſſima 171
Simplicia medicamenta noſcenda 121
Simplicia natura & tempore compoſitis priora 121
Simplicis vnius vitium ſæpe totum compoſitum corrumpit 174
Simplicis alicuius cur maior aut minor quantitas miſcetur compoſito 219
Simplicis quãtitas maior miſcetur, cuius facultas magis aduerſatur morbo 220
Simplicium omnium quodcunque ſui generis odorem habet valentiſſimum, eſt probatiſſimum 21
Simplicium quorundam quantitas variatur pro temporis ratione 222
Simplicium quantitatem immutat rerum miſcendarum natura 222
Simplicium quantitas quomodo limitanda 221
Simplicium numerus ad quantitatem refertur 224
Simplicium quantitas ipſis autoribus interdum incerta 224
Simplicium medicamentorum adulteria ordine alphabeti: vbi require ſingula 277. & deinde.
Simplicium medicamentorum electio ordine alphabeti, quod præſtantius in ſuo genere, aut quæ eius pars valentior 282
Siliquaſtrum 18
Sinapi 52
Singultus curantia 54.55
Sinus glutinantia 73.266
Σίϱιον 69
Sitim ſedantia 20.56.61
Smiris 98

INDEX.

Smyrnium (id eſt vulgare Leuiſticum) ἀλὸσατρον Romæ vocari Gal. ſcribit 15
Somnum conciliantia 31. 76
Sonchus 32
Soporifera 22. 51. 76
Sordes gymnaſiorum 105
Sori 92
Sparagus 16
Σπάδαι 320
Spica vulgaris eſt pſeudonardus 23
Spicula extrahentia 59. 165. 166
Splenicis conuenientia 15. 17. 27. 39. 44. 82. 104
Splenica 153. 164
Spodium 93
Spuma nitri 95
Squama æris 91
Staphis agria 52
Stellio 161
Stenωticum quod 143
Sternutamenta prouocantia 21
Stercus canis oſsibus nutriti 162
Stercus pueri lupinis dulcibus nutriti 162
Stercus lupi oſsibus nutriti 164
Stercus canum & luporum 105
Stimmi 96
Stœbe herba 39
Στοιχὰς 45
Stomachum roborantia 22. 56. 60. 61. 63. 70. 71. 73. 79. 86. 98. 152
Stomacho aduerſa 21. 27. 56. 70. 95
Stomachi ardores curantia 54
Stomachicis quæ miſcentur 76. 86
Stomachicis qua ratione miſcentur valde refrigerantia 187
Stomatica medicamenta debẽt eſſe boni ſaporis pro cuiuſque palato 206
Stomaticæ compoſitiones aliquot 371
Stomaticis quando mel miſcendum 211
Stomaticis quomodo vtimur 261
Stomaticorum conſiſtentia 208
Stomaticorum vtendi modi 371
Strobilina reſina 81
Strumis conferentia 30. 40
Stupefacientia 51. 76
Stupefacientia quare remedijs adduntur 185
Styrax rubra 84
Styrax 85
Succus, lacryma, liquor ſæpe confunduntur 75
Succi melle aut ſaccharo conditi 367
Succi 68
Succorum repoſitio 68
Succinum 86
Sudores mouentia 18
Suffuſis quæ proſunt 18. 78. 84. 162
Suggillata curantia 74
Sulfur 94
Sumenda manè quæ faciũt ad diſtributionem alimenti in corpus 252
Sumendorum varius ſumendi modus 341

Summa dicendorum in his libris 114
Suppurantia quæ 145
Sycomorus 59
Σύριγξ τῆς κασίας. 67

T

TΆλαντον 322
Tamar Indus 55
Tamar Indorum doſis 236
Tamarix 27
Tapſus barbatus 40
Telæ flammis iniectæ ardentes non conſumuntur 99
Temperamenti proprietas obſeruanda in medicamẽtis vt in alimentis, & expendendum quomodo ſe habeant ad hæc aut illa 202
Tenſio articulorum quot modis fiat, & quomodo laxetur 143
Tenuantia 142
Tenuitas & craßities eſſentiæ actionem ſuam & aliorum interdum iuuant 210
Terebinthina 80
Terebinthinæ reſinæ doſis 237
Tergentia 33. 34. 93. 144
Terminus pugnantis generoſè contra morbum quis ſit 265
Teruntur & tunduntur medicamenta quibus modis 312. 313
Teruntur medicamẽta propter quas cauſas 313
Τέταρτον 334
Thapſia 79
Theriaca 347
Theriacæ compoſitio 357
Theriacæ decerpta ex Mithridatio 348
Theriacæ vires 361
Theriacæ vſus 362
Theriacæ probatio 362
Theriaci paſtilli quomodo & in quo loco ſiccandi 355
Thoracem & pulmonem purgantia 31. 35. 40. 54. 80
Thoracica 150
Thus 86
Thuris cortex 87
Θυεία 318
Thymum 40
Thymelæa 27
Thlaſpi 52
Tophos articulorum diſſoluentia 78. 101
Tota per tota miſcere ſolius Dei munus eſt 113
Tragacanthos 87
Tragoriganum 36
Tria in ſimplicibus obſeruanda 12
Tripolium 27
Τριτάλαντον 322
Turbith 27
Turbith doſis 236
Tunica interior ventriculi gallinarum 103. 163
Tußim antiquam tollentia 82
Tußim ex faucium aſperitate coquentia 31
Tuſſes coquentia 85

V

V*Aleriana* 24
Vaſa latioris oris in genere pharmacopolarum 320
Vena & arteria quomodo dicantur ſimplicia 113
Venarum anguſtos meatus tergentia 80
Venenis reſiſtentia 47. 56. 67. 84. 103

Venenoſæ feræ morſibus à ſe factis ſuis corporibus ſubueniunt 160
Venenatis morſibus conuenientia 18. 19. 25. 28.31. 38. 65. 94. 167. 363
Venerem excitantia 20.49. 104.106.165
Venerem cohibentia 30. 38.94
Ventrem purgantia illita 18
Ventrem ſubducentia 34. 54
Ventriculo vacuato quæ extrinſecus admouenda 246
Ventriculi meatus aperientia 65
Ventriculi os confortantia 163
Ventriculo calidiore qui ſunt à quibus læduntur 230
Ventriculum roborantia 34.54. 67.79.98 264.368.372
Ventriculus mergi 163
Veratrum 161
Veratri doſis 235
Verbaſcum 40
Verbenaca recta ibidem
Vernix 83
Verrucas tollentia 53
Vigilias quomodo per refrigerantia & humectantia expugnamus 188
Vim medicamenti corpori noxiam emendamus quomodo 201
Vinum 69
Vinum ne aceſcat, conſeruantia 39
Viperarum caro 108
Viperarum præparatio ad paſtillos theriacos parandos 353
Vires eaſdem non habent ſumpta & admota 73
Viſcera refrigerantia 54
Vitalem virtutem roborantia 107
Vitiligines tergentia 19. 22.50.53
Vlcerantia 33. 53
Vlcera purgantia 91
Vlcera ſiccantia 20. 31.74
Vlcera glutinantia 17.19. 24.31.33.36.55.73.76.85
Vlcerationes inteſtinas emendantia 98
Vlcera ſedis & vuluæ curantia 105.265
Vlcera præhumida pudendorum curantia 31.56
Vlceribus putridis congruentia 92.96
Vlceribus putribus oris quæ remedio ſunt 100.262
Vlceribus gulæ quæ adhibentur 262
Vlceribus ſummè inueteratis quæ proſunt 162
Vlcera cacoëthe ſanantia 51.80. 91.93
Vlcus cauum quomodo curamus 115
Vnciæ partes 324
Vniones 107
Vnguentorum, linimentorum, ceratorum conſiſtentia 209
Vomitum cohibentia 28.54 61.85
Vomitum prouocantia 53.55
Vomitoriorum conſiſtentia 209
Vretica quæ 146
Vrinas ducentia 16.17. 19. 20.22. 24.33.38.40. 45. 47. 48.49.50.58.70.107

Vrinas

Vrinas bilioſas ducentia 34
Vrinas craſſas & cruentas ducentia 26.44
Vrna 330
Vrticæ fructus 52
Vſtione quomodo medicamenta præparantur 301
Vſus rectus medicamentorum vnde ſumatur 229
Vua 62
Vulnera glutinantia 22.33. 38.49.71
Vulpes 106

X

Ξέσης 334. 336
Xylobalſamum 57.64
Xylaloë 63
Xylocinnamomum 66
Xylocaſia 67

Y

Ὕπερον 318

Z

Zedoaria 28
Zingiber 27
Zizipha 58
Zuchara 71
Zurumbet 28

FINIS.

CASTIGATIONES, QVARVM *numerus prior paginam, poſterior lineam denotat.*

Pag.17.lin.penul.Plinio dicitur. 22.3. adde, vel potiùs ſpathulæ fœtidę vulgò dictæ, flore & reliquo habitu iridē omnino referentis. 24.5. inijcias. 17. æmula, adde primo, poſt rotundatur. 28.2. excrementoſam. 6. zurumbeth. 32.22. bibantur. 33.12. chamædrys. 38.4. Populi nigræ ſeu non bicoloris flores. 7. pro licet, quod. 41.17. Chamæmelum ab odore mali dictum ſeu anthemis, lineam incipiat. 43.11. cæruleo. 43.23. quæſito. Si qua ſunt alia leuicula, per te emendabis.